



Google

# Compendium juris canonici

Sebastian Bach Smith







# COMPENDIUM

# JURIS CANONICI

AD USUM

CLERI ET SEMINARIORUM HUJUS REGIONIS

ACCOMMODATUM.

AUCTORE

REV. S. B. SMITH, S.T.D.,

*Quondam professore Juris Canonici, qui etiam scripsit libros qui inscribuntur "Elements of Ecclesiastical Law," "The New Procedure," etc., etc.*

*EDITIO TERTIA, AUCTA ET RECOGNITA.*



NEO-EBORACI, CINCINNATI, CHICAGO:

BENZIGER FRATRES,

*Summi Pontificis Typographi.*

1894.

**Nihil Obstat.**

H. GABRIELS, S.T.D.,
*Censor deputatus.*

**Imprimatur.**

✠ MICHAEL AUGUSTINUS,
*Archiepiscopus Neo-Eboracensis.*

DATUM NEO-EBORACI,
DIE 2 JANUARII, 1890.

# Apostolic Benediction.

---

*S. Congregazione di Propaganda.*

PROTOCOLLO N. 770.

ROMA, li 28 Febbrajo, 1891.

RÑDO SIGNORE:

Mi é pervenuto non ha guari il suo libro intitolato "Compendium Juris Canonici" che la S. V. ha avuto la gentilezza d'inviarmi. Le ne rendo perció i miei piú vivi ringraziamenti. Le molteplici e gravi mie occupazioni mi hanno impedito fino ad ora di leggerlo: tuttavia non mancheró di farlo quando avró tempo disponibile.

Una copia del suo lavoro é stata presentata al S. Padre, il quale si degnó gradirla, ed impartire alla S. V. l'Apostolica Benedizione.

Io poi prego il Signore che le conceda ogni bene.

Di V. S.

Affmo,

(Signed) GIOVANNI CARD. SIMEONI, Prefetto,

✠ D. Arcivo di Tyro, Segret.

Revdo Dr. S. B. SMITH.

---

TRANSLATION.

*S. Congregation of the Propaganda.*

PROTOCOL No. 770.

ROME, February 28, 1891.

REV. SIR:

I have received your work entitled "*Compendium Juris Canonici*," which you had the kindness to send me. Please accept my very sincere thanks. My many grave duties have made it impossible for me to read your work as yet. But I shall not fail to read it, as soon as I shall have the necessary time to do so.

A copy of your work has been presented to the Holy Father, who was pleased to accept it very cordially, and to bestow upon you the Apostolic Benediction.

I pray the Lord to impart to you every blessing.

Most affectionately yours,

(Signed) JOHN CARD. SIMEONI, *Prefect,*

✠ D. Archbp. of Tyre, Secretary.

To Rev. Dr. S. B. SMITH.

## *PRESS NOTICES.*

AMERICAN CATHOLIC QUARTERLY REVIEW:

"This work, as the title-page proclaims, has been intended by its reverend author as a text-book for our seminaries. It is an abridgment of the author's well-known work, 'Elements of Ecclesiastical Law.' Indeed, it is more than an abridgment of that work: for the author devotes the third book of the Compendium to a treatise on ecclesiastical property, a division of canon law to which in his larger work he has not drawn attention.

"That we need a canon-law text-book for our seminaries is pretty generally admitted. The books now in use, from one or another defect, are not satisfactory. Of those that have fallen under our notice some are too diffuse, others devoid of form—no one entirely satisfactory. Have we in Dr. Smith's Compendium the consummation so devoutly wished for? Over his 'Elements of Ecclesiastical Law' the Compendium, in that it is written in Latin, has clearly, in our estimation, a conspicuous excellence, for Latin, the mother-tongue of the Church, should ever be the language of her seminary text-books.

"But does this work possess the other qualities which should be found in a model text-book? If it be not chargeable with diffusiveness and excessive elaboration, is it, on the other hand, sufficiently complete—does it offer the student a fair grasp of the great subject of canon law? On this point it were strange if there should not be a divergence of opinion. As we read through the work, we more than once expressed the wish that in this or that particular the author had enlarged a trifle. To be sure, in almost every such instance he refers us to his larger and more complete work, the 'Elements of Ecclesiastical Law.' Yet in not a few instances we would prefer to have in the Compendium itself more fulness. How difficult is the task of making a satisfactory abridgment of any work we are fully conscious, and we moreover recognize the fact that in a work on canon law, where so much is to be explained in detail, and so many authorities cited, the task is greatly intensified. Hence it were hardly fair to press this point as a defect in the work. *But what of the author's teaching? We do not hesitate to pronounce him clear and sound. In his hands we feel that our students will be safe.* By this we do not mean that in all things we coincide with the author; for with not a few of his deductions and conclusions we are inclined to disagree. Yet these, for the most part, are matters freely controverted between canonists and theologians. *To the students of our American seminaries not the least interesting and useful part of Dr. Smith's work will be what we may be allowed to call its American side.* For, together with the general law of the Church, it gives us the special law for our own time and country, incorporating, as it does, the 'Instructio cum magnopere,' and other rulings of the Sacred Congregation which are practically a canon law for this country. *Dr. Smith deserves great praise for his labors in the field of canon law. He has accomplished a great work,* and we wish him the fullest reward for his labors."

CATHOLIC WORLD:

". . . It seems to us that *it ought to supersede all the previously used text-books;* for while it teaches the general principles of canon law as fully as is necessary, *it has the special information which other books do not give.* The work is, as text-books on this subject should be, in Latin; but Dr. Smith has thoughtfully provided in brackets translations for the technical expressions which he has had to coin. There are only four hundred and ten pages in all; but *the clerical student who has mastered these pages will have a sound knowledge of the law* under which he will exercise his ministry."

THE FREEMAN'S JOURNAL:

"There are a number of handbooks on canon law. But they are all written by European authors and for Europe. Yet the application of the general law of the Church differs in no small number of points, here, from that in Europe. Rev. Dr. Smith's new book is *a brief but clear summary of the entire canon law, as applied to this country and other English-speaking countries similarly circumstanced.*"

THE PITTSBURGH CATHOLIC:

"The subject of canon law is daily becoming more and more important in this country, rendering a text-book like the present a *desideratum.* Father Smith, the author, has a reputation as recognized authority on the subjects coming under the head of Canon Law. The work is written in Latin; *the style is clear and simple.* . . . While it is intended to be a brief text-book for our seminaries, it will be found to be useful to priests on the mission"

THE CATHOLIC TELEGRAPH:

". . . *a brief but clear summary of the entire Canon Law, as applied to this country and other English-speaking countries similarly circumstanced.* It briefly explains the sources from which the laws of the Church, general and particular, have emanated. In the second part the author sets forth the right of property vested in the Church, and then describes in detail the various kinds of church property, movable and immovable. The third part treats of ecclesiastical trials, offences, and punishments."

# PRAEFATIO.

Vix nonnulli anni elapsi sunt, quum ultimum volumen operis mei cui titulus *Elements of Ecclesiastical Law,* hisce Foederatis Statibus accommodatum, tribus voluminibus comprehensum, publici juris fecerim. Quod quidem opus plurimorum desiderio satisfecisse videtur, atque jam septima vice recudi debuit. Nihilominus complurium movit desiderium, ut quae uberiori calamo exposita erant, brevi compendio contraherentur, quo aptiora evaderent ad usum seminariorum necnon sacerdotum missionibus inservientium. Hac de causa compendium praesens conscribendum duxi.

In toto hoc compendio concinnando, id prae oculis habui ut et quam *breviter* et quam *integre* fieri posse putabam, juris ecclesiastici doctrinam traderem, huic regioni accommodatam, juxta eam fere normam quam in majori opere secutus sum. In qua methodo servanda id fortasse accidit ut nonnulla brevius dicerentur neque argumentis satis fulcirentur. Verum impossibile erat cum brevitate omnia funditus explicare. Neque id mihi proposui, ut non multa aliunde complenda relinquerem. Quo facilius autem longioris explicationis et probationis defectus suppleretur, lectorem in singulis fere quaestionibus ad meum *Elements of Ecclesiastical Law,* necnon ad alia opera probata remittendum curavi, ut si lubet et per tempus licet, easdem res enucleatius tractatas possit invenire.

Caeterum nonnullas in hoc compendio explicavi quaestiones, quas in opere meo majori non tractavi. Inter illas imprimis recenseri debet totus liber tertius de *bonis ecclesiasticis* (*ecclesiastical property*). Imo etiam quaestiones quasdam in opere meo majori jam tractatas, in hoc compendio, meliori modo ad trutinam revocavi et emendavi.

Dispescitur compendium in quatuor libros. In *primo* ea praenotantur scitu necessaria quae generatim juris canonici originem et indolem respiciunt, quaeque proinde juris canonici *fontes* nuncupantur.

In *secundo* libro de *Personis* agitur, nempe de Romano Pontifice, de S. E. R. Cardinalibus, de Metropolitis, de Episcopis, de Canonicis, et Consultoribus nostris, de Administratione dioecesis, sede vacante, de Parochis, nostris Rectoribus necnon eorum vicariis, de Monachis et Monialibus, necnon de religiosis utriusque sexus in hac regione absque votis solemnibus.

*Tertius* liber agit de *Rebus* seu bonis ecclesiasticis. Proinde disseritur de bonis ecclesiae temporalibus, horum dominio, administratione, de reditibus beneficii seu officii ecclesiastici, de templis, capellis, monasteriis, seminariis, coemeteriis, hospitalibus, etc.

In *quarto* denique libro sermo instituitur de *judiciis* (*ecclesiastical trials*), potissimum de norma procedendi tum in causis criminalibus et disciplinaribus clericorum etiam apud nos juxta Instr. S. C. de P. F. *Cum Magnopere*, tum in causis matrimonialibus secundum Instr. S. C. de P. F. *Causae Matrimoniales*. Agitur deinde in hoc quarto libro de *delictis* ecclesiasticis. Denique tractatur de *Poenis* ecclesiasticis, praecipue vero de privatione seu remotione ab officio rectoris missionis apud nos, de ejus translatione; de Excommunicatione, suspensione et interdicto.

Compendio hoc complexus sum tum antiquam tum novam Ecclesiae disciplinam, atque uno in conspectu posui non tantum vetustas leges quae in Corpore Juris continentur, sed etiam canones Tridentinos et Constitutiones recentiorum Pontificum necnon decreta quae a sacris congregationibus praesertim a S. C. de Prop. Fide ad nos usque emanarunt.

Juri autem communi Ecclesiae, suis propriis locis, adjeci jus *peculiare* seu *particulare* tum hujus regionis, tum Hiberniae, Angliae, Scotiae, Canadae, etc.

S. B. SMITH.

**Scribebam PATERSON,**
**in festo Assumptionis B. M. V. 1890.**

# PRAEFATIO SECUNDAE EDITIONIS.

---

Novam hujus Compendii editionem, accurate recognitam, in lucem editurus, sedulo curavi ut plures mendae praesertim typographicae, quae in priorem irrepserant editionem, corrigerentur, necnon ut alia quae ambiguitatem praeseferre videbantur, clarius dicerentur. Quamquam Compendium hoc paucis tantummodo abhinc mensibus publici juris factum sit, jam in multis hujus regionis, imo et Europae, Seminariis introductum est.

S. B. SMITH.

**Scribebam Paterson,
die 30 Octobris, 1890.**

---

# PRAEFATIO TERTIAE EDITIONIS.

---

Tertiam hanc editurus editionem, paucis verbis respondebo animadversionibus quibusdam, typis exaratis.

Dicit doctus criticus me *jus matrimoniale* prorsus omisisse. Respondeo, id a veritate esse absonum, uti videre est in *Compendio* hoc, pp. 377–383. Deinde conqueritur eximius censor, me *irregularitates* non pertractasse. Responsio mea est, quod in hac re, criticus me habet confitentem reum. Et sane tractatum hunc consulto omisi. Norunt enim omnes, tractatum de irregularitatibus in qualibet theologia morali esse ad trutinam revocatum, ac proinde inutile esse, eamdem ma-

teriam in jure canonico, praesertim vero in Compendio juris, iterum perstringere.

Denique me carpit doctus criticus, eo quod doceam praeeminentiam Cardinalium prae Episcopis derivari ex jurisdictione. Contra hanc meam doctrinam vehementer insurgit criticus dicendo omnes, etiamsi tirones sint in re canonica, nosse, Cardinales, qua tales, jurisdictionem, et quidem arctis limitibus circumseptam, possidere solummodo in suis titulis, seu Ecclesiis Romae sitis.

Respondeo Criticum hac in re, a veritate esse alienum. Non enim debuisset oblivisci, Cardinales, etiam qua tales, praeter aliqualem domesticam jurisdictionem in suis titulis, pollere jurisdictione in *universam* Ecclesiam; eos lateri S. Pontificis quodammodo adhaerere; ad eos quoque Sede Romana vacante, S. Pontificis electionem, necnon Ecclesiae defensionem et administrationem pertinere, uti videre est in hoc Compendio, pp. 178, 180. Verum satis de hac re.

Quae in praesenti editione in meliorem et accuratiorem redacta sunt formam, respiciunt praesertim (*a*) *appellationem contra divisionem parochiarum*, necnon missionum, sive amovibilium sive inamovibilium apud nos (p. 100, n. 262; p. 102, n. 266); (*b*) potestatem quam habet Episcopus procedendi *tanquam Sedis Apostolicae Delegatus* (p. 242, n. 724); (*c*) *erectionem conventuum* tum regularium tum monialium etiam in hac regione (p. 274, n. 829; p. 310, n. 945). Alias etiam feci emendationes quas in decursu operis videre est.

S. B. SMITH.

Paterson, die 29 Dec. 1891.

# INDEX SYNOPTICUS.

## Liber Primus.

### DE JURE CANONICO GENERATIM.

#### Caput I.—Natura et Divisio Juris Canonici.



#### Caput II.—Fontes Juris Canonici.



#### Caput III.—Juris Canonici Collectiones.



#### Caput IV.—De Jure Canonico Nationali.

CAPUT V.—INTERPRETATIO LEGUM ECCLESIAE.



---

# Liber Secundus.

## *DE PERSONIS ECCLESIASTICIS.*

## PARS PRIMA.

### PERSONAE ECCLESIASTICAE QUATENUS AD HIERARCHIAM ORDINIS PERTINENT.

CAPUT I.—NATURA POTESTATIS ORDINIS.



CAPUT II.—QUIBUS MODIS POTESTAS ORDINIS ACQUIRATUR.



---

## PARS SECUNDA.

### PERSONAE ECCLESIASTICAE QUATENUS AD HIERARCHIAM JURISDICTIONIS PERTINENT.

### *SECTIO I.*

*Personae Ecclesiasticae quatenus Jurisdictionem Ecclesiasticam possident, in genere.*

CAPUT I.—NATURA JURISDICTIONIS ECCLESIASTICAE.



CAPUT II.—MODUS ACQUIRENDI JURISDICTIONEM DELEGATAM.

CAPUT III.—MODUS ACQUIRENDI JURISDICTIONEM ORDINARIAM, ET PROINDE OFFICIA ECCLESIASTICA.

*TITULUS I.*

***Erectio Officii Ecclesiastici.***



*TITULUS II.*

***De Modis acquirendi Officia majora.***



*TITULUS III.*

***Quibus modis inferiora Officia conferantur.***



*TITULUS IV.*

***Forma Collationis.***



*TITULUS V.*

***Qualitates promovendorum ad officia.***

### CAPUT IV.—QUIBUS MODIS JURISDICTIO AMITTITUR.

*TITULUS I.*

***Jurisdictio delegata.***



## *SECTIO II.*

*De Personis quatenus Jurisdictionem Ecclesiasticam possident, in specie.*

### CAPUT I.—DE ROMANO PONTIFICE.

CAPUT II.—ADJUTORES S. PONTIFICIS—CURIA ROMANA.



CAPUT III.—PATRIARCHAE, PRIMATES ET METROPOLITAE.



CAPUT IV.—DE EPISCOPIS.

CAPUT V.—VARIAE EPISCOPORUM CLASSES.



CAPUT VI.—ADJUTORES EPISCOPORUM IN JURISDICTIONE.

*TITULUS I.*
*Vicarius Generalis.*



*TITULUS II.*
*Capitula Cathedralia.*



CAPUT VII.—PAROCHI ET RECTORES MISSIONUM.



CAPUT VIII.—VICARII, CAPELLANI ET CONFESSARII.

CAPUT IX.—REGULARES ET MONIALES.



# Liber Tertius.

*DE REBUS ECCLESIASTICIS.*

## PARS PRIMA.

### RES ECCLESIAE TEMPORALES IN GENERE.

CAPUT I.—ECCLESIAE JUS ACQUIRENDI BONA TEMPORALIA.



CAPUT II.—ADMINISTRATIO BONORUM ECCLESIASTICORUM.



## PARS SECUNDA.

### BONA TEMPORALIA ECCLESIASTICA, IN SPECIE.

CAPUT I.—BONA QUAE DIRECTE USUI SACRO, RELIGIOSO AC PIO INSERVIUNT.

---

# Liber Quartus.

## *DE JUDICIIS, DELICTIS ET POENIS ECCLESIASTICIS.*

## PARS PRIMA.

### DE JUDICIIS ECCLESIASTICIS.

### *SECTIO I.*

### *Judicia Ecclesiastica, in genere.*



### *SECTIO II.*

### *Judicia Ecclesiastica, in specie.*

---

## PARS SECUNDA.

### DE CRIMINIBUS ECCLESIASTICIS.

# PARS TERTIA.

## De Poenis Ecclesiasticis.

### *SECTIO I.*

### *Poenae Canonicae, in genere.*

#### Caput I.—Natura et Divisio Poenae.



#### Caput II.—Conditiones ad Poenas valide et licite infligendas.



### *SECTIO II.*

### *Poenae Canonicae, in specie.*

#### Caput I.—Remedia praeventiva.



#### Caput II.—Poenae repressivae.

*TITULUS I.*

***Poenae vindicativae tum temporales tum spirituales.***



*TITULUS II.*

***Poenae repressivae reformantes.***



## APPENDIX I.



## APPENDIX II.

# Liber Primus.

## DE JURE CANONICO GENERATIM.

***(ON CANON LAW, IN GENERAL.)***

---

## CAPUT I.

### NATURA ET DIVISIO JURIS CANONICI.

***(Nature and Division of Canon Law.)***

### ART. I.

#### DE JURE, IN GENERE.

***(Of Law, in general.)***

**1.** *Quaer.* Quid et quotuplex sit jus in genere?

*Resp.* Ad 1m. Vocabulum *Jus* (*law*) hic sumitur tum pro lege aliqua in specie, tum potissimum pro complexione vel systemate legum (*body of laws*), quibus aliqua societas regitur. Aliis verbis, vocabulum *jus* hic significat alicujus societatis legislationem.[1]

**2.** Ad 2m. Jus dividitur in *naturale* et *positivum* (*natural and positive law*). Jus positivum subdividitur in *divinum* et *humanum* (*divine and human law*). Jus humanum iterum dispescitur in *ecclesiasticum* et *saeculare* (*ecclesiastical and secular law*). (Nostrum *Elements*, vol. I. n. 2–5.)

De solo jure canonico seu ecclesiastico nobis est sermo, quod proinde est hic accurate definiendum.

[1] De Brabandere, vol. I. p. ii.

## ART. II.

### JURIS CANONICI NOTIO.

(*What is Canon Law.*)

**3.** *Quaer.* Quid sit jus canonicum?

*Resp.* Jus canonicum[1] est *complexio canonum sive legum* (*the body of laws*), *quae ab ecclesiastica potestate constitutae, propositae aut approbatae sunt, ad rectam christianorum institutionem et ecclesiae vel ecclesiarum gubernationem.* Dicitur *constitutae, propositae aut approbatae;* eo quod earum legum, quibus jus canonicum constat, alias Ecclesia constituit, alias proposuit, alias approbavit. (Nostrum *Elements,* l. c. n. 5.)

**4.** Jus canonicum, prout scientia est vocatur *jurisprudentia canonica.* Jurisprudentia autem canonica seu scientia legum ecclesiasticarum differt a *theologia* sive morali sive dogmatica. Theologia enim, tum dogmatica tum moralis tota est in rebus fidei vel morum universim *investigandis, illustrandis,* et *propugnandis;* jus autem canonicum, in exponendo *regulas positivas* seu leges, quibus praecepta fidei et morum custodiantur, propagentur, ac in usum deducantur.

**5.** Jurisprudentia canonica differt etiam a *jurisprudentia civili.* Nam jus canonicum ab *Ecclesia* dimanat, res *spirituales* regit, societatem *christianam* moderatur, et ad finem *supernaturalem* proxime tendit. Jus vero civile seu saeculare (*laws of the secular power*) procedit a principe vel coetu legislativo *saeculari* (*secular prince or legislative assembly, v.g. Congress, State Legislatures*), negotia *politica* et *temporalia* disponit, pro fine proximo habet *temporalem* statum atque felicitatem humanae societatis.[2]

[1] Jus canonicum non raro vocatur etiam jus *ecclesiasticum,* jus *pontificium,* jus *sacrum,* jus *divinum.*

[2] Prael. S. Sulp. vol. I. n. 3.

## ART. III.

### DIVISIO JURIS CANONICI.

(*How is Canon Law Divided?*)

**6.** *Quaer.* Quotuplex sit jus canonicum?

*Resp.* Jus canonicum dividitur praecipue: 1° In *scriptum* et *non scriptum.*—Scriptum (*written law of the Church*) dicitur illud quod fuit a legislatore directe statutum, et scriptis authenticis consignatum. Non scriptum (*unwritten law of the Church*) nuncupatur quod inductum fuit moribus populorum seu consuetudine (*by the habits of the people, or by custom*).[1]

**7.** 2° In *commune* et *particulare.*—Commune (*the general law*) dicitur quod pro *universa* Ecclesia latum est, adeoque per se *omnes* fideles obligat; particulare (*local law*) vero quod pro *certis* quibusdam locis aut personis statutum est. Jus particulare subdividitur in *nationale* (*national canon law*), *provinciale* (*the law of an ecclesiastical province*), *dioecesanum* (*of a diocese*), et *monacale* (*ecclesiastical law of regulars*), prout proprium est alicui nationi, ecclesiasticae provinciae, dioecesi vel regularibus.

**8.** Jus commune potissimum venit sub denominatione *juris canonici.* Proinde canonistae et jurisperiti, quando de jure canonico disserunt, illudve simpliciter sine addito invocant, intelligunt jus commune, non vero jus particulare. Attamen in sensu latiori jus particulare aliquando vocatur jus canonicum.

**9.** 3° In *publicum* et *privatum.*—Jus publicum (*public canon law*) exhibet constitutionem societatis ecclesiasticae, ipsius regimen, jura et officia personarum qui in ea potestatem gerunt, etc. Ideo vocatur publicum, quia ad *communem* reipublicae christianae utilitatem spectat. Jus privatum (*private canon law*) versatur circa obligationes singulorum,

[1] Prael. S. Sulp. vol. I. n. 5.

prout distinguuntur a gubernatione ecclesiastica, v.g. circa sacramenta recipienda.[1] (Nostrum *Elements*, l. c. n. 6.)

Haec duo jura, licet ratione sui distincta, in nonnullis inter se confunduntur, et complectuntur omnes sanctiones canonicas, quas doctores referunt ad *Personas, Res* et *Judicia,* uti per decursum exponetur.

**10.** 4° In *antiquum, novum et novissimum.*—Plurimi canonistae vocant antiquum (*the oldest laws*), illud quod viguit usque ad decretum Gratiani; novum (*the later laws*), quod ab isto decreto ad ultimam collectionem in Corpore Juris contentam se extendit; novissimum (*the latest laws*), quod a Corpore Juris clauso ad nos usque decurrit.

---

# CAPUT II.

## FONTES JURIS CANONICI.

(*Sources of Canon Law.*)

## ART. I.

### FONTES IN GENERE.

(*Sources in general.*)

**11.** *Quaer.* Quid intelligatur per fontes juris in genere?

*Resp.* Fons (*a source*) dicitur illud ex quo aliquid fluit. Porro omnis lex necessario provenit ab aliquo legislatore. Nam lex condi nequit nisi ab illo qui legislativa pollet auctoritate. Proinde legislator (*the lawgiver*) est fons legis, in stricto sensu. Latiori autem sensu fontes legis vocantur omnia loca in quibus lex ipsa invenitur, eo quod et jura et juris momenta ab his locis veluti fontibus hauriantur.[2] Sunt, proinde, qui

[1] Prael. S. Sulp. n. 5; De Brab. l. c. p. vii.
[2] Soglia, vol. I. § 14.

priores fontes dicunt fontes *essendi*, quia ex iis *est* lex, posteriores vero fontes *cognoscendi*, quia ex iis *cognoscitur* lex.[1]

**12.** Agimus autem hic de fontibus juris canonici, tum stricte, tum praecipue late sumptis. Nimis enim incommodum esset alterum ab altero disjungere. Dicitur juris canonici; id est, juris *generalis* seu *communis*, quae obligat in tota Ecclesia. Nam quoad jus *particulare* canonicum, tot sunt fontes quot sunt in Ecclesia superiores, qui jus particulare condere possunt.

**13.** *Quaer.* Quinam sint fontes juris canonici, in sensu proprio?

*Resp.* Tot habendi sunt fontes juris canonici, quot sunt vel fuerunt in Ecclesia legislatores. Porro quatuor legum ecclesiasticarum latores agnoscimus, nempe: Christum Jesum ipsius Ecclesiae fundatorem et legislatorem; Apostolos; Summos Pontifices; denique Concilia oecumenica. Quonam in sensu omnes hi quatuor fontes ultimatim reduci possint ad *unum*, nempe Romanum Pontificem, vide nostrum *Elements of Ecclesiastical Law*, vol. I. n. 10.

**14.** *Quaer.* Quinam sint fontes juris ecclesiastici, in sensu latiori?

*Resp.* Quae Christus Dominus docuit et praecepit, quaeve Apostoli tradiderunt, in Sacra Scriptura vel traditione servantur; quae vero a Summis Pontificibus aut a Conciliis oecumenicis sancita sunt, in Constitutionibus Summorum Pontificum et in canonibus Conciliorum generalium continentur. Hinc juris canonici fontes, latiori sensu, sunt: 1. Sacra Scriptura; 2. Traditio; 3. Constitutiones seu Decreta Summorum Pontificum; 4. Canones Conciliorum generalium, quibus addi placet, 5. Decreta SS. Congregationum Cardinalium; 6. Consuetudo; 7. Jus naturale; 8. Jus civile; 9. Scripta Sanctorum Patrum; 10. Jus ab Apostolis sancitum. De omnibus hisce fontibus pauca nunc dicenda.

[1] Sanguineti, Jur. Eccl. Priv. Instit. p. 27, 28. Romae, 1884.

## ART. II.

### SCRIPTURA SACRA.

(*The Sacred Scriptures.*)

**15.** *Quaer.* Qua ratione SS. Scripturae fontem constituant juris canonici?

*Resp.* 1° SS. Litterae V. T. continent praecepta (*a*) *judicialia* et *caeremonialia,* quae abolita fuerunt per Christum; (*b*) *moralia,* quae solum permanserunt.[1] Proinde, quod attinet ad praecepta moralia firmissima ex iis ducuntur argumenta in jurisprudentia canonica. Praecepta autem caerimonialia et judicialia V. T. multum quidem inserviunt ad illustranda capita juris ecclesiastici, sed non habentur proprie ut fons juris. (Vide nostrum *Elements,* l. c. n. 13.)

**16.** 2° Sacrae vero Scripturae Novi Testamenti sunt vero sensu fons juris canonici. Nam Evangelia (*the four Gospels*) continent leges a Christo summo Ecclesiae legislatore latas, quae constituunt fundamentum disciplinæ ecclesiasticae.[2] Reliqui vero N. T. libri—v.g. Epistolae SS. Petri, Pauli, praeseferunt leges ab Apostolis sancitas, imo, etiam leges promulgant a Christo latas.[3] (Nostrum *Elements,* l. c. n. 14.)

## ART. III.

### TRADITIONES.

(*Traditions.*)

**17.** *Quaer.* Quid et quotuplex sit traditio?

*Resp.* Ad 1$^{m}$. Traditio (*tradition*) in genere est doctrina seu institutio non scripta, sed verbis tradita. Traditiones, prout hic sumuntur, sunt Christi, Apostolorum, vel antiquorum Praesulum doctrinae et praxes, in Ecclesia stabilitae, quae a

[1] Sanguineti, l. c. p. 29.
[2] Prael. S. Sulp. n. 7.
[3] Soglia vol. I. § 18.

primis auctoribus non scriptae, sed verbis traditae sunt.[1] Dicitur *a primis auctoribus;* nomen enim Traditionum retinent, etsi postea scriptis fuerint consignatae.

**18.** Ad 2$^{m}$. Traditiones vel *divinae* sunt vel *humanae*. *Divinae* sunt quae ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu S. dictante, quasi per manus traditae, ad nos usque pervenerunt. Tales sunt, v.g., eae quae spectant ad materiam et formam Sacramentorum. *Humanae* sunt quae ab hominibus, Apostolis videlicet ut rectoribus ecclesiarum, vel eorum successoribus originem ducunt.[2] Quare traditiones humanae in apostolicas et ecclesiasticas dividuntur.

**19.** *Quaer.* Quaenam sit efficacia Traditionis uti fontis juris canonici?

*Resp.* Traditiones *divinae* summae profecto sunt auctoritatis in Ecclesia; immutabiles omnino, nullique potestati obnoxiae. Habent enim Deum ipsum auctorem. *Humanae* vero tantam habent vim, quantam leges ab iisdem auctoribus constitutae. Mutari possunt aut etiam penitus abrogari. (Nostrum *Elements,* vol. I. n. 15, 16.)

## ART. IV.

### JUS AB APOSTOLIS SANCITUM.

(*Laws enacted by the Apostles.*)

**20.** Jus canonicum originem trahit ab ipsis Apostolis, qui ad gubernandam Ecclesiam, in coetus (*councils, meetings*) aliquoties coeuntes, varias sanctiones condiderunt, et promulgarunt. Quatuor autem hujusmodi coetus celebrati sunt ab Apostolis, et quidem omnes Jerosolymis. *Primus* anno Christi 34, in quo Matthias suffectus est in locum proditoris Judae;[3] *secundus,* eodem anno, ubi ex septuaginta Christi discipulis electi sunt septem diaconi; *tertius,* anno Domini 51, in quo, inter alia, statutum est, ut conversi ex gentibus non circumciderentur; *quartus,* anno 56 vel 58, ubi, Judaeis credentibus

[1] De Brabandere, vol. I. p. xii. [2] Schmalzg. Prooem. n. 101.
[3] Act. i. 15.

permissus ad tempus est usus legalium, ut synagoga paulatim cum honore sepeliretur.[1]

**21.** Praeter ista decreta quae juris canonici quaedam quasi initia erant, traduntur Apostoli etiam quam plures constituisse canones, quos S. Clemens, discipulus et successor divi Petri, collegisse dicitur, tum in libro qui *canones Apostolorum* inscribitur, tum in octo libris *Constitutionum Apostolicarum*. Verum de horum librorum authenticitate magna est inter eruditos disputatio. (Vide nostrum *Elements*, vol. I. n. 17, 18.)

## ART. V.

### SENTENTIAE SS. PATRUM.

(*Teaching of the Fathers.*)

**22.** SS. Patrum sententiae ab Ecclesia probatae et in leges universales per Concilia aut per Romanos Pontifices transmutatae, jus canonicum constituunt. Illis etiam utendum est in negotiis, quae nec Conciliorum canonibus, nec Pontificum decretis definita sunt.

**23.** Ante saeculum sextum canonum collectionibus dicta Patrum non fuerunt inserta. In Oriente autem, primus, saeculo sexto, Joannes Scholasticus, in Occidente vero primus Regino, ineunte saeculo decimo, hoc egerunt. (Cf. Nostrum *Elements*, l. c. n. 20.)

## ART. VI.

### CONSTITUTIONES RR. PONTIFICUM.

(*Laws enacted by the Roman Pontiffs.*)

#### § 1. Potestas Legifera SS. Pontificum.

(*Legislative Power of the Supreme Pontiffs.*)

**24.** *Quaer.* An et qualiter penes S. Pontificem sit potestas ferendi leges ecclesiasticas?

[1] Schmalzg. l. c. n. 237.

*Resp.* 1° Ecclesia est *Societas* externa, perfecta et suprema, a Christo ipso instituta. Proinde ab ipso Domino accepit potestatem leges ferendi in subditos. Haec autem potestas (*a*), in sua *plenitudine*, ab ipso Christo concredita est Sancto Petro ejusque successori nempe Romano Pontifici;[1] (*b*) quoad *partem* vero, Episcopis, *quos Spiritus posuit regere Ecclesiam Dei*,[2] ita tamen ut saltem termini hujus Episcopalis potestatis a Romano Pontifice definirentur, non modo quoad *amplitudinem* verum etiam *quoad existentiam*.[3]

**25.** 2° Proinde Summus Pontifex, in persona Beati Petri, principis apostolorum, immediate[4] ab ipso Christo accepit supremam potestatem legislativam in universalem Ecclesiam. Et sane, hodie de fide est, ex definitione *Concilii Vaticani:* (*a*) "Beatum Patrum verae propriaeque jurisdictionis primatum a Domino Jesu Christo directe et immediate accepisse; (*b*) Romanum Pontificem esse Beati Patri in eodem primatu successorem; (*c*) et proinde Romanum Pontificem habere plenam et supremam potestatem jurisdictionis in universam Ecclesiam, etiam in iis quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae pertinent; et hanc potestatem esse ordinariam et immediatam."[5] Porro primatus jurisdictionis, seu *plena* et *suprema* potestas *pascendi, regendi* et *gubernandi* universalem Ecclesiam necessario includit potestatem supremam et universalem leges ferendi, quae omnes omnino obligant fideles.[6]

**26.** 3° Potest autem Summus Pontifex condere leges quae tum particulares ecclesias tum ecclesiam universalem obstringunt, *independenter ab acceptatione*, sive fidelium, sive Episcoporum, sive potestatis saecularis.[7] Ergo leges Pontificiae promulgari, et ligare possunt in omnibus mundi partibus, absque placito aut consensu potestatis saecularis. Sic enim

[1] S. Matth. xvi. 18; S. Jo. xxi. 15–18.

[2] Act. xx. 28.

[3] Sanguineti, n. 62.

[4] Non mediante Concilio, seu Congregatione Cardinalium. Non enim legislativam potestatem Christus contulit ecclesiae, ut haec illam in Petrum transferret, sed immediate Petro, ut ab illo in successores derivaretur.

[5] Conc. Vatican, sess. iv.

[6] Prael. S. Sulp. n. 77.

[7] Patet etiam quod Pontifex leges ferre possit, absque consilio vel consensu, sive Cardinalium, sive Concilii generalis.

decrevit *Concilium Vaticanum:* "Reprobamus illorum sententias qui hanc Supremi Capitis cum pastoribus et gregibus communicationem licite impediri posse dicunt, aut eandem reddunt saeculari potestati obnoxiam; ita ut contendant, quae ab Apostolica Sede, vel ejus auctoritate ad regimen Ecclesiae constituuntur, vim . . . non habere . . . nisi potestatis saecularis *placito* confirmetur."[1]

**27.** Hinc falsa omnino est sententia illorum qui contendunt Gubernio seu potestati civili jus esse Constitutiones Ecclesiasticas sive a Summo Pontifice, sive ab Episcopis conditas, antequam promulgentur, publicae utilitatis causa, inspiciendi, atque adeo promulgandas non esse nisi principes seu gubernatores (*civil rulers*) saeculares id permiserint. Quae quidem permissio *Placitum, Placitum regium, Exequatur, Regium Pareatur* aliisque hujusmodi vocabulis nominant.[2]

**28.** *Leges S. Pontificis relate ad nostrum gubernium civile.*—Gubernium autem Civile hujus Reipublicae Statuum Foedere junctorum Americae Septentrionalis, nunquam sibi praetensum hujusmodi jus placiti arrogavit, neque unquam jure arrogare potest. Fundamentalis enim lex nostra civilis est: "Coetus supremus legislatorum (*Congress*) nullam ferat legem circa religionem aliquam; neque prohibeat liberum religionis alicujus exercitium."[3] (Vide nostrum *Elements*, vol. I. n. 21–34.)

## § 2. Promulgatio Legum S. Pontificis.

(*Promulgation of Papal Laws.*)

**29.** *Quaer.* Quid sit promulgatio, et an semper sit necessaria?

*Resp.* 1°. Promulgatio est publicatio seu enunciatio legis sat publice facta (*to make the law publicly known*), ut morali-

[1] Sess. iv. cap. 3. [2] Soglia, vol. I. § 26.

[3] Congress shall make no law respecting an establishment of religion, or prohibiting the free exercise thereof. (Art. I., Amendments of the Const. of the U. S.)

ter possit ad totius communitatis notitiam pervenire. Est tritum sermone proverbium "legem sive civilem, sive ecclesiasticam non obligare, nisi fuerit sufficienter promulgata." Quod verissimum est. Ipsa enim naturalis ratio postulat legem *intimari debere ei quem concernit* (*should be made known to all whom it concerns.*)

2° Omnes tamen consentiunt minime requiri ut lex *singulis privatis* innotescat, sed sufficere si sat publice notificetur communitati, ut omnes pro quibus fertur, moraliter valeant illam cognoscere.

**30.** 3° Spectato solo jure naturali, non est de essentia legis, ut ejus promulgatio *certo et determinato ritu fiat, aut certis et determinatis locis lex publice affigatur vel proclametur,*[1] sed satis est ea promulgatio, quae necessaria et sufficiens est, ut lex morali et humano modo devenire possit in notitiam subditorum.

**31.** *Quaer.* Utrum Constitutiones seu leges S. Sedis debeant in singulis provinciis ecclesiasticis vel dioecesibus promulgari ut vim obligandi habeant?

*Resp.* Agitur de constitutionibus *disciplinaribus.* Quoad enim Constitutiones *dogmaticas,* omnes fatentur, eas universos Christi fideles obligare, eo ipso quod certum est eas prodiisse a Sancta Sede.[2]

**32.** Hisce praemissis, respondemus: Sententia quae hodie communis esse videtur, tenet leges a S. Pontifice latas pro universali Ecclesia omnes omnino fideles obligare per solam promulgationem Romae factam, nisi aliter constet de mente Pontificis. Probatur haec sententia ex praxi quae Romae viget. Nam legislatoris est modum determinare quo lex promulgetur. Porro hodierna promulgandi leges pontificas ratio fere in eo consistit ut Bullae promulgentur Romae, affigantur in acie Campi Florae (*in the public square called Flora*), et ad valvas (*doors*) Basilicae Apostolorum, necnon in Cancellaria Apostolica, ut pro publicis habeantur.[3] (Nostrum *Elements,* n. 37-43.)

[1] Soglia, vol. I. p. 46.
[2] Prael. S. Sulp. 83, 84.
[3] Craiss. n. 41.

## § 3. Variae Species Constitutionum S. Sedis.

*(Various Kinds of Papal Laws.)*

**33.** SS. Pontifices suam jurisdictionem explicant, et jura, officia, caeterasque res sacras, sive Ecclesiae universalis, sive ecclesiarium particularium, sive etiam privatorum fidelium moderantur per constitutiones. Hae autem constitutiones (*regulations, laws*) necnon canones Conciliorum generalium sunt praecipui rivuli, per quos legislatio Ecclesiastica ad nos defluit.

**34.** *Quaer.* Quotuplicis generis sint Constitutiones S. Pontificis?

*Resp.* Constitutiones S. Pontificis dividuntur: I. *ratione materiae*, in *dogmaticas* et *disciplinares.* Illae quaestiones fidei et morum definiunt; istae res disciplinares, et externam Ecclesiae politiam stabiliunt. De solis constitutionibus disciplinaribus hic loquimur.

**35.** II. *Ratione eorum quos obligant,* (*a*) in ordinationes (*ordinances, enactments*), *communes,* quae aliquid determinant pro tota Ecclesia, aut pro aliqua saltem illius porte, v.g., pro nostris Statibus Unitis; (*b*) et in ordinationes *particulares,* quae aliquid determinant pro aliqua *persona privata* aut pro negotio *transitorio.*

Litterae Apostolicae Sedis quae continent ordinationes communes vocantur *constitutiones, decreta, decretales epistolae, litterae Encyclicae.* Litterae autem quae praeseferunt ordinationes particulares nuncupantur *rescripta.* Rescripta subdividuntur praecipue in rescripta *gratiae* et *justitiae.* (Nostrum *Elements,* l. c. n. 44–49.)

**36.** III. *Quoad formam,* in *Bullas* et *Breves.* Omnes enim litterae S. Pontificis eduntur, generatim loquendo, sub forma Bullae aut sub forma Brevis. Bullae pro gravioribus, breves pro levioribus negotiis dari solent. Bullae (*Papal Bulls or ordinances*) incipiunt: *Leo servus servorum Dei;* Breves (*Papal briefs*): *Leo Papa XIII.* Diximus *generatim;* Siquidem, hodie litterae Apostolicae extra utramque hanc formam aliquando eduntur.

**37.** Olim omnes bullae munitae erant sigillo plumbeo vel aureo (*leaden or golden seal*) filis sericis vel canabeis membranae appenso (*appended to the bull by a silken or hempen cord*), et exaratae erant charactere theutonico (*in old-style letters*). At S. Pontifex, Leo XIII., die 29 Decembris, 1878, statuit ut deinceps, omnes litterae Apostolicae (*a*) communi latino charactere (*in the ordinary Latin mode of writing*) exscriberentur, (*b*) et illae solae plumbeo sigillo munirentur, quae respicerent erectionem, dismembrationem, et collationem Beneficiorum majorum, aut alia acta S. Sedis solemnia; (*c*) reliquae vero, v.g., quae continent dispensationes matrimoniales,—ornarentur impresso sigillo rubri coloris referente imagines ipsorum Apostolorum Petri et Pauli (*with a red seal impressed on the paper, and containing the images of SS. Peter and Paul*), inscriptione regnantis Pontificis circumducta.[1] (Nostrum *Elements*, l. c. n. 48, ed. 6ª.)

## ART. VII.

### RESOLUTIONES ET DECRETA SS. CONGREGATIONUM CARDINALIUM.

(*Decisions and Decrees of the Committees of Cardinals.*)

**38.** *Quaer.* Quid sint Sacrae Congregationes?

*Resp.* Congregationes Sacrae seu Romanae sunt Commissiones (*Committees*) praesertim ex Cardinalibus conflatae, quibus utitur S. Pontifex ad diversa Ecclesiae negotia expedienda. Duae autem sunt species SS. Congregationum: 1. Congregationes ordinariae (*ordinary, standing, permanent Committees*); 2. Congregationes extraordinariae (*special, temporary, extraordinary Committees*). Hodie 12 numero computantur Congregationes ordinariae pro generali totius Ecclesiae gubernio, scilicet: Concilii, Episcoporum et Regularium, Rituum, de Prop. Fide, etc., etc. (Nostrum *Elements*, n. 75, 76.)

**39.** Hic agitur solummodo de efficacia (*force*) decretorum quae a SS. Congregationibus emanant. Nam loquimur heic

[1] De Brab. vol. I. p. xviii.

de SS. Congregationibus, quatenus pollent auctoritate decreta edendi, in sua sphaera, pro toto orbe terrarum, et proinde quatenus constituunt fontem juris canonici. Inferius de variis SS. Congregationum officiis et praerogativis sermo erit.

**40.** *Quaer.* Quaenam sit auctoritas decisionum SS. Congregationum?

*Resp.* Praenotandum: Decreta, decisiones, responsa, resolutiones et declarationes SS. Congregationum triplicis sunt generis: 1° Decreta *particularia;* qualia sunt, v.g., quae litem seu controversiam inter Episcopum ejusque subditum dirimunt; 2° *Generalia,* in lato sensu; qualia sunt ea quae pro aliqua Natione seu regione eduntur; talis est, v.g., Instructio S. C. de Prop. Fide, *Cum Magnopere,* 1884, pro hisce Statibus Unitis. 3° *Generalia* proprie dicta, qualia sunt ea quae aliquid pro *toto orbe terrarum* statuunt. Porro decreta generalia proprie dicta iterum distinguuntur in decreta (*a*) *formiter* generalia, seu illa quae *expressis verbis* pro tota Ecclesia fiunt; v.g., quando illis praemittuntur haec verba; *Decretum Urbis et Orbis;* vel *Decretum generale;*[1] (*b*) et *aequivalenter* generalia; quando nempe dubium quod proponitur S. Congregationi generale est, v.g., si postuletur quo sensu sit intelligenda haec vel illa rubrica, et decisio pariter generalis emittitur.

**41.** Hisce praemissis, sic respondeo: 1° Porro decisiones *particulares* SS. Congregationum, sive in negotiis extrajudicialibus sive in negotiis judicialibus, procul dubio, verum faciunt jus et veram inducunt obligationem, *quoad personas* comprehensas in decisione, seu quoad *partes* vel *litigantes* ipsos.[2] Quaeritur, utrum etiam jus faciant et obligent, quoad personas extraneas in eadem conditione versantes, seu in casibus *similibus?* Sane nullum potest esse dubium, quin hujusmodi decisiones magni sint ponderis ad normam seu regulam constituendam pro casibus similibus. Ast jus proprie dictum non faciunt quoad casus similes.[3] Decisio enim in casu particulari considerari potest ceu sententia judicis vel superioris, quae ad personas extraneas haud extenditur. Insuper, verum quidem est

[1] De Brab. n. 239.
[2] Santi, Prael. l. i. t. 31, n. 45.
[3] Santi, l. c. n. 51.

SS. Congregationes decreta sua fundare, generatim loquendo, in legibus et principiis generalibus. Ast verum etiam est, eas aliquando, ex circumstantiis specialibus, *dispensative* casus decidere, et proinde *dispensare* seu recedere a lege generali, in sua decisione.

**42.** 2° Decisiones, instructiones seu decreta *generalia in lato sensu*, absque ullo dubio obligant Nationem, Provinciam, seu personas pro quibus eduntur. A pari, decreta quae sunt *expresse generalia*, leges constituunt pro tota Ecclesia. Quid vero dicendum de decretis *aequivalenter generalibus?* Pro responsione, vide De Brabandere, n. 241; Santi, l. i. t. 31, n. 46, 47, 48, 49, 50.

**43.** Quod autem supra dicta potestas competat SS. Congregationibus, patet ex ipsa potestate Cardinalium in sacris congregationibus. Nam hae Congregationes constituunt totidem Sanctae Sedis tribunalia; procedunt auctoritate et nomine Papae; et habent jurisdictionem *supremam* et *ordinariam* in iis rebus quae ipsis a constitutionibus apostolicis attribuuntur.[1]

**44.** Dicitur *suprema*, quia earum jurisdictio est ipsa S. Pontificis jurisdictio; earum tribunalia constituunt tribunal ipsius Papae. Dicitur *ordinaria;* quia haec potestas ipsis est *modo permanenti* demandata.[2] Hoc eo vel magis valet, quod SS. Congregationes res et negotia expedire non solent, antequam relatio de iis facta sit ad S. Pontificem per Secretarium S. Congregationis (*before the secretary reports to the Holy Father*). Hac de causa secretarius unicujusque congregationis semel in hebdomade audientiam habet cum Papa. In hac audientia de omnibus in S. Congregatione gestis S. Pontificem certiorem reddit, ejusque approbationem obtinet.[3] Hac ratione SS. Congregationes non solum potestatem judiciariam et coactivam, verum etiam legiferam exercent, quidquid Leurenius[4] in contrarium docere videatur.

[1] Santi, l. c. n. 42.
[2] Stremler, p. 507.
[3] Stremler, p. 541.
[4] L. i. t. 2, q. 64.

## ART. VIII.

### DE CONCILIORUM DECRETIS.

(*Decrees of Councils.*)

**45.** *Quaer.* Quid sit Concilium in genere?

*Resp.* Concilium (*a council*), si vim nominis spectes, est hominum multitudo in unum locum ad consulendum congregata[1] (*an assemblage or meeting of persons for the purpose of deliberating*). Itaque Concilii nomine, in re ecclesiastica, venit conventus seu coetus (*meeting*) auctoritate legitima congregatus ad tractanda negotia ecclesiastica, de quibus Episcopi pronuntiant. Concilia ecclesiastica dividuntur in *generalia* et *particularia*. Particularia autem subdividuntur in *nationalia, provincialia* et *dioecesana*. Decreta Conciliorum generalium obligant totam Ecclesiam, et proinde sunt fons juris communis; decreta vero conciliorum particularium constituunt fontes juris *particularis* tantum. Breviter, juxta morem, de singulis conciliis disseremus.

### § 1. CONCILIA GENERALIA.

(*General or Œcumenical Councils.*)

**46.** *Quaer.* Quid sit Concilium generale?

*Resp.* 1° Concilium generale, seu *universale*, graece *oecumenicum*, est conventus (*assemblage*) ad quem omnes totius orbis Episcopi Catholici, legitima auctoritate vocantur, ad majora Ecclesiae negotia pertractanda et assentiente S. Pontifice, definienda.[2] 2° Ut Concilium generale habeatur tria servare oportet: (*a*) Concilium indicendum est consensu et auctoritate Romani Pontificis, qui per se ipsum, vel per legatos suos Concilio praeëse debet; (*b*) Omnes vocandi sunt ex toto orbe Catholici Episcopi; quamquam nihil referat, quod omnes praesentes non sint; (*c*) denique Concilii acta a Pontifice sunt confirmanda.[3]

[1] Soglia, vol. I. § 33.
[2] De Brab. n. 263.
[3] Devoti, Proleg. § xxxviii.

**47.** *Scopus Concilii oecumenici.*—Generalium Conciliorum duo sunt potissimum fines, scilicet definire Catholicum *dogma*, atque ecclesiasticam *disciplinam* constituere. Atque illa quidem, quae in oecumenicis Conciliis de fidei dogmatibus sancita et a summo Pontifice approbata sunt, divinam obtinent auctoritatem; quae disciplinam respiciunt, habent vim legis universalis, et proinde constituunt unum ex fontibus juris communis. Verum hujusmodi canones qui de disciplina sunt, uti postulat ratio temporum, non raro immutantur.[1] Alia de hisce Conciliis vide in nostro *Elements*, l. c. n. 59 sq.

## § 2. Concilia Nationalia et Provincialia et Synodi Dioecesanae.

*(National and Provincial Councils and Diocesan Synods.)*

**48.** I. *Concilia nationalia seu plenaria* (*national or plenary councils*) ea sunt quae a Patriarchis vel Primatibus alicujus regni vel nationis celebrantur, convocatis totius ejusdem nationis Archiepiscopis et Episcopis. Olim potestas convocandi Concilium Nationale ad Patriarcham aut Primatem spectabat, re tamen prius ad Romanum Pontificem delata, utpote quae inter majores semper causas reputata est. Hodie vero, cum non existant Patriarchae vel Primates, qui jurisdictionem in universam aliquam ecclesiam nationalem exercent,[2] sed singulae provinciae regulariter sint a se invicem independentes, nullum Concilium nationale celebrari potest sine interventu Sedis Apostolicae, quae convocationi assensum praestet et praesidem constituat aliquem delegatum.[3]

**49.** Hoc valet etiam in hac regione. Nam nullus apud nos, adest Primas qui pollet jurisdictione in omnes horum Statuum Unitorum ecclesias. Siquidem Archiepiscopus Baltimorensis gaudet quidem praeëminentia *honoris* seu praerogativa *loci*, ita ut illi in Conciliis, coetibus et comitiis quibuscumque, tribuatur *praecedentia*, *princeps in sedendo locus*,

[1] Devoti, Proleg. § xxxix.

[2] Hodiedum Primatibus solum *honoris* nomen sine ulla jurisdictione relictum est.

[3] De Brab. n. 280, 281.

supra quosvis harum Provinciarum Archiepiscopos, nulla habita ratione promotionis seu ordinationis. Ast nulla gaudet *jurisdictione*, vi hujus praerogativae loci.[1]

**50.** II. *Concilia Provincialia* (*provincial councils*) ea sunt, ad quae Metropolita omnes suae provinciae ecclesiasticae Episcopos convocat, ad negotia totius provinciae tractanda.[2] Hodie Concilia provincialia saltem *tertio quoque anno* celebrari debent,[3] etiam nostris in Statibus foedere junctis.[4] Et reapse, in plerisque Statibus nostris Foederatis, fere singulis trienniis Concilia provincialia regulariter celebrantur. Ast in aliis praesertim Europae regionibus, tum temporum difficultate, tum civilium principum opera, tum aliis de causis, nulla est provincia ubi praetermissa non fuerit triennalis convocatio Conciliorum provincialium.[5]

**51.** *Quaer.* Quinam ad Concilium nationale et provinciale vocandi sint, etiam in hisce Statibus Foederatis?

*Resp.* Vide nostrum *Elements*, vol. I. n. 70, editio sexta, 1887.

**52.** *Quaer.* Quaenam negotia in Conciliis nationalibus et provincialibus pertractari debeant?

*Resp.* Olim causae graviores de fide et disciplina ecclesiastica in hisce conciliis agebantur. Verum hodie, reservatis causis majoribus S. Pontifici, non amplius in pertractandis fidei et morum, aliisque majoribus causis versantur, sed tantummodo in iis negotiis, quae ad rectam nationis vel provinciae administrationem pertinent.[6] De fide et moribus eatenus tantum possunt tractare, quatenus vi definitionis ab Ecclesia factae in errores animadvertunt, et Ecclesiae doctrinam clara instructione exponunt. Plura autem tractanda Synodo provinciali commisit Concilium Tridentinum, praesertim in Sess. 23, c. 1,

[1] S. C. de P. F. 15 Aug. 1858; cf. Conc. Plen. Balt. II. p. 343.
[2] Cf. Soglia, vol. I. § 37. [3] Conc. Trid. sess. 24, c. 2, de Ref.
[4] Conc. Pl. Balt. II. n. 57.
[5] *Schema Concilii Vaticani* de Episcopis, cap. 5, haec habet: "Metropolitanus *quolibet saltem quinquennio* Synodum in sua provincia cogere non omittat, nisi ob justas et canonicas causas a S. Sede ejusdem termini prorogationem obtinuerit."
[6] Soglia, l. c.

de Ref.; Sess. 24, c. 18, de Ref.; Sess. 25, c. 22, de regular.; Sess. 24, c. 3, 5, de Ref.; Sess. 25, c. 10, de Ref.[1]

**53.** *Quaer.* Utrum decreta Concilii nationalis et provincialis debeant submitti revisioni Sanctae Sedis antequam promulgentur, et quis sit effectus hujus revisionis?

*Resp.* Hodie exstat lex communis, qua decreta Concilii nationalis vel provincialis, antequam promulgentur, ad S. Congregationem Concilii transmittenda sunt.[2] Si autem hujusmodi Concilia celebrantur in locis Missionum, v.g. in nostris Statibus—ad S. Congregationem de Prop. Fide illorum decreta mittenda sunt. Decreta autem horum Conciliorum non submittuntur recognitioni (*revision, correction*) Sanctae Sedis, ut postea confirmationem ab ea reportent, sed ut corrigatur si quid fortasse in iis nimis rigidum, aut minus canonibus congruum deprehendatur. Aliquando tamen, ita petentibus Metropolitanis, per litteras apostolicas confirmantur.

**54.** Haec igitur duo, simplex recognitio (*revision*) et confirmatio (*approval, confirmation*), decretorum confundi non debent.[3] Vel enim sola intervenit S. Congregatio (quoad nos, S. C. de Prop. Fide) declarando nihil obstare quominus decreta promulgentur, vel Summus Pontifex Concilium positive approbat atque confirmat. In priori casu adest simplex recognitio, quae nihil addit decretis, sed quae tamen dat gravem praesumptionem nihil decretis contineri quod fidei, moribus, seu disciplinae adversetur.

**55.** In altero casu, adest vera confirmatio, quae tamen duplici modo dari potest; scilicet (*a*) *in forma communi*, (*b*) et *in forma speciali*. Jam vero Confirmatio Pontificia *in forma speciali* (*a*) reddit decreta leges pontificias, ita ut acquirant auctoritatem Apostolicam, licet tantum intra provinciam vel nationem, nisi aliter Pontifex expresserit; (*b*) supplet defectus juris qui in illis intervenerunt, et qui suppleri possunt ac solent a Romano Pontifice. Confirmatio vero Pontificis in *forma communi*, licet decreta valide et legitime facta corroboret et acceptiora reddat, nullum tamen effectum producit respectu decreti invalidi, quod in sua nullitate relinquit.

[1] De Brab. n. 298.
[2] Sixtus V. Const. *Immensa.*
[3] Prael. S. Sulp. n. 228.

Quoad signa confirmationis in forma specifica, vide nostrum *Elements*, vol. I. n. 170, 171.

**56.** Ergo datur appellatio ad S. Sedem, contra decreta Concilii tum provincialis tum nationalis, licet a S. Congregatione recognita et absque correctione remissa fuerint: quae tamen appellatio non suspensivum sed devolutivum dumtaxat effectum habebit.[1] Imo datur appellatio contra hujusmodi decreta, quando confirmata sunt a Pontifice in forma communi. Namque haec confirmatio, sicut et simplex S. Congregationis recognitio, non sanat defectus juris, si qui in decretis adsint.

**57.** *Quaer.* Quaenam sit auctoritas decretorum Concilii provincialis et nationalis, et quinam possint in eis dispensare?

*Resp.* Decreta ista obligant omnes et singulos de provincia vel natione, etiam Episcopos et Metropolitanos. Proinde constituunt unum ex fontibus juris ecclesiastici particularis. Quoad potestatem dispensandi in illis, vide nostrum *Elements*, n. 74; cf. Bened. XIV. De Syn. l. 13, c. 5, n. 8; De Brab. n. 304.

**58.** III. *Synodi dioecesanae* sunt, quae ab unoquoque Episcopo celebrantur, ad res ecclesiasticas suae dioecesis tractandas. Convocari debent *singulis annis.*[2] Variis autem de causis a longo jam tempore, Synodi dioecesanae praetermissae sunt, multis praesertim in Europae locis.[3] Quoad hosce Status Foederatos Americae Septentrionalis, Concilium Plenarium Baltimorense II. n. 67, statuit (*a*) Synodos has debere quidem *quotannis* celebrari; (*b*) Quod si id magno foret incommodo, Episcopos curare debere ut saltem post Concilium provinciale vel nationale celebrentur.[4]

**59.** *Quaer.* Quinam possint convocare Synodum dioecesanum?

*Resp.* Vide nostrum *Elements*, vol. I. n. 564.

[1] Bouix, de Episc., vol. II. p. 395.

[2] Conc. Trid. sess. 24, c. 2, de Ref.

[3] De Brab. n. 375.

[4] *Schema Concilii Vaticani*, de Episcopis, cap. 6, haec habet: "Quolibet saltem *triennio* dioecesanam synodum habendam statuimus, si vero legitimum impedimentum forsan obstiterit, ab Apostolica Sede congrua provisio postuletur" (apud Martin, Doc. p. 128).

**60.** *Quaer.* Quinam ad Synodum dioecesanam vocandi sint, etiam in hisce Statibus Foederatis?

*Resp.* Vide nostrum *Elements,* n. 565.

**61.** *Quaer.* Quinam obligentur Statutis Synodalibus, etiam apud nos?

*Resp.* Facta Synodalium Constitutionum (*Synodal Statutes*) promulgatione, statim ligant quotquot incolunt Episcopi dioecesim. Quin etiam regulares, eorum exemptione non obstante, parere coguntur his statutis, in iis quae respiciunt curam animarum (*the charge of souls*) sacramentorum administrationem, aliaque omnia in quibus subsunt jurisdictioni delegatae Episcopi.[1] Hinc patet, constitutiones synodales constituere unum ex fontibus juris ecclesiastici particularis.

**62.** Quemadmodum contra decreta Concilii nationalis et provincialis, ita a fortiori contra statuta synodalia datur appellatio ad S. Sedem in devolutivo.[2] Imo regularibus datur aliquando appellatio in *suspensivo.* Sic enim decrevit S. Pontifex Leo XIII., in sua Const. *Romanos Pontifices,* § *Proxima est* (1881): "Fas est Regularibus appellare *in devolutivo* tantum, quoad interpretationem decretorum Synodalium, quae de jure communi, sive ordinario sive delegato, Regulares etiam afficiunt; quo vero ad interpretationem aliorum decretorum, etiam *in suspensivo.*" (Vide nostrum *Elements,* vol. I. n. 563–567.)

## ART. IX.

### DE CONSUETUDINE.

(*On Custom.*)

### § 1. Notio et Diversae Species Consuetudinis.

(*Correct Idea and Division of Custom.*)

**63.** *Quaer.* Quid sit Consuetudo?

*Resp.* Consuetudo (*custom, usage, manners*) est *jus non scriptum, et moribus populi inductum, cum expresso, vel tacito, vel saltem legali consensu legislatoris.* Dicitur 1°

[1] Conc. Trid. sess. 25, cap. 11, de regular. [2] De Brab. n. 385.

*Jus* (*law*), id est *lex;* nam consuetudo legitima vim habet legis. Dicitur 2° *non scriptum* (*unwritten law*); quia vim legis obtinet ab *usu diuturno* (*long-established usage*), non vero a positiva aliqua legislatione.

**64.** Dicitur 3° *Moribus populi inductum* (*introduced by the habits of the people*); hinc videndum quid *moris,* quid *populi* appellatione veniat. Jam vero *mos* (*manners, habits*) est *habitus* quidam agendi, adeoque exigitur ut hujusmodi actus positi fuerint qui *habitum* (*habits*) induxerint, id est *non rari, non difformes,* sed *frequentes, uniformes, constantes.*[1]

*Populi* (*people*) vero nomine intelligitur non solum *societas perfecta,* sed etiam collegium (*a body corporate*) cui permissum sit proprias sibi condere leges, v.g. capitula canonicorum, communitates religiosae, etc. Proinde nulla potest haberi consuetudo ubi nullus adest populus, in sensu stabilito. Potest consuetudo etiam induci a certa classe personarum, v.g. a clero alicujus dioecesis, imo a persona publica; quia regi possunt hujusmodi status personarum, et publica officia, lege speciali.[2]

**65.** *Variae species consuetudinis.* Consuetudo dividitur praecipue 1° in eam quae est secundum jus (*in accordance with the existing law*), praeter jus (*outside though not opposed to the law*), et contra jus (*contrary, directly opposed to the law*); 2° in *generalem,* quae vim habet in toto orbe; *et particularem,* quae locum habet vel in aliqua provincia, vel etiam in aliqua tantum urbe, pago,[3] etc.

**66.** Ex hactenus propositis discrimen elucet quod inter *consuetudinem* et *praescriptionem* intercedit. Nam (*a*) praescriptio (*prescription, title acquired by possession*) non continetur *moribus* populi, sed *possessione vel quasi possessione* etiam privatae personae; (*b*) non constituit legem, sed defert dominium vel quasi dominium (*ownership*).[4] Vide nostrum *Elements,* n. 85.

[1] Sanguineti, n. 94.
[2] Prael. S. Sulp. n. 11.
[3] Ferrari, Summa, n. 55.
[4] Sanguineti, n. 97.

## § 2. Conditiones Consuetudinis.

(*Characteristics, Attributes of Custom.*)

**67.** *Quaer.* Quae conditiones requirantur ut consuetudo habeat vim legis?

*Resp.* Aliae requiruntur ex parte communitatis, aliae ex parte legislatoris, aliae denique ex parte ipsius consuetudinis.

**68.** I. *Ex parte Communitatis* (*on the part of the people or community*), necesse est ut consuetudo inducatur (*a*) a *majori* parte communitatis (*by the majority*); (*b*) per actus *liberos* (*by acts which are free*); (*c*) cum intentione saltem implicita *obligationem* inducendi, vel legi *derogandi,* prout consuetudo est praeter vel contra legem.[1] Vide has conditiones uberius explicatas in nostro *Elements,* vol. I. n. 87.

**69.** II. *Ex parte legislatoris* (*on the part of the lawgiver*), requiritur ut consuetudo ad *legislatoris voluntatem* aliquo pacto referatur. Etenim consuetudo est lex; porro sine legislatore lex non potest concipi. Hinc nulla consuetudo valere aut induci potest si legislator *positive* dissentiat. Item quaelibet consuetudo per novam legem aboleri potest. Legislator autem in casu, cujus voluntas requiritur est Summus Pontifex, si agatur de consuetudine quae est contra legem *universalem;* et Episcopus, si sermo sit de consuetudine contra legem particularem dioecesanam.

**70.** *Quaer.* Qualis requiratur consensus legislatoris?

*Resp.* 1° Triplici modo potest consentire legislator; *expresse, tacite, legaliter.* Consensus expressus nulla indiget explicatione. Consensus tacitus (*tacit consent*) locum habet quando legislator cognitam habet consuetudinem, et tamen non contradicit, quamvis, commode reclamare posset. Consensus dicitur legalis (*legal consent*), quatenus in lege fundatur. Siquidem lex praesumit legislatorem velle ut consuetudines legitimae suam vim obtineant, *licet eas ignoret.*[2]

2° Porro certum est non requiri ut legislator expresse consuetudini consentiat. Necessarius autem omnino est et sufficit

[1] Prael. S. Sulp. n. 14. [2] Sanguineti, n. 93.

consensus legalis.[1] A fortiori sufficit etiam consensus tacitus. (Vide nostrum *Elements*, vol. I. n. 89, 90.)

**71.** Ex dictis sequitur quod quando S. Pontifex scit vigere in aliqua regione aliquam consuetudinem praeter vel contra jus commune, et silentium super eam servat, *cum facile posset* suo verbo eam revocare, praesumitur eam probare aut saltem tolerare. Dicitur *si facile posset*, etc.; nam aliter res se haberet, si facile reclamare non posset, v.g. si timenda sint ex reclamatione majora mala ob personarum perversitates, aut temporum peculiaria adjuncta. In his casibus Pontifex servat silentium oeconomicum (*prudent silence*) seu silentium vel ex necessitate, vel ex rationibus prudentiae.[2]

**72.** III. *Ex parte ipsius consuetudinis* (*on the part of custom itself*), consuetudo debet esse (*a*) *rationabilis,* (*b*) et *legitime praescripta.* Sic enim ait Gregorius IX. (1229): "Licet longaevae consuetudinis non sit vilis auctoritas, non tamen est usque adeo valitura, ut vel juri positivo debeat praejudicium generare, nisi fuerit *rationabilis,* et *legitime* sit *praescripta.*"[3]

Porro *rationabilis* (*reasonable, good*) habenda erit consuetudo quando tale erit ipsius objectum quod potuisset esse objectum justae legis. Nam consuetudo est *lex.* Proinde debet legis elementa essentialia habere. Unde non debet adversari juri *naturali* aut *divino,* nec a jure canonico *reprobari,* nec praebere licentiam vel occasionem *peccandi,* nec esse *communi utilitati perniciosa,* nec per eam rumpi debet nervus *ecclesiasticae disciplinae.*

**73.** *Legitime praescripta* (*lawfully prescribed*) dicitur consuetudo, quatenus lapsu annorum a jure requisito (*when it has the time prescribed by law*) roboretur et confirmetur. At quaeritur quod tempus requiratur ut legitime praescribatur consuetudo. Omnes consentiunt sufficere spatium *decem annorum* ad praescribendam consuetudinem quae est *juxta* vel etiam *praeter* legem.[4] Quoad consuetudinem *contra* jus, adstipulamur sententiae quae tuetur *decem annorum lapsu* (*ten*

[1] Prael. S. Sulp. n. 11.
[2] Ferrari, l. c. n. 56, note 10; Prael. S. Sulp. vol. I. p. 16.
[3] Cap. 11, de Consuet. (i. 4).
[4] Santi, l. i. tit. 4, n. 11, 12.

*years*) quamcumque legem canonicam per consuetudinem praescribi et auferri.'[1] (Nostrum *Elements*, vol. I. n. 91–93.)

**74.** Hic notandum est consuetudinem praescribere posse non solum contra *leges*, verum etiam contra *jura* ecclesiastica (*not merely against laws, but also against the rights of persons*). Et sane, in controversiis de *jurisdictione ecclesiastica* et aliis hujusmodi causis, cum jura utrimque incerta sunt, concilia et Pontifices semper iis causam adjudicaverunt, qui consuetudine antiqua nitebantur.[2] Quodnam autem temporis spatium requiratur ut hujusmodi consuetudines seu potius praescriptiones vim legitimam habeant, vide in Prael. S. Sulp. n. 16.

### § 3. Effectus Consuetudinis.

(*Effects of Lawful Custom.*)

**75.** *Quaer.* Quinam sint effectus legitimae consuetudinis?

*Resp.* Consuetudo legitima pro lege accipitur et facit jus non scriptum; et proinde obligare potest non secus ac lex scripta.[3] Proinde consuetudo legitima sequentes producit effectus: 1. Legem authentice interpretatur. Hinc axioma: Consuetudo est optima legum interpres;[4] 2. Legem praeëxistentem abrogat; 3. Novam inducit legem.

### § 4. Abrogatio Consuetudinis.

(*How Customs are Abolished.*)

**76.** *Quaer.* Quot modis consuetudo legitime cessare seu tolli possit?

*Resp.* 1° *Per legem posteriorem legislatoris* (*by subsequent laws*).—Nam tota consuetudinis vis pendet a voluntate saltem tacita vel legali legislatoris. Proinde, quando legislator consuetudini resistit, ferendo legem ei contrariam, vim illi aufert. Per legem *generalem* autem non derogatur consuetudini *particulari* locorum, nisi talis consuetudinis aut fiat *mentio expressa* in lege, vel saltem apponatur clausula dero-

[1] Cf. Santi, l. c. n. 15.
[2] Soglia, vol. I. § 21.
[3] Leur. For. eccl. l. i. t. 4, q. 403.
[4] Cap. 8, de Consuet. (i. 4).

gatoria cujuscumque consuetudinis contrariae. Sub qua clausula vero non venit *centenaria* vel *immemorialis* consuetudo (*immemorial custom*), quae non abrogatur, nisi legislator, in lege sua, expresse caveat se velle abrogare quamcumque consuetudinem *etiam* immemorialem.[1] (Vide nostrum *Elements,* l. c. n. 95.)

2° *Per aliam consuetudinem positive contrariam.* (Nostrum *Elements,* l. c. n. 99.)

3° *Per legem anteriorem* (*by prior laws*).—Per legem anteriorem hic intelligitur lex quae prohibet omnes *futuras* consuetudines legi contrarias. (Nostrum *Elements,* n. 96.)

## ART. X.

### DE JURE NATURALI.

(*Natural Law as a Source of Canon Law.*)

**77.** *Quaer.* Quid sit jus naturale, et quae sit ejus efficacia relate ad jus canonicum?

*Resp.* Nemo dubitat, quin sibi a Deo legem in animo insitam esse sentiat, qua bonum a malo, honestum a turpi, justum ab injusto possit secernere.[2] Haec autem naturae lex est, sive jus naturae (*the law of nature*). Omnes autem consentiunt jus hoc naturae maxime valere ad legum *aequitatem* demonstrandam, atque ad easdem leges rite recteque interpretandas, et proinde, hoc sensu, constituere fontem juris canonici.[3] Quas autem regulas sequi expediat, quando quaestio est de applicatione juris naturalis in jurisprudentia canonica, vide apud Soglia, vol. I. § 40.

[1] Ratio est, quod cum legislator, in casu censeatur *ignorare* consuetudines particulares, censetur quoque illis non velle derogare. (Leur. l. c. q. 407.)

[2] Catech. Rom. de Decal. Observ.

[3] Soglia, vol. I. § 39.

## ART. XI.

### JUS CIVILE.

(*Laws of the Secular Authority.*)

**78.** I. *Utilitas juris civilis.*—Cum utraque potestas—ecclesiastica et civilis—a Deo ordinata sit ad justitiam concorditer servandam, inde infertur analogiam et consortium existere inter jurisprudentiam canonicam et civilem. Quapropter non utilis tantum, sed et necessaria est aliqualis notio juris civilis (*secular laws*) praesertim romani prout continetur praecipue in codicibus Theodosii et Justiniani imperatorum. Plures enim ex hoc jure romano leges Ecclesia desumpsit et suas fecit, praesertim in judiciis.[1]

**79.** II. *Regulae in usu juris civilis servandae.*—Notandum est, nonnullas leges juris romani a SS. canonibus probatas fuisse, alias vero correctas, caeteras silentio praetermissas.[2] Quas Ecclesia probavit et recepit, a nobis sunt recipiendae; rejiciendas vero vel totaliter vel in parte, quas ipsa improbavit vel correxit; quas tandem silentio praeterivit, tacite approbatae videntur, si rem spectent mere profanam, nec ulla ex parte canonibus adversentur.[3] Hae autem regulae legibus civilibus hodiernis etiam applicari possunt.[4]

[1] Lucius III. cap. 1, de nov. op. nunt. (v. 32).
[2] De Brab. p. xxix.
[3] Bened. XIV. De Syn. l. 9, c. 14.
[4] Huguenin, Exp. Meth. Jur. Can. n. 39, 40.

# CAPUT III.

## DE JURIS CANONICI COMMUNIS COLLECTIONIBUS.

*(Collections of the General Laws of the Church.)*

## ART. I.

### DE COLLECTIONIBUS GENERATIM.

*(Collections in General.)*

**80.** I. *Earum origo.*—Patefactis fontibus juris canonici, reliquum est ut videamus, quemadmodum ab iis fontibus deducti sint canones atque in unum corpus collecti.[1] Duobus et forte etiam tribus prioribus Ecclesiae saeculis (*in the first two or three centuries of the Church*), sola divina scriptura, et regulis ab Apostolis et viris Apostolicis veluti per manum traditis, administrata est Ecclesia, tum in Oriente, tum in Occidente.[2]

**81.** Aucto vero magis in die Christianorum numero major inde extitit necessitas legum ecclesiasticarum, quae distincte ac determinate ea quae ad bonum Ecclesiae spectabant praeciperent, quae noxia erant vetarent. Huc maxime pertinent canones Conciliorum necnon Romanorum Pontificum epistolae decretales.[3]

**82.** Pronum igitur erat, ob excrescentem canonum numerum necessitatem agnoscere eos in *ordinatam aliquam compingendi* collectionem (*to gather them into a body*), et in unum corpus conferre; idque reapse factum est, primum in Orientali, dehinc in Occidentali Ecclesia. Hae autem collectiones seu codices ipsa sui penu et successione certam ac sin-

[1] Cf. Devoti, Proleg, cap. 5, n. 51. [2] Bouix, de Princip. p. 442.
[3] Sanguineti, l. c. p. 6.

ceram sacri juris *historiam* ditissime recondunt et authentica voce edicunt.

**83.** II. *Earum auctoritas.*—Sola canonum in unum codicem collectio nullam eisdem canonibus auctoritatem addit. Atque inde canones in unum codicem *privata auctoritate* collecti non aliam auctoritatem obtinent, praeter eam, quam acceperunt ex fontibus unde desumpti sunt. Itaque ut canones ratione collectionis vim aliquam consequantur, oportet collectionem ipsam esse *authenticam* id est, auctoritate Summi Pontificis, aut *factam*, aut *editam*, aut *approbatam*.[1] (Nostrum *Elements*, vol. I. n. 135.)

De praecipuis collectionibus pauca nunc indigitemus, et quidem primo de collectionibus Orientalibus; deinde de Occidentalibus.

## ART. II.

### COLLECTIONES ECCLESIAE ORIENTALIS.

(*Collections of the Eastern or Greek Church.*)

**84.** *Quaer.* Quaenam sint praecipuae Collectiones Ecclesiae Graecae seu Orientalis?

*Resp.* Sequentes: I. *Celebris et antiquissima collectio in Chalcedonensi Concilio anno* 451 *commemorata.*—In *actione IV. et XI.* hujus Synodi in memoriam revocata fuit quaedam regula *tamquam ex Codice depromptu,* quae est ipsemet canon 5 Concilii Antiocheni. Insuper plures alii canones ejusdem Concilii Antiocheni I. allegantur a Concilio memorato Chalcedonensi tanquam 83 et 84 *alicujus codicis.* Ergo extabat et in usu erat, in Ecclesia orientali, jam ante Concilium Chalcedonensi, codex seu collectio canonum vel legum ecclesiasticarum. Quo auctore et tempore prodierit est incertum.[2] (Vide nostrum *Elements*, n. 141.)

**85.** II. *Collectio Joannis Scholastici.*—Primae collectioni supradictae canones Apostolorum, Ephesinos, Sardicenses, Chalcedonenses, et regulas 68 ex Epistolis S. Basilii desumptas adjecit Joannes cognomento (*surnamed*) Scholasticus, pres-

[1] Soglia, l. c. § 45; Sanguineti, n. 26. [2] Bouix, de Princip. p. 415.

byter Antiochenus. Suam collectionem in 50 titulos, non ordine chronologico, sed prout materiae postulabant, redegit. Paulo post (A.D. 564) idem Joannes ad Sedem Constantinopolitanam evectus, leges plures *auctoritatis civilis* (*laws of the secular authority*), praesertim ex Justiniani Codice depromptas, servato eodem ordine rerum, collectioni suae adjecit. Unde extitit prima origo *Nomo-canonum*, id est, collectionum in quibus canones *ecclesiastici* cum legibus *saecularibus* seu imperialibus conjunguntur. Haec collectio vitio non vacat. (Nostrum *Elements*, n. 142.)

**86.** III. *Collectio Photii Pseudo-Patriarchae Constantinopolis.*—Anno 858 Photius suum edidit *Nomo-canonem* in 14 titulos divisum, in quo virus Schismatis continetur.

Haec de collectionibus orientalibus praelibasse sufficiat. Nunc ad Occidentem et Romanam praesertim Ecclesiam gradum faciamus.

## ART. III.

### COLLECTIONES ECCLESIAE OCCIDENTALIS.

(*Collections of the Western Church.*)

**87.** Serius in Latina seu Occidentali Ecclesia quam in Graeca seu Orientali, canonum collectiones adhiberi coeperunt. Praecipuae autem collectiones canonum Ecclesiae Occidentalis sequentes numerantur.

**88.** I. *Collectio Dionysii Exigui, saeculo sexto.*—Fuit hic Dionysius cognomento Exiguus (*surnamed the Little, because of his humility*), instituto monachus, doctrina vero et vitae integritate praeclarus. Romam venit post obitum Gelasii Papae (✠ 496); obiit circa annum 536 vel 540. Suam canonum collectionem composuit, in usum Ecclesiae Latinae, *sexto ineunte saeculo.* An vero latinae Ecclesiae Codex aliquis ante Dionysianam collectionem, exstiterit; quis ejus auctor, res parum explorata est.

**89.** Dionysiana collectio in duas distinguitur partes: prima pars *Conciliorum canones*, altera *Romanorum Pontificum decretales epistolas* complectitur, a S. Siricio (385–398) usque ad Anastasium II. (496–498). Haec collectio percele-

bris privata auctoritate confecta est, sed tamen ab Ecclesia Romana recepta et probata fuit.'[1] (Nostrum *Elements*, vol. I. n. 148 sq.)

**90.** II. *Collectio Isidori Mercatoris nono saeculo.*—Collectio canonum quae Isidori Mercatoris vel Peccatoris vulgo dicitur, ineunte saeculo IX prodiit. Quis fuerit iste Isidorus nondum certo constat.[2] Haec autem collectio exhibet 50 priores Canones Apostolorum; Epistolas priorum Pontificum a S. Clemente usque ad S. Silvestrem; decreta Nicaeni et aliorum Conciliorum; postremo reliquas SS. Pontificum decretales usque ad Gregorium M. Celebris evasit haec collectio ob insertionem in ea factam multarum falsarum decretalium.

**91.** *Quaer.* Quae sint notatu digna circa hanc collectionem?

*Resp.* Sufficiat hic ea quae sequuntur de hac collectione innuere. 1° Haec collectio facta est saeculo IX mediante vel paulo ante; et verisimillimum est eam inter annos 829 et 857 prodiisse. 2° Neque Romae, neque a Romanis Pontificibus falsae illae decretales confectae sunt. 3° Certum est Isidorianam collectionem tantum auctoritatis apud omnes consequutam esse, quanta sinceris verisque canonibus debetur. 4° Hinc theologi omnes, canonistae et Concilia ipsa documentis hujus collectionis usi sunt per annos fere septingentos, id est a saeculo IX usque ad saeculum XV, nemine suspicante eadem esse supposita et mentita. 5° Primus omnium qui tranquillam Isidori possessionem turbavit fuit Cardinalis Cusanus (✠ 1464). 6° Hodie certum est plura in ea collectione esse authentica; reliqua impostoris fraude confecta, nominatim Decretales Pontificum a Clemente I. ad Melchiadem. 7° Falsum omnino est immutatam prorsus fuisse ex falsis Decretalibus hujus collectionis antiquam Ecclesiae disciplinam, ac nominatim inde aucta fuisse jura Primatus Romani Pontificis.'[3] (Nostrum *Elements*, n. 152.)

[1] Soglia, l. c. § 50.

[2] Dicit tamen Huguenin, n. 184: "Sed nunc tandem compertum est falsarium (Isidorum) esse Benedictum, diaconum Otgari, Episcopi Moguntini, anno 835 damnati, ob rebellionem contra Ludovicum Primum." Cf. Card. Pitra, *Analecta Novissima*, 1885.

[3] Sanguineti, l. c. n. 21.

**92.** III. *Collectio Gratiani, anno* 1151.—Gratianus (Gratian) Clusii in Etruria natus (born at Chiusi in Tuscany, Italy), monasticam vitam sub regula S. Benedicti amplexus est Bononiae. Celeberrimam collectionem suam ibi edidit circa annum 1151. In ea canones aliaque monumenta, quae inter se dissidere videbantur, in concordiam studuit revocare. Hinc ejus collectio *Concordia discordantium canonum* vocata est, licet vulgo *Decretum* dici hodie soleat. Opus suum compegit ex locis S. Scripturae, ex Conciliis, ex sententiis Patrum, ex SS. Pontificum constitutionibus, ex jure civili Romano, etc.

**93.** Dividitur haec collectio in tres partes. *Prima* pars agit de *personis ecclesiasticis*, eorumque juribus et obligationibus (*rights and duties of ecclesiastical persons*), habetque 101 *distinctiones* (*distinctions*), divisas in canones seu capita. *Secunda* pars tractat de *judiciis*, eorumque materia et forma (*ecclesiastical trials*), et continet 36 *causas*, quarum unaquaeque dividitur in *quaestiones* (*questions*), quae iterum subdividuntur in canones (*canons or decrees*). Quaestio tertia causae 33 agit de poenitentia, et subdividitur in septem distinctiones. *Tertia* pars agit de *rebus sacris* (*sacred objects*) et constat 5 distinctionibus in canones subdivisis.

**94.** Magno plauso excepta fuit collectio Gratiani, ita ut, caeteris collectionibus neglectis, sola in scholis legeretur, ac in foro tanquam pars juris communis proponeretur. Imo in usu forensi adhuc est recepta, suam quadamtenus habet hodie auctoritatem, et corpori juris canonici est inserta.[1] Non tamen ut *authentica* haberi potest. Nam privato ipsius Gratiani arbitrio confecta fuit, et nunquam a S. Sede fuit auctoritate donata. Proinde vim legis non habet.[2] Multa in ea reperiuntur mendae. (Vide nostrum *Elements*, vol. I. n. 155, 156.)

**95.** IV. *Collectio Decretalium sub Gregorio IX.* (*Collection of Decretals under Gregory IX.*).—Gregorius IX. codicem seu collectionem jussit exarari, in qua resecatis quae vel antiquata erant vel minus utilia, apte disponeretur totius juris ecclesias-

[1] Sanguineti. n. 23.
[2] Bened. XIV., De Syn. l. 7, c. 15, n. 6.

tici corpus, quaeque vi legis polleret. Ea in re Pontifex usus est opera S. Raymundi de Pennafort, qui opus suum triennio (A.D. 1233 vel 1234) absolvit.

**96.** Collectio haec complectitur quinque libros, quorum primus agit de judicibus seu Praelatis Ecclesiasticis (*ecclesiastical judges and prelates*); secundus de judiciis civilibus (*ecclesiastical trials in civil causes*); tertius de rebus ecclesiasticis; quartus de connubiis; quintus de judiciis criminalibus (*ecclesiastical trials in criminal causes*), de delictis et poenis. Singuli dividuntur in titulos, tituli in capita.

**97.** Notandum est hanc collectionem approbatam fuisse cum omnibus suis partibus a Gregorio IX. Proinde *authentica* est, ideoque omnia et singula in ea contenta *generalis legis* auctoritate pollent, sive a Concilio *generali* vel *particulari,* sive a Summis Pontificibus, sive a Sanctis Patribus, sive ab alio quocumque scriptore vel fonte hausta sint.[1] Ipsimet *tituli* Decretalium (*the titles or headings*) sunt authentici, et proinde recte tanquam juris regulae allegantur.

**98.** *Decretalium* nomine collectio haec appellatur, quia *Decretales Epistolas* (*decretal letters*) SS. Pontificum praesertim complectitur.[2] Dicitur *praesertim;* nam continet non solum epistolas decretales, et quidem a S. Gregorio I. usque ad Gregorium IX., verum etiam loca S. Scripturae, decreta Conciliorum, etc. (Cf. nostrum *Elements,* vol. I. n. 157, 158.)

**99.** V. *Liber sextus Decretalium* (*the sixth book of Decretals*).—Novis quotidie in lucem editis constitutionibus SS. Pontificum post Gregorium IX., novam collectionem authenticam faciendam curavit Bonifacius VIII., anno 1298. Continet illa collectio tum *epistolas decretales* Gregorii IX., post ipsius collectionem promulgatas, et sequentium Pontificum, tum canones duorum Conciliorum oecumenicorum Lugdunensium (*Lyons*) annis 1245 et 1274. Dividitur in quinque libros; eadem servata titulorum et materiarum serie ac in collectione Gregorii IX. Vocatur *sextus* liber Decretalium (*the sixth book of Decretals*), quia est additamentum ad quinque libros Decretalium Gregorii IX. Vim legis universalis habet, sicut collectio Gregorii IX.

[1] Soglia, vol. I. p. 109.

[2] Devoti, Proleg. cap. 6, § 85.

**100.** VI. *Clementinae* (Constitutions of Clement V.) sunt constitutiones a Clemente V. vel ante, vel in, vel post Concilium oecumenicum Viennense (*Vienne in France*) latae, quas idem Pontifex compilari jussit, sed morte praeventus non evulgavit. Eas in lucem protulit Joannes XXII., Avenione (*at Avignon, France*) residens, anno 1317. Vim legis habent, non secus ac libri quinque Decretalium Gregorii IX., et liber sextus Bonifacii VIII.

**101.** VII. *Extravagantes.*—Haec collectio Decretales complectitur quae veluti vagantur extra collectiones prius factas (*wandering outside of the collections previously made*). Hinc nomen *Extravagantes.* Duplex est collectio, nempe *Extravagantium Joannis XXII.*, et *Extravagantium Communium.* Prima continet decretales Joannis XXII., altera Decretales complectitur sequentium Pontificum usque ad Xystum IV. Utraque collectio, privato studio vulgata, incerti auctoris est, et etiamnum ignoratur qua auctoritate in *Corpus juris* fuerit relata. Usu tamen recepta est, et uti authentica, Romanis Pontificibus haud contradicentibus, habetur.[1]

**102.** Praefatae collectiones, videlicet *Decretum Gratiani, Decretales Gregorii IX., Sextus Decretalium, Clementinae,* necnon *Extravagantes* sunt libri quibus in scholis atque in foro utimur, et quibus corpus juris canonici conflatum est.[2] Corpus autem hoc integrum juris canonici a Gregorio XIII. Romae diligenter fuit emendatum et editum anno 1580.[3] (Nostrum *Elements,* vol. I. n. 160–163.)

Quoad modum allegandi (*manner of quoting from*) textus depromptos ex corpore juris canonici, vide nostrum *Elements*, l. c. pp. 496 sq., editio 6*a*, 1887.

**103.** IX. *Collectiones juris novissimi.*—Editis collectionibus quas hactenus recensuimus, novae prodierunt et quotidie in lucem prodeunt (*a*) *SS. Pontificum constitutiones;* (*b*) habitum Concilium *Tridentinum;* (*c*) denique plures a *Sacris*

[1] Sanguineti, n. 37.

[2] *Postulatum* hoc in *Concilio Vaticano* factum est: "Ut adhibita opera virorum hujus temporis doctissimorum, *novum* juris canonici codicem digerere et Apostolica auctoritate munitum edere ne gravetur." (Martin, Doc. p. 197.)

[3] Devoti, Proleg. cap. 6, § 91.

*Congregationibus Cardinalium,* praesertim Concilii Tridentini interpretum, declarationes emissae sunt. Ex his omnibus conficitur jus novissimum. Nam uti vidimus jus novissimum constat legibus post clausum juris canonici corpus editis usque ad presentem diem.

**104.** *Quaer.* Quae sint collectiones juris novissimi?

*Resp.* Ad jus novissimum, uti modo diximus, pertinent: 1° *Constitutiones, Epistolae decretales* et *Bullae SS. Pontificum,* post clausum corpus juris id est a tempore Sixti IV. usque ad praesentem diem editis. Porro nulla prodiit *authentica* collectio harum Constitutionum pontificiarum. *Privatis* tamen curis editae fuerunt, et adhuc hodie eduntur in *Magno Bullario Romano* (*the great Roman Bullary, that is, the collection of Bulls or Papal laws*). Haec collectio, qua talis, auctoritatem seu vim legalem non habet. Mendis scatet. Huic bullario auctoritate praevalet *Bullarium* seu Collectio Benedicti XIV., in qua iste Pontifex Constitutiones suas ipse edidit, quaeque authentica est.

**105.** 2° *Decreta Concilii Tridentini.*—Partem *praecipuam* juris novissimi constituunt Concilii Tridentini decreta. Concilium hoc absolutum est a Pio IV. anno 1563. Constat 25 sessionibus (*meetings or sessions*), et unaquaeque ferme sessio duas habet partes, quarum prior complectitur *dogmata,* altera decreta quae *disciplinam* respiciunt ac propterea inscribitur *de reformatione.* Concilium Tridentinum typis, Romae, anno 1564, mandatum fuit.

**106.** 3° *Concilium Vaticanum.*—Hoc Concilium, quod convocatum fuit a Pio IX., quatuor habuit sessiones in Basilica Vaticana,[1] Romae, scilicet: primam die 8 Dec. 1869; secundam die 6 Jan. 1870; tertiam die 24 Aprilis 1870, in qua constitutio dogmatica *de Fide Catholica* publicata fuit; quartam denique die 18 Julii 1870, in qua Constitutio dogmatica prima de *Ecclesia Christi* edita est. Die 20 Octobris 1870, Pius IX., propter sacrilegam almae Urbis invasionem, Concilium *suspensum* declaravit. Nulla adest collectio authentica hujus Concilii.

**107.** 4° *Decisiones SS. Congregationum.*—Exstat sub

[1] Hinc appellatur Concilium Vaticanum.

titulo *Decreta authentica Congregationis SS. Rituum,* Collectio facta a Gardellini decretorum hujus S. Congregationis, quae authentica est. Suam quoque habet collectionem S. Congregatio Concilii, sub titulo *Thesaurus resolutionum S. Congr. Concilii.* Existunt etiam *privatis* curis editae *Collectio Declarationum* S. C. C., auctore Zamboni, necnon *Collectio omnium resolutionum S. C. C.,* auctore Pallottini.

**108.** En tota series monumentorum juris communis ab aevo Apostolorum ad nostram aetatem. Monumenta quibus componitur jus *particulare* seu *nationale,* inferius indicabuntur.

Praeter recensitos fontes, sunt quidam alii, qui non tam *juris* seu legis quam *juris interpretendi* fontes sunt; quatenus per se legem non efficiunt; sed ad recte judicandum prudentem regulam suppeditant. Huc pertinet doctrina (*the opinions*) scriptorum juris canonici, qui tamen consensum aliquem exhibent.[1]

## ART. IV.

### RUBRICAE, SUMMARIA ET GLOSSAE.

(*Titles or Headings, Summaries, and Glossae of the Corpus juris.*)

**109.** In corpore Juris Canonici, de quo locuti sumus, praeter capita seu canones occurrunt etiam Rubricae, Summaria, et Glossae. Operae proinde pretium est pauca de illis in medium proferre.

**110.** I. *Rubricae* (*titles, headings*) sunt titulorum inscriptiones, v.g. "De novi operis nunciatione" (lib. v. tit. 32). In collectionibus authenticis, et proinde in omnibus collectionibus ex quibus coalescit Corpus Juris Canonici, excepto Decreto Gratiani, ipsae rubricae sunt authenticae, quia expresse a Pontificibus approbatae sunt. Duplicis sunt generis: 1. Quaedam integrum sensum (*full sense*) exhibent, v.g. *Ne clerici saecularibus negotiis se immisceant* (lib. iii. tit. ult.); et hae dicuntur *dispositivae* seu *praeceptivae,* quia vim legis habent, non secus ac ipsi canones quibus praeficiuntur; 2. quaedam

[1] Sanguineti, n. 71.

vero integrum non efferunt sensum, v.g. *de Electione et Electi potestate* (lib. i. tit. 6); et *directivae* sunt, quia ad explicandum sensum textus inserviunt.

**111.** II. *Summaria* (*a summary or synopsis of each canon*) sunt breves illae periodi, quibus canones sub titulis seu rubricis inclusi summatim exponuntur. Opera privatorum jurisconsultorum adjecta sunt ad majus commodum discentium. Hinc authentica non sunt, ac proinde vi legis carent, quamvis maximo in pretio habenda sint.

**112.** III. *Glossae* (*glosses, comments, explanations*) sunt Commentaria Doctorum ad textus explicationem, ac marginis adscriptae reperiuntur. Privatorum doctorum opera exeratae sunt,[1] nec unquam pro lege approbatae. Hinc per se vim legis non habent. Magnum tamen pondus quandoque praeseferunt ex auctoritate Doctorum qui eas conscripserunt.[2]

---

# CAPUT IV.

## DE JURE CANONICO NATIONALI.

(*National Canon Law.*)

## ART. I.

### JUS CANONICUM NATIONALE IN GENERE.

(*National Canon Law, in general.*)

**113.** *Quaer.* Quid sit Jus Canonicum Nationale?

*Resp.* "Est complexio (*the body*) legum et consuetudinum ecclesiasticarum juri communi adversantium et alicui genti vel nationi propriarum." Dicitur 1° *legum et consuetudinum;* siquidem jus nationale constare potest (*a*) ex legibus *scriptis*

[1] Hi doctores proinde vocantur *glossatores*—Commentators on the Corpus juris.

[2] Soglia, vol. i. p. 113; Sanguineti, n. 32 sq.

v.g. ex legibus in Concilio provinciali vel nationali latis, (*b*) et ex legibus *non scriptis*, id est ex consuetudinibus. Dicitur 2° *juri communi adversantium.* Jus ecclesiasticum, uti supra diximus, dividitur in *commune* (*general*), quod totam generaliter regit Ecclesiam, et *particulare* (*special*), quod viget solummodo in quibusdam locis, v.g. in aliquo regno.

**114.** Jam vero jus alicui genti proprium duplici modo spectari potest: (*a*) quatenus complectitur leges particulares praeter, vel secundum (*in accordance with*) jus commune latas; (*b*) vel quatenus est juris communis derogatio. Porro nemo negat posse vigere leges ecclesiasticas alicui genti proprias, quae sunt praeter vel secundum jus commune; siquidem praeter potestatem supremam, adsunt in ecclesia legislatores dioecesani et provinciales, qui leges particulares condere valent.[1]

Verum nomine juris nationalis intelligimus leges illas particulares alicui genti proprias, quae *juri communi adversantur,* quaeque proinde sunt *contra jus.*

**115.** *Quaer.* Utrum et quomodo legitimum esse possit jus ecclesiasticum nationale?

*Resp.* 1° Posse legitime vigere leges exceptionales seu jus nationale apud singulas gentes nemo negat. Nam legitime derogari posse juri communi jam ostendimus supra loquendo de consuetudine.

2° Requiritur consensus expressus vel tacitus S. Pontificis. Nam jus canonicum nationale est derogatio quaedam juris communis. Porro legi generali Ecclesiae derogare potest solummodo is qui tales leges condere potest, id est S. Pontifex. Ex eadem ratione patet Romanum Pontificem posse omnes abolere leges exceptionales alicui genti proprias et juri communi adversantes. Hoc valet tum de jure nationali *scripto,* v.g. de decretis Concilii Nationalis, tum de jure nationali canonico *non scripto,* id est de consuetudinibus juri communi adversantibus, uti jam exposuimus, quando de consuetudine egimus.

**116.** Diximus "consensus expressus *vel tacitus* S. Pontificis." Nam regula juris est: "Qui tacet, consentire videtur."[2] Jure enim praesumitur Pontificem consentire quando

[1] Cf. Huguenin, n. 145.

[2] Regula 43, De reg. Jur. in 6°.

non contradicit, *quamvis facile et prudenter reclamare posset.* Si vero Pontifex destituatur commoditate reclamandi, tunc concludi nequit ipsum ideo silere quia acquiescit. Nam ratio ipsius silentii, in casu, est forsan timor majoris detrimenti orituri ex ipsius reclamatione. Hinc etiam S. Sedes saepe *tolerat,* non vero approbat, leges particulares et consuetudines regionum variarum, legibus generalibus oppositas, ad compatiendum infirmis et ut non extinguatur linum adhuc fumigans.[1]

**117.** *Quaer.* Quotuplici ratione queat induci jus nationale?

*Resp.* Quando alicujus gentis Ecclesiae reguntur circa quaedam legibus propriis, non autem legibus in universos fideles latis, habetur in illa gente jus canonicum nationale. Porro in aliquibus regionibus, v.g. in hisce Statibus Foedere junctis, et generaliter in omnibus locis Missionum, jus ecclesiasticum fuit nationale et exceptionale *ab initio,* eo quod, propter peculiares circumstantias, impossibile fuit leges generales Ecclesiae introducere et observare. Constat autem quod hujusmodi nationale jus sit potius status *transitorius,* non vero *permanens.* Proinde cessare debet quando jus commune introduci et observari poterit.

**118.** In aliis vero regionibus, v.g. in Europa, inducitur jus nationale aliquando (*a*) per consuetudinem legitimam; (*b*) per privilegium S. Pontificis; (*c*) per concordata (*agreements*) inita S. Pontificem inter et supremos moderatores saeculares.

**119.** Diximus *per concordata.* Quaeritur utrum S. Pontifex possit jus nationale irritare, etiam Concordatis firmatum. Generaliter loquendo, Concordata (*contracts, solemn agreements between the Pope and secular governments*) religiose servanda sunt tum a Romano Pontifice tum a civili potestate. Nam ipsa ratio naturalis dictat fidem datam (*agreements made*) esse servandam. Attamen, gravissimis ex causis, potest S. Pontifex Concordatis contravenire. Nam, quidquid sit de controversia utrum concordata sint pacta (*contracts*) vel potius privilegia (*concessions*) S. Pontificis, in omnibus pactis, quae init S. Pontifex, semper conditio haec

[1] Bouix, De Princip. p. 76.

subaudienda est: "Nisi aliud exigat causa gravis et extraordinaria boni communis." (Cf. nostrum *Elements*, vol. I. n. 105.)

## ART. II.

### JUS CANONICUM NATIONALE IN HISCE STATIBUS FOEDERATIS.

(*National Canon Law of the United States.*)

**120.** *Quaer.* Quid sit legitimum jus canonicum nationale horum Statuum Unitorum?

*Resp.* Sunt variae in hac regione, leges et consuetudines, quae juri communi adversantur, et quae a S. Sede vel expresse vel tacite sunt approbatae, vel saltem toleratae. Definitio patet ex dictis in articulo praecedenti. Porro jus nostrum nationale seu exceptionale ortum habuit ex ipso statu nostro Missionis. Hinc etiam leges nostrae exceptionales versantur, v.g. circa (*a*) statum parochiarum, quae apud nos sunt Missiones non vero parochiae proprie dictae; (*b*) parochos, qui sunt Missionarii rectores, non vero parochi canonici; (*c*) circa Consultores Episcopi, qui nullum adhuc constituunt Capitulum Cathedrale, etc.

**121.** Cum autem leges nostrae exceptionales, statum *transitorium* et *inchoativum* contemplantur, non vero permanentem, jam paulatim, agente et promovente S. Sede, de medio tolluntur, et jus commune introducitur. Hoc praesertim factum est in Concilio Plenario Baltimorensi III. (Nostrum *Elements*, vol. I. n. 106 sq., ed. 6*a*.)

## ART. III.

### FONTES JURIS CANONICI NATIONALIS PRAESERTIM HORUM STATUUM FOEDERATORUM.

(*Sources of National Canon Law especially in the United States.*)

**122.** *Quaer.* Quinam sint fontes juris nationalis?

*Resp.* Fontes ex quibus jus exceptionale seu nationale dimanat ac provenit praecipue sequentes sunt: I. *Constitutiones speciales seu decreta S. Sedis*, quae particularem ali-

quam nationem respiciunt. Talis fuit, v.g., Instructio S. Congregationis de Prop. Fide, 20 Julii 1878, pro causis criminalibus et disciplinaribus clericorum in Statibus foederatis nostris. In hac enim Instructione S. Congregatio *peculiarem* procedendi modum, in hisce causis sancivit. Talis est etiam Constitutio *Romanos Pontifices* S. Pontificis Leonis XIII., pro Anglia, primum edita anno 1881, et ad hosce Status Foederatos extensa per decretum S. C. de P. F. 22 Sept. 1885.

**123.** II. *Concordata* (*agreements*) quae S. Sedes iniit cum guberniis civilibus. In hisce Statibus Foederatis nullum unquam initum est Concordatum.

**124.** III. *Consuetudo* (*custom*) alicujus regionis quae legi communi adversatur. Nam, uti supra vidimus, consuetudo etiamsi contra legem generalem sit, potest in aliqua regione, legem hanc abrogare, dummodo hujusmodi consuetudo sit rationabilis, legitime praescripta, et consensu expresso vel tacito seu legali S. Pontificis communita.

**125.** IV. *Decreta Concilii Plenarii seu Nationalis.* Sane hujusmodi decreta fontem praecipuum constituunt juris nationalis seu juris exceptionalis alicujus nationis. Merito proinde dici potest historiam horum Conciliorum constituere historiam vel saltem partem non exiguam historiae juris nationalis. Proinde pauca de hujusmodi Conciliis hac in regione celebratis disseremus.

**126.** *Quaer.* Quaenam Concilia Plenaria celebrata fuerint in hac regione ?

*Resp.* 1° *Concilia habita in hisce S. U. ab anno* 1791 *usque ad* 1849.—Anno 1791, venerabilis Joannes Carroll, tunc Episcopus Baltimorensis primam synodum hac in regione in Ecclesia Baltimorensi, die 27 Octobris, celebravit. Idem Praesul, Archiepiscopus Baltimorensis renuntiatus, suorum Suffraganeorum conventum habuit anno 1810. Primum autem Concilium provinciale celebratum est Baltimorae anno 1829; secundum anno 1833; tertium anno 1837; quartum anno 1840; quintum anno 1843; sextum anno 1846; septimum anno 1849.[1]

[1] Collectio authentica harum omnium synodorum prodiit Baltimori 1842 et 1851, typis Jo. Murphy.

**127.** Ad haec Concilia provincialia *omnes* horum Statuum Episcopi vocati sunt. Proinde hoc sub respectu, recte appellari possunt Concilia nationalia. Attamen vocantur, et recte quidem, Concilia provincialia, eo quod ab Archiepiscopo Baltimorensi, *tanquam Metropolita,* non vero tanquam Delegato S. Sedis convocata sunt.[1]

**128.** 2° *Concilia Nationalia celebrata in hac regione.—Primum* nostrum Concilium nationale seu plenarium habitum est Baltimorae, anno 1852. Aderant sex Archiepiscopi et viginti sex Episcopi. Praefuit Reverendissimus P. Kenrick, Archiepiscopus Baltimorensis, tamquam Apostolicae Sedis Delegatus.

**129.** *Secundum Concilium Nationale* sive plenarium hujus regionis habitum est Baltimorae, anno 1866, praeside Reverendissimo D. D. M. Spalding, Archiepiscopo Baltimorensi tamquam Delegato Apostolico. Ipsius Acta et Decreta recognita fuerunt a S. C. de P. F., 24 Januarii 1868. Decretorum hujus Concilii collectio authentica prodiit Baltimorae, anno 1868, apud Joannem Murphy, typographum.

**130.** *Decreta hujus Concilii* quae juri communi adversantur respiciunt praecipue (*a*) Electionem seu commendationem Episcoporum, quam Concilium solis Episcopis Provinciae tribuit;[2] (*b*) Consultores dioecesanos, quorum consilium Episcopus audire non tenetur sub poena nullitatis;[3] (*c*) Rectores (*pastors of congregations*) quos omnes amovibiles esse declarat;[4] (*d*) Modum conferendi missiones seu parochias, absque concursu;[5] (*e*) Methodum procedendi in causis criminalibus clericorum;[6] (*f*) Et in causis matrimonialibus quae pro prudenti arbitrio Episcopi vel Parochi, absque ulla legis forma adjudicatae sunt.[7]

**131.** *Tertium et ultimum Concilium nationale* horum Statuum celebratum est Baltimorae, anno 1884, praeside Reverendissimo D. D. Jacobo Gibbons, Archiepiscopo Baltimorensi,

[1] Tunc temporis unicus tantummodo erat Archiepiscopus in hisce Statibus, nempe Archiepiscopus Baltimorensis.

[2] Conc. Pl. Balt. n. 103.
[3] Ib. n. 70, 71.
[4] Ib. n. 125.
[5] Ib. n. 126.
[6] Ib. n. 77.
[7] Cf. ib. n. 330.

S. Sedis Delegato. Acta et Decreta hujus Concilii emendata et recognita fuere a S. C. de P. F., per Decretum diei 21 Sept. 1885;[1] solemniter vero promulgata ab Archiepiscopo Baltimorensi, in festo Epiphaniae 1886.[2] Vim suam habent haec decreta, et effectus plenarios sortita sunt ab hac die promulgationis.[3] Authentica collectio hujus Concilii prodiit Baltimorae 1886, typis Joannis Murphy et Sociorum.

**132.** *Sopus hujus Concilii.*—Maximi sunt momenti hujus Concilii decreta. Nam sic ait S. Pontifex Leo XIII., in litteris suis apostolicis ad Archiepiscopum Baltimorensem datis die 4 Januarii 1884: "Plenarium Concilium (tertium) Baltimorae habendum decrevimus, ut idem Episcopi... quae ... ad ecclesiasticam disciplinam confirmandam, ad dioecesium statum ita ordinandum, *ut propius ad commune Ecclesiae jus, quantum fieri possit, accedat, ... proponant.*"[4]

**133.** *Collationes Romae habitae.*—Ut autem hic finis melius obtineretur, anno 1883, mense Novembris, Romae habitae sunt Collationes Praeparatoriae (*conferences, meetings*) inter Cardinales S. C. de P. F. et Archiepiscopos nostros, hac de causa, Romam vocatos. In his autem collationibus, re mature discussa, schemata (*drafts, outlines*) decretorum in antea parata sunt eum in finem ut tamquam basis ac fundamentum legum ferendarum in Concilio proxime Baltimorae habendo servirent.

**134.** *Decreta hujus Concilii.*—Concilium hoc, inter alia statuit: (*a*) Commendationem Episcoporum S. Sedi pertinere tum ad Episcopos Provinciae tum ad Consultores et rectores inamovibiles dioecesis vacantis; (*b*) Consilium Consultorum, in certis casibus esse requirendum ab Episcopo, sub poena nullitatis; (*c*) Rectores Missionum aliquos inamovibiles esse constituendos; (*d*) Concursum peragendum pro missionibus inamovibilibus; (*e*) Judicia (*ecclesiastical trials*) tum in causis criminalibus et disciplinaribus clericorum, tum in causis matrimonialibus esse juxta normam juris instituenda; (*f*) Deputatos pro regimine Seminarii esse nominandos; (*g*) Bona temporalia juxta normam juris esse administranda; (*h*) Taxas pro Episcopo exigendas esse juxta regulas juris communis.

[1] Conc. Pl. Balt. III. p. xv.
[2] Ib. p. xiii.
[3] Ib. cap. ult. p. 184.
[4] In Conc. Pl. Balt. III. p. xix.

**135.** *Quaer.* Utrum et qualem approbationem a S. Sede obtinuerint Concilia nostra tum provincialia Baltimorensia ab anno 1791 usque ad annum 1848 habita; tum Concilia Plenaria Baltimorensia I., II. et III.?

*Resp.* Triplex datur confirmatio: 1° Generatim Concilia provincialia et nationalia solum recognoscuntur (*revised*) a S. Congregatione, per decretum recognitionis. 2° Aliquando per actum ipsius S. Pontificis approbantur, in forma communi. 3° Tandem raro confirmantur per litteras ipsius S. Pontificis in forma speciali.

**136.** Porro certum est 1° nullum omnino Concilium, sive provinciale sive plenarium in hac regione celebratum, confirmatum esse a S. Pontifice modo speciali; 2° Concilia nonnulla provincialia Baltimorae habita v.g. primum[1] et tertium,[2] a S. Pontifice, in forma communi esse confirmata; 3° Concilia Plenaria Baltimorensia I.,[3] II.[4] et III.,[5] fuisse solum a S. C. de P. F. recognita, non vero a S. Pontifice approbata sive in forma communi sive in forma speciali. Cf. supra, n. 54, 55; nostrum *Elements*, n. 174.

**137.** Quapropter datur ab horum conciliorum decretis, appellatio ad S. Sedem, in devolutivo. Cf. nostrum *Elements*, vol. I. n. 174 sq.

[1] S. C. de P. F. 16 Oct. 1830.
[2] S. C. de P. F. 2 Sept. 1837.
[3] S. C. de P. F. 26 Sept. 1852.
[4] S. C. de P. F. 24 Jan. 1868.
[5] S. C. de P. F. 21 Sept. 1885.

# CAPUT V.

## INTERPRETATIO LEGUM ECCLESIAE.

*(Explanation of Ecclesiastical Laws.)*

## ART. I.

### QUID SIT INTERPRETATIO LEGIS?

*(What is meant by the Explanation of a Law?)*

**138.** Hactenus exposuimus quid sit jus seu lex ecclesiae; a quo fonte lex illa promanet; quae sint horum fontium collectiones seu historiae. Ad hoc autem ut quis rite lege ecclesiastica uti possit, opus etiam est ut eam valeat interpretari, ejusque sensum verum cognoscere. Hinc pauca hic de interpretatione legis proferemus.

**139.** *Notio et variae species interpretationum.*—Interpretatio (*explanation*) generatim aliud non est quam congrua verbi vel sententiae per aliud clarius explicatio.[1] Dividitur autem interpretatio legum (*the explanation of laws*), 1. *ex parte causae efficientis,* in illam quae fit (*a*) ab ipso legislatore, (*b*) a consuetudine, (*c*) a judice, (*d*) a magistris, doctoribus et auctoribus privatis (*private persons*); 2. *ex parte causae formalis* seu ex natura ipsius interpretationis, in (*a*) declarativam, (*b*) correctivam, (*c*) restrictivam et (*d*) extensivam.

## ART. II.

### REGULAE INTERPRETATIONIS.

*(Rules for explaining Ecclesiastical Laws.)*

**140.** *Quaer.* Quaenam sint regulae praecipuae quas auctores seu personae privatae sequi debent in legibus ecclesiasticis interpretandis?

[1] Reiff. l. i. t. 2, n. 351.

*Resp.* Dicitur in hac questione "quas *personae privatae*"; nam interpretatio authentica quae fit per ipsum legislatorem v.g. per Supremum Pontificem seu S. Congregationes—longe majori facilitate et libertate fieri potest, quam interpretatio doctrinalis per inferiorem.[1]

**141.** Hisce praemissis, sic respondeo. Praecipuae regulae sunt: 1° Verba *clara* non admittunt interpretationem. 2° Interpretatio potius *menti* (*the aim or scope*) quam verbis legis convenire debet. 3° Verba sunt ita intelligenda ut res de qua agitur, potius valeat quam pereat. 4° Exceptio firmat regulam in contrarium, in casibus non exceptis.[2] Alias regulas videas in nostro opere cui titulus "*The New Procedure,*" n. 7–16.

**142.** Quonam autem in sensu prohibitum sit personis privatis decreta Concilii Tridentini interpretari, videre est apud nostrum *Elements of Ecclesiastical Law,* vol. i. n. 180.

[1] Reiff. l. c. n. 382.

[2] Vide etiam *regulas juris,* quales referuntur in *corpore juris canonici,* tum in calce libri v. Decretalium; tum in calce libri vi.

# Liber Secundus.

## DE PERSONIS ECCLESIASTICIS.

### (*ECCLESIASTICAL PERSONS—THE CLERGY.*)

**143.** Compendium hoc in tres partes dispertiemus: *Prima* pars agit de personis ecclesiasticis; *secunda* de rebus ecclesiasticis; *tertia* de judiciis et poenis ecclesiasticis. Totum enim jus canonicum pertinet ad personas, res et judicia.

**144.** *Notio personae.*—De personis (*persons, human beings*) exordiemur. In jure civili Romanorum summa personarum divisio est in *liberos* (*free persons*) et *servos* (*slaves*).[1] Ast usu factum est, et recte quidem, ut personae nomine jam intelligatur quilibet homo, sine distinctione inter servum et liberum.[2] Animadvertendum est, personas quas jus canonicum respicit, et de quibus hic agimus, eas esse quae Ecclesiam ingressae sunt, ejusque subjiciuntur potestati. Hi autem solum sunt *Christiani,* qui scilicet per *baptismi characterem* ad Ecclesiam pertinent.[3]

**145.** *Diversae classes personarum in Ecclesia.*—Omnes autem personae seu membra Ecclesiae dividuntur in *clericos* et *laicos.* *Clerici* (*Ecclesiastics*) sunt illi qui divino cultui et Ecclesiae ministerio debite et specialiter sunt deputati. *Laici* (*lay persons*) vero—sic dicti a voce graeca λαός, quae significat *populum, plebem*—sunt illi qui nulli peculiari ecclesiastico ordini vel muneri addicti sunt.[4] Porro de fide est, hanc distinctionem clericos inter et laicos dimanare ex *divina ordinatione,* id est, ex Christi lege, non vero ex humano jure.[5] Aliis verbis, Ecclesia, ex ipsa divina institutione coalescit (*a*)

[1] Inst. lib. I. tit. 3, § Summa.
[2] Ferrari, Summa Inst. vol. I. n. 60.
[3] Sanguineti, l. c. n. 157.
[4] De Brab. l. c. n. 131.
[5] Conc. Trid. Sess. 23, can. 6, de sacr. ord.

ex clericis, id est, iis qui sanctificant, docent, regunt; (*b*) et ex laicis, id est, iis qui sanctificantur, docentur, reguntur.[1] Modo de laicis verba faciemus; postea vero de clericis fuse loquemur.

**146.** *Quaer.* Quae sint obligationes laicorum erga Ecclesiam?

*Resp.* Laici qui Ecclesiae membra sunt tenentur: 1° obtemperare canonum statutis et Ecclesiae legibus; 2° providere pro sua quisque facultate, necessitatibus temporalibus Ecclesiae; 3° Ecclesiae auxilio esse, pro temporum opportunitate, ut divinum quod ipsi commissum est ministerium liberius exequatur.[2]

**147.** *Quaer.* Quae sint jura laicorum in Ecclesia?

*Resp.* 1° Laici jus habent ad participationem bonorum spiritualium communium fidelibus, juxta modum pro eorundem bonorum dispensatione ab auctoritate ecclesiastica praescriptum. Jus itaque habent (*a*) ut sibi sacramenta fideliter administrentur, et sacramentalia praestentur; (*b*) ut ad statum clericalem sibi aditus pateat; (*c*) ut in rebus litigiosis, quae ad forum Ecclesiae spectant, protectionem judicum ecclesiasticorum implorare sit liberum; (*d*) ut generatim omnium jurium participes efficiantur, quae ex actuali Ecclesiae communione promanant, v.g. juris sepulturae; (*e*) ut doctrinam Christianam edoceantur, etc. 2° Non possunt autem sibi vindicare jura quae pertinent ad clericos, id est, potestatem ordinis vel jurisdictionis. 3° Acquirere possunt, vi rescripti S. Sedis, vel concordati, vel consuetudinis, vel etiam ratione fundationis, jus nominandi clericos promovendos ad beneficium et officium ecclesiasticum.[3] Haec sufficiant innuisse de laicis, de quibus in posterum, solum pro re nata et pro relatione quam habent ad res sacras, agetur.

**148.** *Qui veniunt nomine clericorum?*—Omnis igitur nostra tractatio de clericis est. Porro clerici dividuntur 1° in *majores* (*higher ecclesiastics*), ut Episcopi, et *inferiores* (*in-*

[1] Haec divisio est *summa* quia nulla ea amplior, *adaequata*, quia omnia Ecclesiae membra complectitur, *perfecta* quia membris constat, prout distinguuntur, oppositis.

[2] Prael. S. Sulp. n. 312. [3] Ib. n. 313.

*ferior ecclesiastics*), ut sacerdotes, diaconi, etc.; 2° in *regulares,* qui in claustris (*convents*), et *saeculares,* qui extra claustrum vivunt; 3° in eos, qui *proprie* et *improprie* clerici appellantur. Clerici proprie dicuntur omnes qui primam habent tonsuram:[1] improprie autem sunt, qui sine tonsura habitum clericalem (*the cassock*) deferunt.

**149.** Ad clericos improprie dictos plures referuntur qui interdum clericorum privilegiis, favoribusque donantur, quamvis prima tonsura non sunt insigniti. Hujusmodi sunt (*a*) Monachi professi nullo ordine insigniti (*monks who are not in orders*); (*b*) Novitii (*novices*); (*c*) regularium conversi (*lay members of orders, v.g. lay-brothers, who attend to the temporalities of the order*); (*d*) Tertiarii (*members of third orders*) qui in communitate seu congregatione vivunt;[2] non ita qui seorsum ab aliis in propriis domibus vivunt; (*e*) Moniales, et earum novitiae, conversae (*lay sisters who attend to the temporal matters*), et tertiariae, quatenus quibusdam fruuntur clericorum privilegiis ut fori et canonis;[3] (*f*) Congregationes religiosae, sive virorum sive mulierum, approbatae ab Episcopo, quamvis nulla vel tantum simplicia vota emittant.[4]

**150.** *Clerici, quatenus hierarchiam constituunt.*—De omnibus hisce clericorum speciebus agemus, in hac parte, quae tractat de personis. Nam hae omnes considerantur ut personae ecclesiasticae. De clericis proprie dictis exordiemur. Clerici proprie dicti illi sunt, ut jam vidimus, quibus ecclesiastica potestas demandata est.[5] Ast potestas ecclesiastica duplex est, videlicet ordinis et jurisdictionis. Jam vero non omnes clerici potestatem hanc *aequali modo seu gradu* possident. Nam alii solum habent potestatem ordinis: alii vero tum ordinis tum jurisdictionis exercent potestatem; alii iterum *majorem,* alii vero *minorem* gradum potestatis tum ordinis tum jurisdictionis possident. Et sane Ecclesia est

[1] Nam ut quis ad clericorum ordinem accenseri dicatur, requiritur ille ritus qui vocatur *prima tonsura* (*first tonsure*).

[2] Tertiariorum tres sunt species in jure recognitae: nam alii vivunt domi suae; alii vivunt in coetu; alii religionem constituunt.

[3] Ferrari, l. c. n. 65.

[4] De Brab. n. 134.

[5] Tarqu. l. 2, n. 3.

societas, et quidem suprema et perfecta. Proinde, quemadmodum in omni alia societate, sic etiam in Ecclesia, necessario debent esse alii qui *supremam*, alii vero qui *subordinatam* exercent potestatem.

**151.** *Notio hierarchiae.*—Porro clerici, sub hoc respectu considerati, id est, quatenus variis gradibus ecclesiasticam potestatem exercent, constituunt hierarchiam. Hinc sacra hierarchia (*hierarchy*) recte definitur: Collectio seu coetus (*the body*) personarum ecclesiasticarum, quibus, diversis gradibus, potestas data est, vel religionis mysteria celebrandi, vel Ecclesiam regendi et administrandi.[1] Aliquando sumitur vocabulum hierarchia objective, id est, pro ipsa potestate ecclesiastica quatenus a pluribus personis variis gradibus exercetur. Proinde hierarchiae conceptus haec tria involvit: primo, ecclesiasticam aliquam *potestatem;* secundo, *plures* personas quae illam possident; tertio, *varios ac subordinatos* ad invicem in illa obtinenda *gradus.*

**152.** *Duplex hierarchia.*—Universa autem clericorum potestas vel ad ordinem vel ad jurisdictionem pertinet. Nam, uti jam diximus, duplex est ecclesiae potestas; una sacramentalis, alia jurisdictionalis. Clerici qui praestant ea quae sunt ordinis sive sacri ministerii, ad *hierarchiam ordinis;* qui vero Ecclesiae regimini praesunt, ad *hierarchiam jurisdictionis* pertinent. Duplex proinde est hierarchia: (*a*) hierarchia ordinis; (*b*) hierarchia jurisdictionis seu regiminis.

**153.** Proinde totum hunc librum secundum in tres partes dispescemus: In *prima* agemus de personis quae ad hierarchiam ordinis; in *secunda,* de personis quae ad hierarchiam jurisdictionis; in *tertia,* de illis, quae vel ad neutram hierarchiam pertinent, vel si quidem pertineant, considerantur tamen uti versantes extra has hierarchias.

[1] Soglia, vol. II. § 3; Bouix, De Princ. p. 514.

# Pars Prima.

## DE PERSONIS ECCLESIASTICIS QUATENUS AD HIERARCHIAM ORDINIS PERTINENT.

(*Ecclesiastics as vested with the Power of Orders.*)

**154.** Hierarchia ordinis, uti jam vidimus est coetus seu collectio personarum, quae variis gradibus habent potestatem ordinis. Proinde videndum est quid sit potestas ordinis; qui sint varii gradus hujus potestatis; quomodo acquiratur; et tandem qui non debeant promoveri ad hanc potestatem.

---

## CAPUT I.

### NATURA POTESTATIS ORDINIS.

(*Character of the Power of the Ordo.*)

Videbimus (*a*) quid sit potestas ordinis; (*b*) quomodo differat a potestate jurisdictionis.

### ART. I.

#### QUID SIT POTESTAS ORDINIS?

(*What is meant by the Power of Orders?*)

**155.** *Notio hujus potestatis.*—Potestas ordinis (*the power conferred by orders*) est potestas Sacrificium offerendi, Sacramenta conficiendi et conferendi, necnon sacras functiones peragendi.[1] De fide est, esse in Ecclesia potestatem ordinis.[2] Insuper de fide est hanc potestatem, *non aequali modo,* sed

[1] Cf. Soglia, vol. I. p. 143.
[2] Conc. Trid. sess. 23, c. 1, de Sacr. Ord.

*diversis gradibus* a diversis personis exercendam esse. Proinde de fide est adesse in Ecclesia hierarchiam *ordinis;* et hanc hierarchiam constare ex Episcopis, Presbyteris et Ministris.[1]

## ART. II.

### QUOMODO POTESTAS ORDINIS A POTESTATE JURISDICTIONIS DIFFERAT?

(*Difference between the Power of Orders and the Power of Jurisdiction.*)

**156.** *Quaer.* Utrum et quomodo inter se discrepent ordo et jurisdictio?

*Resp.* I. Nonnulli erronee contendunt non differre nec a se invicem separari posse potestatem ordinis et potestatem jurisdictionis. Proinde dicunt Episcopos habere *plenitudinem jurisdictionis,* eo quod habeant *plenitudinem Sacerdotii.* Quo supposito funditus everteretur suprema et universalis potestas S. Pontifici a Christo tradita pascendi et regendi omnes, tam Episcopos quam fideles.

**157.** II. Contra erroneam hanc doctrinam, contendimus potestatem ordinis et potestatem jurisdictionis vere et essentialiter a se invicem differre. Et sane hoc constat ex ipsa natura utriusque potestatis. Nam 1° potestas ordinis est potestas *sacramentalis* et refertur immediate ad *sanctificationem* hominis per sacramenta: potestas vero jurisdictionis est potestas *socialis* et refertur immediate ad *regimen* Ecclesiae, quatenus est societas (*to the external government of the Church as a society*).

**158.** 2° Potestas ordinis stare potest sine jurisdictione, et vicissim potestas jurisdictionis sine charactere ordinis. Sic v.g. Episcopus electus quidem (*Bishop elect*) at nondum consecratus potest exercere jurisdictionem episcopalem in suam dioecesim; econtra Episcopus consecratus qui nullam habet dioecesim, v.g. Episcopus titularis—nullam potest exercere jurisdictionem episcopalem.

**159.** 3° Potestas ordinis confertur per *ordinationem* (*by ordination*); *aequalis* est in omnibus qui eundem ordinem

[1] Conc. Trid. sess. 23, can. 6.

habent; *perpetua* manet in quolibet ministro, et proinde nec *minui* nec *auferri* potest.[1]

**160.** Econtra potestas jurisdictionis (*a*) confertur per missionem seu *legitimam deputationem* (*lawful appointment*); (*b*) *inaequalis* est in variis subjectis etiam ejusdem ordinis; sic, v.g., omnes Episcopi inter se pares sunt ratione *ordinis* Episcopalis; verum ratione jurisdictionis alii aliis sunt majores; nam, v.g., Metropolita majorem possidet jurisdictionem quam Episcopus ejus suffraganeus; (*c*) non est perpetua, sed variis modis potest *retrahi* vel *tolli*, v.g. per remotionem seu privationem; (*d*) *restringi* potest tum quoad loca, tum quoad personas, tum quoad materias; sic, v.g. Episcopi potestas coarctatur intra limites suae dioecesis; (*e*) potest proprie alteri delegari, dum potestas ordinis *personaliter* omnino inhaeret subjecto et proinde alteri delegari non potest.[2] (Nostrum *Elements*, vol. I. n. 191 sq.)

**161.** Notandum autem est quod quamvis duae illae potestates *ordinis* et *jurisdictionis* distinctae sint et a se invicem separabiles, non tamen de facto necessario ab invicem sunt separatae. Imo saepe hae duae simul debent concurrere etiam ad validitatem unius ejusdemque actus, v.g. ad validitatem absolutionis.[3] (Nostrum *Elements*, l. c. n. 196.)

## ART. III.

### QUOMODO DISTRIBUATUR POTESTAS ORDINIS PER VARIOS GRADUS?

(*How the Power of Order is distributed among Various Persons in Various Degrees.*)

**162.** *Quaer.* Quid sit hierarchia ordinis?

*Resp.* Potestas ordinis, uti jam supra diximus, a variis Ecclesiae ministris, non eodem modo, sed juxta *varios gradus*

[1] Conc. Trid. sess. 23. c. 4. Prohiberi quidem potest ordinis *exercitium*, v.g. per suspensionem, et tunc *illicite* quidem se gereret, v.g. sacerdos, qui ordinem prohibitum exerceret: verum *valide* ageret. Econtra jurisdictio ne *valide* quidem exerceri potest contra voluntatem superioris id prohibentis, v.g. per suspensionem.

[2] Icard, Prael n. 281 sq.; Craiss. n. 250 sq. [3] Conc. Trid. sess. 24, c. 7.

exercetur. Hierarchia ordinis est series personarum qui hanc potestatem variis gradibus habent. De fide est existere in Ecclesia, hierarchiam ordinis. En verba Concilii Tridentini:[1] "Si quis dixerit, praeter sacerdotium, non esse in Ecclesia Catholica alios ordines et majores et minores, per quos velut *per gradus quosdam*, in sacerdotium tendatur, anathema sit."

**163.** *Quaer.* Quinam sint varii gradus seu ordines ministrorum per quos potestas ordinis distributa est?

*Resp.* 1° Concilium Tridentinum[2] decrevit: "Si quis dixerit, in Ecclesia Catholica, non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex *Episcopis, presbyteris et ministris*, anathema sit." Dicitur *et Ministris:* Quinam vero sint illi ministri, eadem S. Synodus,[3] nos edocet his verbis: "Non solum de sacerdotibus, sed et de *diaconis* sacrae litterae apertam mentionem faciunt; et ab ipso Ecclesiae initio, sequentium ordinum nomina, atque uniuscujusque eorum propria ministeria, *subdiaconi* scilicet, *acolythi, exorcistae, lectoris,* et *ostiarii*, in usu fuisse cognoscuntur."

**164.** 2° Quapropter septem sunt ordines seu gradus (*grade, gradation*) per quos potestas ordinis exercetur, scilicet: 1. Ostiariatus; 2. Lectoratus; 3. Exorcistatus; 4. Acolythatus; hi quatuor sunt ordines minores; 5. Subdiaconatus; 6. Diaconatus; 7. Sacerdotium, quod rursus est duplex, videlicet minus seu presbyteratus, et majus sive Episcopatus. Hi ultimi tres ordines vocantur ordines seu gradus majores.

**165.** 3° *Episcopi* proinde principem tenent locum in hierarchia ordinis. Nam potestatem ordinis in *supremo gradu* possident. Plenitudo potestatis ordinis est in Episcopo. Et hinc una et eadem est potestas ordinis in omnibus Episcopis, cum neque Metropolitae, neque ipse S. Pontifex ordinem habeant ab Episcopatu distinctum.[4] Primi post Episcopos veniunt *presbyteri*, deinde *diaconi*, postea *subdiaconi*, et demum *ministri* qui minoribus ordinibus sunt decorati. Tonsura non est ordo, sed tantum dispositio ad ordines.

[1] Sess. 23, can. 2.
[2] Sess. 23, de Sacr. Ord. can. 6.
[3] Ib. cap. 2.
[4] Devoti, l. i. tit. i. § iii.

# CAPUT II.

## QUIBUS MODIS POTESTAS ORDINIS ACQUIRATUR?

*(How is the Power of Order obtained?)*

**166.** *Ordinis potestas acquiritur duobus modis.*—Omnes gradus per quos potestas ordinis distributa est inter clericos, persequuti sumus. Proximum est ut videamus quonam modo clerici hanc potestatem consequantur. Porro omnes clerici potestatem ordinis acquirunt vel *consecratione* (*by consecration*), vel *ordinatione* (*by ordination*). Consecratio ad Episcopos, ordinatio vero ad sacerdotes ceterosque clericos pertinet.[1]

## ART. I.

### CONSECRATIO EPISCOPORUM.

*(Consecration of Bishops.)*

**167.** *Quaer.* Quid sit consecratio Episcopi, et quomodo differat ab ejus electione et confirmatione?

*Resp.* 1° Consecratio est ritus sacer quo culmen et complementum sacerdotalis ordinis confertur. Proinde Episcopus consecratus non solum nomine et dignitate, verum etiam potestate ordinis presbyteris antecellit.[2] Post consecrationem Episcopus qui prius dicebatur *electus* (*Bishop-elect*), simpliciter Episcopus appellatur. Ritus seu caeremoniae consecrationis habentur in Pontificali Romano, tit. 13, de Consecr. Electi in Episcopum.

**168.** 2° Olim Episcopum novum metropolita consecrabat. Hodie vero consecratio, eodem modo ac ipsa confirmatio Romano Pontifici reservatur. Hinc vel ab ipso vel ejus mandato

[1] Devoti, l. i. t. iv. § i.

[2] Soglia, vol. II. p. 69.

fiunt Episcoporum consecrationes.[1] Episcopi electi qui extra Romam consecrantur, suo arbitrio Episcopum eligunt, cui datur mandatum apostolicum, ut eorum consecrationem absolvat. Consecratio fieri debet vel in ipsa ecclesia cathedrali Episcopi electi, vel saltem in provincia ecclesiastica ad quam pertinet. Intra tres menses a die confirmationis peragenda est.[2]

**169.** 3° Ex hisce patet quomodo consecratio differat tum ab electione tum a confirmatione novi Episcopi. Nam, in casu, electio (*the election*) est personae idoneae ad sedem episcopalem vacantem canonice facta vocatio (*calling, or appointing to a vacant see*). De jure decretalium electio Episcopi spectat ad capitulum Ecclesiae Cathedralis. Electio autem a capitulis facta necessario debet confirmari a Romano Pontifice. Verum hodie, exceptis nonnullis Germaniae partibus, electio non secus ac confirmatio reservatur Romano Pontifici. Electionem et confirmationem sequitur consecratio. Per electionem et confirmationem acquiritur *jurisdictio episcopalis;* per consecrationem *ordo* seu *potestas ordinis Episcopalis.*

**170.** Tres adhibentur Episcopi in consecratione, nempe Episcopus consecrator et duo assistentes Episcopi. Siquando necessitas postulet, vel impossibilitas adsit tres habendi Episcopos, Romani Pontificis erit indulgere ut consecratio fiat ab uno Episcopo cum assistentia duorum Sacerdotum, vel a solo Episcopo absque ulla assistentia, ut saepe usuvenit in locis missionum.[3]

## ART. II.

### DE ORDINATIONE.

(*Ordination.*)

**171.** *Quaer.* Quid sit ordinatio?

*Resp.* Presbyteri ceterique clerici potestatem ordinis acquirunt per ordinationem, uti jam monuimus. Ordinatio seu ordo itaque definitur: "Sacramentum novae legis a Salvatore

[1] Devoti, l. i. t. iv. § iii.

[2] Conc. Trid. sess. 23, c. 2, de Ref.

[3] Zitelli, l. c. p. 23.

nostro institutum, quo traditur potestas consecrandi, offerendi ac ministrandi corpus et sanguinem ejus, necnon Sacerdotio ex officio inserviendi."[1] An vero diversi ordines, et majores et minores, singuli sacramenta sint, controversia est, quae ad Theologos spectat.

**172.** Nostrum est hic ea omnia dilucide explanare, quae praecipue ex lege ecclesiastica requiruntur ad ordines rite suscipiendos. Porro quaedam ex his *collatorem* ordinum, quaedam *suscipientem* respiciunt. Ad collatorem praecipue pertinet ut sit *proprius* Episcopus, scilicet ut eum qui ordines suscipit *vere subditum* habeat.[2] Ad suscipientem vero praecipue spectat ut *titulum* habeat ordinationis. Hinc agendum est 1. de proprio ordinationis Episcopo; 2. de titulo ordinationis.

## § 1. De Proprio Ordinationis Episcopo.

(*What Bishop has the right to ordain?*)

**173.** *Quaer.* Utrum ordines a quolibet Episcopo licite conferantur?

*Resp.* Ordines non licite[3] conferuntur nisi ab Episcopo proprio, scilicet ab eo cui ordinandus (*the person to be ordained*) subjectus est.[4] Porro quae demumcumque fuerit vetus disciplina, hac in re, certum est hodie proprium ad ordines conferendos Episcopum eum esse qui ordinandi Episcopus sit (*a*) ratione originis (*birth*), (*b*) aut beneficii, (*c*) aut domicilii (*residence*), (*d*) aut familiaritatis. Sic enim ait Bonifacius VIII.:[5] "Cum nullus clericum Parochiae (dioecesis) alienae,

[1] Cf. Conc. Trid. sess. 23, c. 1, 2, de ord.; Soglia, vol. II. p. 75.

[2] Solus Romanus Pontifex potest *ubique* et *omnibus* Ordines conferre. Omnes enim habet sibi subditos. Licentiam proinde etiam concedere potest, ut quis a quocumque Episcopo ordinetur.

[3] Dicitur *licite;* nam *valide* ordines conferri possunt ab Episcopo *alieno*, immo ab Episcopo *haeretico*, schismatico, degradato aut censura irretito; quia potestas ordinis amitti nequit.

[4] Hinc Episcopi qui (*a*) vel populum sibi subjectum non habent, v.g. Episcopi titulares, (*b*) vel episcopatui suo renuntiarunt, nonnisi de alterius Episcopi licentia Ordines conferunt.

[5] Cap. 3, de temp. ord. in 6°.

praeter superioris ipsius licentiam, debeat ordinare; superior intelligitur in hoc casu Episcopus, de cujus dioecesi est is, qui ad ordines promoveri desiderat, oriundus (*born*), seu in cujus Dioecesi beneficium obtinet ecclesiasticum, seu habet, licet alibi natus fuerit, domicilium in eadem." Hisce tribus titulis Innocentius XII., in Const. *Speculatores*, 4 Nov. 1694, quartum adjunxit, nempe familiaritatis. De singulis hisce quatuor titulis seu modis quibus determinatur quis sit Episcopus proprius aliquid dicendum est.

**174.** I. *De proprio Episcopo ratione originis.*—Primo itaque Episcopus ratione originis (*birthplace*) is esse intelligitur in cujus dioecesi aliquis est natus. Lex haec generalis ita explicatur ut non *fortuito* (*accidentally*) nativitas alicubi contingat, qualis censeretur quando pater non moratur eo loco, nisi occasione itineris, officii, legationis obeundae, mercaturae exercendae, etc. In his casibus enim, non hujusmodi fortuita nativitas, sed patris origo spectanda est. Quis sit Episcopus proprius ratione originis relate ad *illegitimos* et *expositos*, vide Sanguineti, p. 145. Caeterum notandum est, hanc originis competentiam numquam cessare, et licet unus aut alter ex aliis titulis accedat, Episcopum originis numquam desinere esse Episcopum proprium.[1]

**175.** II. *Episcopus proprius ratione beneficii.*—Episcopus proprius ratione beneficii est Episcopus illius dioecesis, in qua clericus beneficium (*ecclesiastical benefice or office*) jam habet et pacifice possidet, et quod aptum et sufficiens est ad congruam vitae tuitionem.[2] Nomine itaque beneficii hic venit quodvis beneficium, sive *simplex* sive *curatum* (*with the care of souls*); non vero pensiones (*yearly pension*) licet perpetuae et ecclesiasticae; hae enim sensu proprio beneficia dici nequeunt. Sedulo tamen attendatur, hic non agi de beneficio prout est *titulus ordinationis*, sed prout determinat *proprium* Episcopum.

**176.** III. *Episcopus proprius ratione domicilii.*—Episcopus proprius ratione domicilii is est, in cujus dioecesi ordinandus domicilium (*residence, home*) habet, quamvis in alia dioecesi natus sit. Episcopus domicilii ita describitur ab Innocentio XII., Const. *Speculatores*, § 11: "Subditus ratione domicilii

[1] Sanguineti, l. c. p. 146. [2] Soglia, l. c. vol. II. p. 81.

ad effectum suscipiendi ordines is dumtaxat censeatur, qui licet alibi natus fuerit, illud tamen adeo stabiliter constituerit in alio loco, ut vel (*a*) per *decennium* saltem in eo habitando, (*b*) vel majorem rerum ac bonorum partem cum instructis aedibus in locum hujusmodi transferendo, ibique insuper per aliquod considerabile tempus" (v.g. sex menses) "commorando, satis superque *suum perpetuo ibidem permanendi animum* demonstraverit, (*c*) et nihilominus ulterius utroque casu, se vere et realiter animum hujusmodi habere, *jurejurando* adfirmet." Proinde in utroque casu sub littera *a* et *b*, jusjurandum necessarium est.[1]

**177.** IV. *Episcopus proprius ratione familiaritatis.*—Denique Episcopus fit proprius ratione familiaritatis intuitu illius quem *trium annorum* spatio secum habuerit familiarem (*as a member of his household*) et suis sumptibus aluerit.[2]

**178.** Proinde a quolibet Episcopo, cui quis subest propter *originem*, aut *beneficium*, aut *domicilium*, aut *familiaritatem*, ordines suscipere potest. Verum cum Episcopus ordines confert jure *beneficii* aut *familiaritatis*, necessariae sunt litterae testimoniales Episcopi originis et domicilii, per quas comperta sint vita, aetas, natales, mores clerici qui ordines suscepturus est.[3]

Juxta Concilium Plenarium Balt. II. n. 321, praedictae litterae testimoniales Episcopi originis requiruntur etiam cum Episcopus ordinaturus est ratione *domicilii* proprius.

**179.** Ab *alieno* Episcopo—id est, ab Episcopo cui quis non subest ratione originis, beneficii, domicilii aut familiaritatis,—nemo ordinari potest, nisi secum afferat *proprii* Episcopi litteras *dimissoriales*, et has quidem non generalibus verbis conceptas, sed quae clare et determinate exprimant ordinem vel ordines, pro quibus conferendis facultas datur.[4] Huc pertinet Const. *Apost. Sedis*, Susp. latae sent. S. Pontifici reservatae III.: "Suspensionem per annum ab ordinum

[1] Sanguineti, p. 147.

[2] Conc. Trid. sess. 23, c. 9, de Ref.; Sanguineti, l. c. p. 147; Soglia, l. c. p. 82.

[3] Innoc. XII., Const. *Speculatores*, § 3, 6.

[4] Conc. Pl. Balt. II. n. 319; Devoti, l. c. § xi.

administratione ipso jure incurrunt ordinantes alienum subditum, etiam sub praetextu *beneficii* statim conferendi, aut jam collati, sed minime sufficientis, absque ejus Episcopi *litteris dimissorialibus*, vel etiam subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit absque Ordinarii ejus loci *litteris testimonialibus.*" Qui ordinatur ab Episcopo non suo, cum dimissorialibus litteris, pertinet, ut antea, ad suum Episcopum, non vero ad Episcopum ordinantem.[1]

Jam vero, sicut Episcopo proprio competit facultas ordinandi subditos, ita eidem, vi jurisdictionis suae, competit jus suis subditis dandi *litteras dimissorias*, seu licentiam scripto exaratam adeundi alienum Episcopum pro recipiendis ordinibus. Potest autem has litteras dirigere vel ad Episcopum determinatum, vel ad *quemcumque* Episcopum Catholicum.[2]

### § 2. Episcopus Proprius Regularium.

(*By what Bishop are Regulars to be ordained?*)

**180.** Quae hactenus recensuimus de proprio Episcopo ordinationis, clericos *saeculares* respiciunt, non vero regulares. Proinde pauca hic dicenda sunt circa ea quae peculiari modo ad regulares pertinent. Quae autem hac de re ab Ecclesia sancita sunt, in Const. *Impositi Nobis,* 27 Feb. 1747, Benedicti XIV., praecipue continentur.[3] Porro haec constitutio etiam nunc habetur tamquam norma in hac materia omnino sequenda, etiam in hisce Statibus Foederatis.

**181.** *Quaer.* Quinam sit Episcopus *proprius* regularium?

*Resp.* 1° Episcopus proprius regularium a quo tamquam proprio ordines recipere debent, non est Episcopus *originis,* verum est ille *in cujus dioecesi situm est monasterium* vel domus religiosa. Ad *hunc solum Episcopum* proinde litterae dimissoriae[4] a Superiore religiosi qui ordinandus est, dari debent, et ab eo regulares debent ordines proinde suscipere.

[1] Pro formula harum litterarum vide Conc. Pl. apud Mayn. p. 290.

[2] Huguenin, n. 257.

[3] Bullar. Bened. XIV. tom. ii. p. 82.

[4] Litterae dimissoriae sunt delegatio facultatis facta Episcopo alieno conferendi ordines non subdito.

**182.** 2° Si tamen Episcopus iste sit absens vel legitime impeditus, tunc Superior regularis potest dimissorias dare ad alium quemcumque Episcopum,[1] ut ab eo regularis subditus ordines suscipere possit. Sed, ut sive Episcopus ordinans, sive regularis ordinatus non incurrant poenas canonicas statutas contra ordinantes alienum subditum, aut recipientes ordines ab Episcopo non proprio, necesse est ut habeatur testimonium authenticum Curiae Episcopalis dioecesanae de existentia impedimenti quominus ab Episcopo proprio ordines conferantur. Regulares ordinandi insuper debent vel saltem possunt *examinari* ab Episcopo a quo ordines recipiunt.

**183.** 3° Hae autem leges latae sunt per se pro veris Religiosis Ordinibus, qui nempe vota habent solemnia. Nam religiosi qui pertinent ad instituta seu Congregationes *votorum simplicium*, nisi habent speciale apostolicum privilegium,[2] ab Episcopo proprio ratione originis, domicilii, etc., eadem ratione ac clerici saeculares, ordinari debent.

**184.** 4° Advertendum est nonnullos ordines religiosos cum votis solemnibus gaudere *speciali privilegio* a S. Sede post Concilium Tridentinum directe ipsis concesso in forma speciali, ut ordinari possunt ii qui ad eos pertinent *a quolibet Episcopo communionem habente cum Sede Apostolica.*[3] Proinde hi religiosi, si habent litteras dimissoriales a suis Praelatis regularibus, a *quolibet Episcopo,* et non solum ab Episcopo loci ubi monasterium situm est, ordinationem recipere possunt.[4]

[1] *Schema X. Concilii Vaticani, de Regular.*, volebat ut litterae dimissoriae in casu, non ad *quemcumque* Episcopum, sed tantum ad *viciniorem* dirigerentur. (Martin, Arb. p. 124.)

[2] *Schema X. Concilii Vaticani, de Regular.*, decerni optabat hujusmodi privilegium non esse in posterum institutis votorum simplicium concedendum. (Martin, Arb. p. 124.)

[3] *Schema X. Concilii Vaticani, de Regular.*, statuebat ut in posterum hoc privilegium cuicumque ordini religioso adimeretur. (Martin, Arb. p. 124.)

[4] Sanguineti, l. c. p. 160; Soglia, vol. II. p. 84.

## § 3. CONGRUA SUSTENTATIO CLERICORUM SEU TITULUS ORDINATIONIS.

(*Suitable Support of Ecclesiastics, or Title of Ordination.*)

**185.** *Quaer.* Quid sibi velit titulus ordinationis?

*Resp.* Apud Scriptores ecclesiasticos Tituli (*title*) vocabulum applicatur Ecclesiis, idque vel a titulis seu nominibus Sanctorum quibus dicantur (*the Saints, in whose honor the churches were erected and dedicated*), vel ab ipsis clericis qui suum inde titulum et nomen accipiebant. Itaque latiori sensu titulus ordinationis (*the title of ordination*) est Ecclesia cui clericus in sua ordinatione adscribitur, et ubi propria sui ordinis officia exercet. Ex antiqua Ecclesiae disciplina nemo unus ordinari poterat sine titulo, hoc est sine certa Ecclesia cujus ministerio perpetuo addiceretur.[1] Sed quemadmodum clericum perpetuo in sua Ecclesia assiduum esse oportebat, *sic etiam jus* (*titulum*) *acquirebat ex redditibus ipsius accipiendi ea unde vitam honeste posset substentare.*[2] Hinc, stricto sensu, titulus ordinationis hic significat congruam clerici sustentationem.

**186.** *Quaer.* Utrum clericus qui ad sacros ordines promovendus sit, debeat habere titulum legitimum seu congruam sustentationem?

*Resp.* Cum indecorum omnino sit, atque a clericorum qui in sacris ordinibus constituuntur, dignitate prorsus alienum, ut ipsi aut emendicatis subsidiis (*to beg*) aut ex sordido quaestu (*engage in sordid trade*), ea quae ad victum necessaria sunt, sibi comparare cogantur, nemo sacris est initiandus ordinibus, nisi legitimum habeat titulum, seu sustentationem decentem.[3]

**187.** *Quaer.* Quinam sint, juxta praesentem Ecclesiae disciplinam, tituli legitimi ordinationis, seu modi quibus clericis ordinandis sustentatio congrua suppeditetur?

[1] Soglia, vol. II. p. 90.
[2] S. C. de P. F. Instr. de tit. ord. § 1, 27 Apr. 1871.
[3] Conc. Trid. sess. 21. cap. 2, de Ref.

*Resp.* Sunt sequentes: Titulus beneficii, paupertatis, mensae communis, patrimonii, pensionis, servitii Ecclesiae, sufficientiae, Collegii et Missionis.[1] Titulus beneficii ordinarius ac praecipuus titulus sacrae ordinationis dici debet.[2] Nemo proinde ad sacros ordines promoveri debet, nisi habeat aut beneficium, aut patrimonium, etc., unde habeat quod suppetat ad decentem ejus sustentationem.

**188.** Hisce in regionibus, clerici communiter *titulo Missionis* ad sacros ordines evehuntur.[3] Hinc praetermissis aliis titulis, quos utpote raro apud nos occurrentes commemorasse sat erit, de titulo missionis hic breviter disserendum est.[4]

**189.** *Quaer.* Quid sit titulus Missionis?

*Resp.* Titulus Missionis (*title of Mission*) adhiberi consuevit, cum alius legitimus titulus haud suppetit, pro iis, qui majoribus ordinibus initiari cupiunt, ut Apostolicarum Missionum servitio sesse devoveant. Id autem saepe contingit in locis Missionum, in quibus ea est rerum conditio, ut commune jus Ecclesiae circa ea, quae ad praerequisitum pro sacra ordinatione titulum spectant, servari adamussim nequeant. Qui vero hujusmodi titulo ordinati sunt, *ii ex Apostolico ministerio in Missione, cui fuerunt addicti, ad victum necessaria consequuntur.*[5]

**190.** *Quaer.* Quaenam praecipuae conditiones requirantur ut titulus Missionis adhiberi possit?

*Resp.* 1° Ordinarii non possunt clericos ad majores ordines

[1] Inst. S. C. de P. F. de tit. ord. § 2, 3.

[2] Conc. Trid. l. c.; Devoti, l. i. t. iv. § ix.

[3] Conc. Pl. Balt. II. n. 323; Conc. Pl. Balt. III. n. 61.

[4] In *Concilio Vaticano*, sequens *schema* de titulis ordinationis, propositum est: "Decernimus ut in quibus dioecesibus neque sufficiens beneficiorum aut pensionum ecclesiasticarum numerus est, neque patrimonii titulus . . . constitui potest, liceat Episcopis *eos quos pro necessitate vel commoditate* ecclesiarum suarum assumendos judicaverint, ordinare titulo patrimonii *prudenti ipsorum judicio congrui*, et majori qua fieri potest, securitate constituendi. Et si nec ita Patrimonium haberi possit, eosdem Episcopi ordinent *titulo servitii suae dioecesis* seu ecclesiae, et de ecclesiastico officio provideant, quo decenter sustentari valeant." Cf. Martin, Doc. p. 138.

[5] S. C. de P. F. Instr. de tit. ord. § 6.

promovere titulo Missionis, *nisi speciali S. Sedis indulto* muniti sint; agitur enim de titulo extraordinario qui praeter jus commune adhibitus est. Quod quidem indultum Episcopis seu Superioribus Missionum vel ad certum tempus—apud nos, ad quinquennium—vel ad praefixum casuum numerum concedi solet.[1]

**191.** 2° Omnes qui titulo Missionis inter sacros Ministros coöptari cupiunt, tenentur prius *juramentum emittere,* quo spondeunt Missioni seu dioecesi cui destinati sunt, se fore perpetuam operam daturos.[2] Unde qui hoc titulo ordinati sunt, tam arcto vinculo suae dioecesi obligantur, ut ab hoc ne quidem ab Episcopo absolvi possint, *sed Sanctae Sedis egeant dispensatione;* idque verum est non tantum de illis, qui ad aliam dioecesim cui incorporentur transire velint, sed etiam quibus sacram religionem ingredi desiderium sit.[3] (Nostrum *Elements,* vol. I. n. 589 sq. *editio sexta.*)

**192.** *Quaer.* Quomodo amitti possit titulus Missionis?

*Resp.* Vide Instr. S. C. de P. F. *de titulo ordinat.* § 11, 12, 13.[4]

**193.** *Quaer.* Quinam alii tituli, praeter titulum Missionis, apud nos, adhibeantur?

*Resp.* 1° Praeter titulum Missionis qui ad clericos *saeculares* spectat, existunt etiam apud nos duo alii tituli nempe *paupertatis* et *mensae communis* qui ad clerum *regularem* seu quasi regularem pertinent. Regulares proprie dicti, seu

[1] Inst. S. C. de P. F. cit. § 7. En formula facultatis quae a S. C. de Prop. Fide, Episcopis tum hujus regionis, tum aliorum locorum Missionum conceditur: "Promovendi clericos sibi subditos ad Subdiaconatum aliosque ordines majores usque ad Presbyteratum inclusive *titulo missionis,* praestito tamen ab eisdem Clericis juramento antequam subdiaconi ordinentur, quo spondeant, ad instar Pontificiorum alumnorum, suae dioecesi vel missioni se esse perpetuo inservituros." Form. Fac. Extr. C. n. 11; Conc. Plen. Balt II. n. 323.

[2] Formam hujus juramenti ab omnibus usurpandam, juxta mandatum S. C. de P. F., invenies in Conc. Pl. Balt. III. p. 209.

[3] Inst. S. C. de P. F. de tit. ord. § 8, 10, 11; Conc. Plen. Balt. III. n. 61. Jusjurandum pro *tota provincia* apud nos valet. (S. C. de P. F. 30 Nov. 1885.)

[4] Instructio haec habetur in Conc. Pl. Balt III. p. 208.

illi qui *vota solemnia* nuncupant in religione approbata ordinantur ad titulum religiosae paupertatis.

2° Titulus *mensae communis* clericos quasi regulares attingit. Porro quasi regulares, id est, illi qui religiosorum more vitam communem agunt, qui tamen aut nulla nuncupant vota, aut simplicia tantum, possunt sacris ordinibus initiari ad titulum mensae communis, si eorum Congregationes aut Instituta peculiari ad id privilegio ab Apostolica Sede aucta fuerint.[1]

**194.** *Observatio I.* Hic opportunum esset quaerere: Quinam non debeant promoveri ad ordines? Responsio generalis est, eos omnes ab ordinibus esse repellendos qui sunt *irregulares*. Porro de irregularitatibus vide Theologiam moralem, ubi late disseritur hac de re; nostrum *Elements*, vol. III. n. 1925 sq., 3118 sq.

**195.** *Observatio II.* Operae pretium esset etiam hic quaerere: Utrum potestas ordinis *auferri, amitti,* aut *restringi* possit? Generalis responsio est hanc potestatem neque auferri neque restringi posse. Siquidem a Deo immediate per sacram ordinationem modo *indelebili* confertur. Potest tamen ejus *usus* seu *exercitium* restringi aut prorsus prohiberi, v.g. per suspensionem, excommunicationem. Nonobstante autem tali suspensione posset suspensus *valide,* quamvis non licite ordines exercere. De Suspensione, ex professo agimus, in nostro *Elements*, vol. III. n. 3282 sq.

**196.** Haec de potestate ordinis pro nostro scopo sufficiant. Quoad alia relate ad hanc materiam, vide theologiam tum dogmaticam tum moralem. Jam ad *potestatem jurisdictionis* gradum faciamus.

[1] S. C. de P. F. Instr. cit. § 4; Soglia, vol. II. p. 94.

# Pars Secunda.

## DE PERSONIS ECCLESIASTICIS QUATENUS AD HIERARCHIAM "JURISDICTIONIS" PERTINENT.

(*Ecclesiastical Persons as vested with Jurisdiction in the Church.*)

**197.** *Divisio generalis hujus secundae Partis.*—Absolutis iis quae ad personas ecclesiasticas pertinent quatenus in hierarchia *ordinis* sunt, ad hierarchiam *jurisdictionis* de qua in jure ecclesiastico sermo praecipuus est, nosmet convertimus. Proinde, in hac secunda parte, verba facturi sumus de personis ecclesiasticis *quatenus jurisdictione pollent.* Hinc videndum est in hac parte, quid sit jurisdictio ecclesiastica, quomodo acquiratur, restringatur et amittatur. Et quoniam jurisdictio ordinaria acquiritur eo ipso quod *officium* ecclesiasticum cui annectitur jurisdictio obtinetur, hinc nonnulla disserenda sunt de modo quo officia ecclesiastica, v.g. parochiae—constituuntur, conferuntur et auferuntur.

**198.** Hisce visis in genere, postea de personis agemus quae diversis gradibus jurisdictionem possident; illorum jura et potestatem singillatim expendemus. Nam potestas jurisdictionis, non secus ac potestas ordinis non *aequali modo,* sed *diversis gradibus,* inter ecclesiasticas personas, Christi voluntate distributa est. S. Pontifex *supremum* habet gradum jurisdictionis; Episcopi aliique vero *inferiores gradus.*

**199.** Hanc secundam partem proinde in duas sectiones dividemus: sectio prima aget de natura, etc., jurisdictionis; secunda sectio de diversis gradibus personarum quae illam possident, id est de S. Pontifice, de Cardinalibus, Episcopis, etc.

# SECTIO I.

## DE PERSONIS QUATENUS JURISDICTIONEM ECCLESIASTICAM POSSIDENT, IN GENERE.

(*Of Ecclesiastics, as possessed of Jurisdiction, in General.*)

---

# CAPUT I.

## DE NATURA JURISDICTIONIS ECCLESIASTICAE.

(*Character of Ecclesiastical Jurisdiction.*)

### ART. I.

### QUID SIT JURISDICTIO ECCLESIASTICA?

(*What is meant by Ecclesiastical Jurisdiction?*)

**200.** *Quaer.* Quid sit potestas jurisdictionis ecclesiasticae?

*Resp.* Jurisdictio ecclesiastica est potestas *regendi* et *gubernandi* subditos in ordine ad vitam aeternam. Dicitur *in ordine ad vitam aeternam.* Hisce verbis distinguitur jurisdictio ecclesiastica a jurisdictione *saecularis* auctoritatis. Nam jurisdictio saecularis auctoritatis est potestas regendi subditos in ordine ad vitam praesentem et felicitatem temporalem. Potestas autem jurisdictionis ecclesiasticae complectitur potestatem (*a*) *docendi,* seu potestatem *magisterii;* (*b*) *dispensandi* fidelibus sacramenta aliaque bona spiritualia; (*c*) potestatem legislativam, judicialem et coercitivam; (*d*) possidendi et administrandi bona temporalia, etc. Ex hisce patet potestatem jurisdictionis, quam Ecclesia habet, esse potestatem *publicam* et *socialem.*

**201.** *Quaer.* Utrum Ecclesia habeat jurisdictionem proprie dictam?

*Resp.* Protestantes contendunt totam Ecclesiae potestatem in *docendo* et *monendo,* nequaquam in *imperando* sitam esse. Haec autem assertio prorsus erronea et falsa est. Nam, uti jam perspectum habemus, Ecclesia, ex voluntate ipsius Christi, est *societas* (*a society, an organized body*) externa, perfecta et suprema. Porro nulla potest consistere societas perfecta, quae non habet jurisdictionem proprie dictam, seu auctoritatem regendi subditos. Hinc Ecclesia, non secus ac auctoritas civilis, potest, in sua sphaera, leges ferre, judicare, punire, etc., et quidem ex Christi voluntate [1] (Nostrum *Elements,* vol. I. n. 702 sq.)

**202.** *Quaer.* Quinam sint varii gradus personarum inter quas potestas jurisdictionis distribuitur?

*Resp.* Potestas jurisdictionis a Christo Domino ita Ecclesiae data est, ut per varios Ministros seu personas, *variis gradibus,* non vero *aequali* vel *eodem gradu* sit exercenda. Proinde Personae Ecclesiasticae, inter quas distributa est jurisdictio ecclesiastica non sunt omnes *aequalis gradus* ac potestatis, sed ex ipsa Christi lege atque inde manante Ecclesiae constitutione *alii aliis sunt majores.*[2] Haec autem gradatio (*grade*) vocatur hierarchia.

**203.** Quare hierarchia jurisdictionis recte definitur: "Series seu collectio personarum quatenus jurisdictionem ecclesiasticam variis gradibus possident." Haec autem diversitas graduum, qua alii majorem, alii minorem exercent jurisdictionem ex ipsa societatis conceptu oritur. In omni enim societate necessario habentur illi qui potestatem *in supremo* gradu possident; et alii qui *subordinatam* et inferiorem exercent. Secus enim confusio et rerum omnium perturbatio existeret.

**204.** Porro, jure divino, duplex est gradus jurisdictionis in Ecclesia: 1° *Suprema* et *universalis* jurisdictio, in universalem Ecclesiam, a Christo Beato Petro ejus successoribus S. Pontificibus collata;[3] 2° *Subordinata* et *partialis* ab eodem Domino Episcopis collata.[4] Proinde haec gradatio seu hierarchia jurisdictionis est *institutionis divinae.* Jure autem *ecclesiastico* alii sunt gradus sicilicet: Sacrae Congregationes Cardina-

[1] Soglia, vol. I. p. 145.
[2] Sanguineti, l. c. p. 88.
[3] Jo. xxi. 15, 17.
[4] Acta Apost. xx. 17.

lium, legati Apostolici, Patriarchae, Metropolitae, atque ministri in ordine inferiori, quales sunt parochi.[1] Potestas singulis hisce ministris attributa determinatur regulis canonicis, uti videbimus in secunda hujus partis sectione.

**205.** *Quaer.* Quomodo discrepet jurisdictio a potestate ordinis?

*Resp.* Vide supra, ubi de potestate ordinis egimus. Hic solum animadvertendum est, jurisdictionem non necessario respondere in gradu potestati ordinis; sic, ex. gr. Cardinales S. Congregationum, quamvis non sint Episcopi, majorem habent jurisdictionem quam Episcopi in sua dioecesi.[2]

**206.** *Quaer.* Quaenam sint objecta jurisdictionis ecclesiasticae?

*Resp.* 1° Triplicem esse classem: 1. Alia enim *directe* pertinent ad auctoritatem Ecclesiae. Hujusmodi sunt res *essentialiter* spirituales, id est, res et actus quorum finis praecipuus est spiritualis. Inter has res principem locum obtinent causae quae versantur circa sacramenta, fidem et religionem, cultum divinum, disciplinam ecclesiasticam, jura et officia sacrorum Ministrorum.[3]

2° Alia *indirecte* pertinent ad Ecclesiae auctoritatem. Tales sunt res temporales, quatenus esse possunt materia supernaturalium actuum aut virtutum, aut etiam vitiorum.

3° Alia denique pertinent, uno eodemque tempore, quamvis diverso sub respectu, ad Ecclesiam simul et societatem civilem. (Cf. nostrum *Elements*, vol. I. n. 204 sq.)

**207.** Haec de causis *ratione sui* (*by their very nature*) ecclesiastico foro destinatis. Aliae sunt res et causae eidem foro addictae *ratione personarum*, quas tangunt. Sic, si jus commune Ecclesiae inspiciatur, solus Episcopus, et non civilis potestas, est iudex competens in quibuslibet causis, etiam *temporalibus* clericorum. Dicitur, si *jus commune inspiciatur;* nam, hodiernis temporibus, ex indulgentia S. Sedis, causae temporales clericorum, vix ullibi, nisi a saeculari potestate

[1] Bouix, de Princ. p. 515; Prael. in Sem. S. Sulp. n. 276.
[2] Sanguineti, p. 183.
[3] Bened. XIV. De Syn. l. 9, c. 9, n. 2.

dirimuntur.[1] Quoad nostram regionem, vide Conc. Pl. Balt. III. n. 84, et nostrum *Elements,* vol. I. n. 206, 456.

## ART. II.

### DIVISIO JURISDICTIONIS ECCLESIASTICAE.

(*How is Ecclesiastical Jurisdiction divided?*)

**208.** *Quaer.* Quotuplex sit jurisdictio ecclesiastica?

*Resp.* Jurisdictio ecclesiastica dividitur I. *ratione fori quo exercetur,* in jurisdictionem fori interni, et fori externi. *Jurisdictio fori interni* (*jurisdiction of the internal form*) est illa quae *primario* et *directe* refertur ad *privatam* uniuscujusque fidelis utilitatem. Exercetur autem per Sacramenta et Sacramentalia. Talis est jurisdictio parochorum. Subdividitur in jurisdictionem *fori poenitentialis,* quae nempe intra tribunal poenitentiae tantum exercetur; et in jurisdictionem *fori extrapoenitentialis,* nempe quae extra illud tribunal exercetur, v.g. quando superior dispensat in voto, irregularitate occulta, etc.

**209.** *Jurisdictio externa seu fori externi* (*jurisdiction of the external forum of the Church*) ea est quae *directe* et *primario publicam* corporis fidelium seu Societatis Ecclesiasticae utilitatem respicit; ad illam pertinet potestas leges ferendi, judicandi, etc. Aliquando magna opus est prudentia in determinando quaenam ad fori interni et quaenam ad fori externi jurisdictionem pertineant. Exemplum praebeo. Facultas praedicandi et absolvendi a peccatis est fori interni. Ast potestas qua superior concedit facultatem praedicandi vel absolvendi ad forum externum pertinet.[2]

**210.** II. *Ratione objecti circa quod versatur* et modo quo exercetur, in jurisdictionem voluntariam et contentiosam. *Voluntaria* quae etiam *extrajudicialis* vocatur (*voluntary jurisdiction*), illa est quam superior exercere potest absque formis pro judiciis (*trials*) a jure praescriptis. Hujusmodi est (*a*) jurisdictio *gratiosa,* qua superior largitur favores, privilegia; (*b*) jurisdictio *legislativa* et *administrativa. Con-*

[1] Bened. XIV. De Syn. l. 9, c. 9, n. 9.

[2] Bouix, de Princ. p. 525.

*tentiosa* vero seu *judicialis* (*contentious, judicial jurisdiction*) ea est quae juxta formas (*formalities*) a lege pro judiciis praescriptas exercenda est. Tales sunt causae de quibus contenditur inter duas partes litigantes, v.g. causae matrimoniales et beneficiales; poenae quae excedunt limites correptionis paternae. Jurisdictio contentiosa, extra casus in jure communi expressos, neque valide neque licite extra limites proprii territorii exerceri potest; voluntaria vero *valide* ubique, et si publice non fiat etiam licite exercetur.

**211.** III. *Ratione modi quo acquiritur,* in jurisdictionem ordinariam et delegatam. *Ordinaria* (*ordinary jurisdiction*) dicitur quae per legem vel consuetudinem vel privilegium, legitime et perpetuo alicui dignitati, beneficio seu officio ecclesiastico inhaeret, ita ut si quis officium (*office, v.g., of a canonical parish priest*) hujusmodi consequatur, eo ipso etiam jurisdictionem et potestatem huic officio annexam obtineat.

**212.** *Delegata* (*delegated jurisdiction*) ea est quam quis habet, non vi sui officii, et proinde non jure proprio, sed solum ex commissione alterius (*by authorization from another*). Hinc delegatus (*attorney, agent, deputy, representative*) non suo sed alieno agit nomine et auctoritate. Delegari quis potest (*a*) vel ad unam vel alteram causam tantum (*agent for one or two cases*); vel ad universitatem causarum (*agent for all matters, general agent*), seu ad omnes causas vel saltem certum genus causarum, v.g. causas matrimoniales.

**213.** IV. In *jurisdictionem immediatam et mediatam.*—*Immediata* (*direct jurisdiction*) est illa quam Superior potest exercere generaliter et independenter a casu appellationis aut devolutionis. Talis est jurisdictio S. Pontificis in tota Ecclesia, Episcopi in sua dioecesi. *Mediatam* (*indirect, appellate jurisdiction*) vocamus illam jurisdictionem quam aliquis exercere non potest nisi in casu appellationis aut devolutionis. Talis est Jurisdictio Metropolitani in sua provincia.

**214.** V. In *generalem* et *particularem.*—*Generalis* (*unlimited jurisdiction*) est quae nullo arctatur limite, nec quoad personas, nec quoad loca, nec quoad materias potestati Ecclesiae subjectas. Talis fuit jurisdictio Apostolorum; et nunc talis est jurisdictio S. Pontificis. *Particularis* (*restricted*

*jurisdiction*) est, quae restringitur vel quoad personas, vel quoad loca, vel quoad materias. Quando jurisdictio particularis determinata est ad *certas personas*, exerceri potest ubique locorum. Hinc Praelatus regularium jurisdictionem suam in monachos sibi subditos potest ubique exercere, modo non turbet jurisdictionem dioecesani in cujus dioecesi versatur.[1] (Nostrum *Elements*, vol. I. n. 208–217.)

---

# CAPUT II.

## DE MODO QUO JURISDICTIO "DELEGATA" ACQUIRATUR.

(*Manner of obtaining delegated Jurisdiction.*)

**215.** *Jurisdictio acquirenda est modo legitimo.*—Qui ex propria audacia invadunt ecclesiasticam potestatem dicuntur *intrusi*, et illorum actus jurisdictionales sunt pleno jure irriti. Exponendae igitur sunt viae legitimae ad adipiscendam jurisdictionem ecclesiasticam, sive ordinariam sive delegatam.

Jurisdictio ordinaria acquiritur *officio ecclesiastico*; jurisdictio delegata autem *delegatione*.

**216.** In praesenti capite de adeptione jurisdictionis delegatae; in sequente, jurisdictionis ordinariae agemus.

Ut jurisdictio autem acquiri possit per delegationem, tres requiruntur conditiones: (*a*) potestas in concedente seu delegante; (*b*) habilitas in subjecto seu delegato; (*c*) et forma debita in actu concessionis.

Triplex igitur occurrit circa acquisitionem jurisdictionis delegatae quaestio hic dissolvenda: 1. Quis potest delegare; 2. Quibus potest dari delegatio; 3. Qualis debet esse actus delegationis.

[1] Bouix, De Princ. p. 563.

## ART. I.

### POTESTAS IN CONCEDENTE, SEU QUIS POTEST ALTERI JURISDICTIONEM DELEGARE?

*(Who can authorize others to act for him, in Matters of Ecclesiastical Jurisdiction?)*

**217.** Jurisdictio delegata alicui conferri potest vel a *jure*, vel ab *homine*. Datur alicui *a jure* (*by the law*) quando jurisdictio illi delegatur vi juris communis, statuti localis vel consuetudinis legitime praescriptae. Sic, in multis casibus, Episcopi constituti sunt a Concilio Tridentino delegati Sedis Apostolicae. Confertur autem *ab homine* (*by a person, that is, by the competent Superior*), quando superior suas vices alicui committit sive in casu particulari, sive modo universali.[1] Loquimur autem hic praesertim de delegatione ab homine.

**218.** *Quaer.* Quis possit aliis suam jurisdictionem delegare?

*Resp.* Aliquem delegare idem est ac illi suam jurisdictionem vel in totum[2] vel ex parte exercendam demandare. Porro quicumque habet jurisdictionem ordinariam, potest alteri illam delegare, et sic vices suas alteri committere, et proinde suam auctoritatem exercere non solum per seipsum, verum etiam per alium nisi lex aliqua obstat. Hoc constat ex regula juris 68, in 6°: "*Potest quis per alium quod potest facere per seipsum.*"

**219.** *Quaer.* Utrum non solum ii qui ordinariam, verum etiam illi qui delegatam tantum habent jurisdictionem, possint alios delegare?

*Resp.* Generaliter loquendo, delegatus non potest subdelegare, nisi hoc sibi expresse seu positive concedatur a delegante. Ratio est quia delegatus non *suam* sed alterius exercet juris-

[1] Prael. S. Sulp. vol. I. p. 525.

[2] Potest quis totam suam jurisdictionem, generaliter, ad tempus, *non vero in perpetuum* alteri committere. Nam hujusmodi *perpetua* delegatio idem esset ac renuntiatio (*resignation*) officii, quod fieri nequit absque consensu legitimi superioris.

[3] Cf. L. More 5 ff. de jurisd. (ii. 1).

dictionem, et proinde tenetur munus sibi commissum obire juxta intentionem et voluntatem delegantis, seu illius cujus vices supplet. Dicitur generaliter loquendo; nam regula haec suas habet exceptiones, quas modo recensebimus.

**220.** *Quaer.* Quinam delegati possint subdelegare etiam absque consensu expresso delegantis?

*Resp.* I. Si quis a S. Pontifice vel a Sacris Congregationibus sit delegatus, subdelegare potest, absque expresso consensu S. Pontificis aut S. Congregationis illum delegantis. Nam delegato S. Sedis potestas vices suas alteri delegandi, conceditur a jure communi approbato a S. Pontifice. En verba legis:[1] "Cum Delegato a Principe (Papa), jurisdictio seu potestas dandi judicem sit a lege concessa."[2] Excipe 1° Nisi causa sit delegato *personaliter* commissa, id est, nisi electa sit *industria ipsius delegati* (*unless the delegate was chosen because of his personal and special capacity*);[3] 2° Nisi facultas delegata sit *nudum* Ministerium, seu simplex executio, ut quando datur Vicario generali potestas dispensationem, a S. Sede concessam, executioni mandandi. (Nostrum *Elements*, vol. I. n. 228.)

**221.** II. Quoad illos qui sunt delegati ab inferioribus Ordinariis, v.g. ab Episcopis, non possunt generatim subdelegare, nisi id eis a delegante fuerit concessum. Hoc enim nec a delegante nec a jure concessum est, imo potius negatum legitur in jure, quod sic se habet: "Cum nonnisi delegatus a Principe (Papa) alii valeat delegare."[4] Dicitur *generatim.* Nam possunt subdelegare jurisdictionem, licentias vel facultates, sed tantum ad *causam particularem,* etiamsi id eis non concedatur a delegante, si delegati sint ad *universalitatem caasarum* (*general agents, agents for all matters*). Hujusmodi enim Delegati aequiparantur *Ordinariis,* et *quasi ordinarii* vocantur.[5] Hoc nititur consensu doctorum et universali consuetudine potiusquam textibus juris. Idem a fortiori dicendum est de iis quibus jurisdictio delegata ad universitatem causarum

[1] Cap. Pastoralis 28, de off. jud. deleg.
[2] Cf. cap. 43, de off. jud. deleg.
[3] Cap. ult. § Is autem, de off. jud. deleg.
[4] Cap. 62, de Appell.
[5] De Brab. n. 104.

confertur *tamquam per officium*,[1] seu per modum vel adinstar officii, vel etiam uti privilegium perpetuo suo officio aut dignitati adnexum.[2] (Nostrum *Elements*, vol. I. n. 229.)

## ART. II.

### HABILITAS IN SUBJECTO VEL QUI DELEGARI POSSINT?

*(To whom can Ecclesiastical Jurisdiction be delegated?)*

**222.** *Quaer.* Quinam delegari possint?

*Resp.* Omnes illi qui (*a*) immunes sunt a *vitiis* (*who are free from defects, disqualifications*) quae excludunt a jurisdictione, (*b*) et habent *dotes requisitas* (*requisite qualifications*). Porro I. *vitia* quae excludunt vel sunt (*a*) a *natura*, ut defectus rationis; (*b*) vel *a lege*, ut excommunicatio non tolerati; (*c*) vel *a moribus* seu consuetudine, ut foeminae et laici.

**223.** II. *Dotes* quae praecipue requiruntur, sunt: 1° *Status clericalis*. Hoc expresse statuitur in jure communi, hisce verbis: "Decernimus, ut *laici* ecclesiastica tractare negotia non praesumant."[3] Hinc Episcopi aliique Praelati Papae inferiores non possunt laico delegare (*a*) causam aliquam spiritualem, (*b*) vel criminalem clericorum, (*c*) ac probabilius nec etiam causam temporalem clericorum judicialiter cognoscendam. Dicitur *Papae inferiores;* nam status clericalis non est adeo necessarius ut nequidem auctoritate S. Pontificis aliquis laicus possit ullam jurisdictionem ecclesiasticam habere. Provenit enim haec jurisdictio non a charactere *Sacramentali ordinis*, sed a *delegatione* ecclesiae.[4] (Nostrum *Elements*, l. c. n. 234.)

**224.** 2° Canones insuper commendant ut pro gravitate negotii eligatur delegatus *providus, juris peritus, discretus*,[5] etc.

**225.** 3° Praeterea delegandus a Papa constitutus esse debet regulariter in aliqua dignitate ecclesiastica.[6]

[1] Tales censentur Decani rurales.
[2] Craiss. n. 309.
[3] Cap. 2, de Judic.
[4] De Brab. n. 106.
[5] Cap. 1, de Consang. et aff.
[6] Cap. Statutum 11, de rescript. in 6 (I. 3); Clem. cap. 2, de Rescript.

## ART. III.

### FORMA DEBITA IN ACTU CONCESSIONIS.

(*Formalities to be observed in the Act by which delegated Jurisdiction is conferred.*)

**226.** *Quaer.* Qualis debeat esse actus delegationis ab homine?

*Resp.* 1° Jurisdictio seu facultas delegata requiritur vel ad *validitatem* actus, v.g. approbatio et jurisdictio pro confessionibus audiendis, vel tantum ad *liceitatem* actus, v.g. licentia administrandi Baptismum, Extremam Unctionem, Matrimonium in locis ubi decretum *Tametsi* Concilii Tridentini nondum est promulgatum.

2° In *primo* casu, actus delegationis (*the authorization, the conferring of delegated authority*) debet esse *positivus,* id est, *expressus,* vel saltem ita praesumptus ut quibusdam signis indicetur consensus de praesenti (*actual or present consent*). Proinde consensus *mere internus* non sufficit, v.g. pro approbatione ad Confessiones excipiendas, neque pro administrando Matrimonio, in locis ubi decretum Tridentinum *Tametsi* est promulgatum.

3° In *secundo* casu, id est, ubi delegatio necessaria est, solum ad *liceitatem* actus, sufficit licentia *rationabiliter praesumpta* (*consent which may be reasonably presumed*) vel *ratihabitio rationabiliter sperata* (*reasonable hope that the Superior will ratify the act*).

**227.** *Quaer.* An aliqua forma servanda sit in collatione jurisdictionis delegatae?

*Resp.* Quando jurisdictio delegata confertur ab homine, nulla forma specialis requiritur. Sufficit ut verbo, scripto, vel alio signo sufficienter manifestetur, uti supra vidimus, *voluntas positiva vel praesumpta Superioris jurisdictionem concedentis,* nisi in casibus a jure expressis. Neque requiritur ulla forma specialis pro collatione jurisdictionis delegatae quae confertur a jure; talis enim confertur cum officio.[1]

[1] De Brab. n. 109.

**228.** *Quaer.* Quid servare debeat delegatus in exercitio jurisdictionis delegatae?

*Resp.* Quando delegatus exercet actum jurisdictionis delegatae, debet indicare actum a se peragi *auctoritate delegantis.* Idcirco SS. Pontifices consueverunt praescribere in nonnullis causis majoris momenti, ut exprimatur in actu concessionis facultatem dari ex auctoritate S. Sedis.

**229.** Hinc Episcopi horum Statuum Foederatorum, quando concedunt vel exercent facultates a S. Sede ipsis delegatas, hac utuntur formula: "Vigore facultatum a S. D. N. Leone XIII. nobis collatarum," etc. Attamen haec vel alia similis expressio seu formula non requiritur hodie ad *validitatem* exercitii facultatum a S. Sede concessarum, nisi id in indulto Pontificio praecipitur, et quidem sub poena nullitatis, v.g. per clausulam irritantem—*alias irritae sunt.*[1] (Nostrum *Elements,* vol. I. n. 248.)

---

# CAPUT III.

## MODUS ACQUIRENDI JURISDICTIONEM "ORDINARIAM" ET PROINDE OFFICIA ECCLESIASTICA.

(*How ordinary Jurisdiction and therefore Ecclesiastical Offices are obtained.*)

**230.** *Jurisdictio ordinaria acquiritur mediante officio.*—Jurisdictio *delegata* acquiritur per delegationem uti in praecedenti capite exposuimus. Jurisdictio vero *ordinaria* acquiritur *mediante officio ecclesiastico.* Aliis verbis, jurisdictio ordinaria acquiritur a clerico per collationem officii (*by appointment to office*). Nam jurisdictio ordinaria ea est, uti jam diximus, quae annexa est alicui officio, beneficio vel dignitati. Hinc jurisdictio haec unice acquiritur per adeptionem officii vel dignitatis ecclesiasticae (*by the obtaining of an office*). Proinde videamus nunc quibus modis officia ecclesiastica erigantur necnon conferantur seu acquirantur, et sic eo ipso per-

[1] S. C. Inqu. 15 Junii 1875; Konings, Comp. n. 1628, qu. 6.

spectum habebimus quibus modis jurisdictio ordinaria obtinetur.

# TITULUS I.

## ERECTIO OFFICII ECCLESIASTICI.

## ART. I.

### ERECTIO SEU CONSTITUTIO OFFICIORUM ECCLESIASTICORUM IN GENERE.

(*Erection or Establishment of Ecclesiastical Offices in general.*)

### § 1. QUID SIT OFFICIUM ECCLESIASTICUM?

(*What is an Ecclesiastical Office?*)

**231.** *Definitio.*—Officium ecclesiasticum (*an ecclesiastical office*) est jus clerico legitime competens exercendi aliquod munus seu ministerium ecclesiasticum vel spirituale in certa ecclesia, altari vel loco.[1] Functiones autem et munera ecclesiastica dividuntur (*a*) in ea quae jurisdictionem quamdam adjunctam habent, veluti Munus episcopale, parochiale, vel munus audiendi confessiones; (*b*) et in ea quibus nulla jurisdictio incumbit, v.g. praedicatio verbi, celebratio missae, administratio Eucharistiae, etc.[2]

**232.** Agimus autem hic solummodo de iis officiis seu ministeriis quae adnexam aliquam habent jurisdictionem sive fori interni, sive externi. Hujusmodi autem officio, uti aequum et justum est,[3] jus est regulariter adnexum, quo ille qui functiones seu munera officii adimplet, perpetuo, id est, quoad vixerit, percipit redditus annuos, ex certis bonis ecclesiasticis. Hoc autem jus percipiendi redditus alicujus officii vocatur beneficium (*benefice, ecclesiastical income*). Porro jus recipiendi redditus (*the income, salary*) datur propter officium seu munus vel ministerium spirituale quod beneficiarius (*the incumbent of the office*) adimplet.

[1] Phillips, Lehrb. § 71.
[2] Soglia, vol. II. § 81.
[3] I. Cor. ix. 13.

**233.** Proinde ad beneficii naturam, tria maxime pertinent: 1° Officium spirituale; 2° jus perpetuum recipiendi fructus seu redditus ex bonis ecclesiasticis; 3° Ecclesiae auctoritas, id est, auctoritas S. Pontificis vel Episcopi, quorum est bona constituere (*to fix the revenue*) eisque spirituale officium adnectere. Hinc etiam multoties apud canonistas beneficium idem significat ad officium, et vice versa.[1]

**234.** Quoniam autem spirituale officium est praecipuum elementum in beneficio, jus vero percipiendi fructus secundarium et sacro ministerio veluti adnexum, hinc apud Theologos beneficium seu officium ecclesiasticum definitur: "Jus obeundi spiritualis Ministerii seu muneris auctoritate ecclesiastica constituti, cui jus percipiendi fructus perpetuo adnexum est." Apud Canonistas vero generatim beneficium seu officium ecclesiasticum definitur: "Jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis ratione spiritualis officii auctoritate ecclesiastica constitutum." Caeterum utram definitionem eligas, non multum interest. Nam ipsi canonistae praecipuam causam beneficii, ejusque naturam in ministerio seu munere spirituali constituunt.[2]

## § 2. Ad quem pertineat Erectio Officiorum in Ecclesia?

*(By whom are Ecclesiastical Offices to be erected?)*

**235.** *Quaer.* Quid sit erectio officii ecclesiastici?

*Resp.* 1° Erectio officiorum seu beneficiorum ecclesiasticorum (*erection, establishment of ecclesiastical offices*), prout hic sumitur est "actus legitimus quo sacrum aliquod servitium vel ministerium (*a spiritual duty or function*) in certa Ecclesia vel altari a clerico obeundum constituitur, cum perpetuo redditu quem clericus percipit ratione ministerii spiritualis."

2° Officia seu beneficia ecclesiastica dividuntur, *ratione muneris seu servitii spiritualis*, (*a*) in *majora* (*the higher ecclesiastical offices*) et (*b*) *minora* (*the lesser offices*).[3] *Majora* dicuntur, quibus primi in Ecclesia gradus cum animarum cura et *externa jurisdictione* adhaerent, veluti Pontificatus,

[1] Phillips, Comp. § 71.
[2] Soglia, l. c. § 81.
[3] Phillips, Lehrb § 72.

Cardinalatus, Archiepiscopatus, Episcopatus, etc. *Minora* censentur reliqua omnia officia. Minora autem dispertiuntur praecipue in *curata* (*offices with the care of souls attached*) et non *curata* (*offices without the care of souls*). Curata dicuntur, quibus animarum cura cum jurisdictione in foro interno adnexa sunt, v.g. officium parochi; caetera vocantur *non curata.*

**236.** *Quaer.* Cujus sit erigere seu instituere officia et beneficia ecclesiastica?

*Resp.* I. *Sedes Romana.*—Romanam Sedem (*the See or diocese of Rome*) seu dioecesim Urbis Romae ipse Christus Dominus fundavit ac erexit. Aliis verbis, Christus Dominus, per Beatum Petrum Apostolum, dioecesim Romanam instituit, et Sedi huic privilegium illud contulit, ut ejus Episcopi successores essent Beati Petri in suprema et universali jurisdictione super totam Ecclesiam.[1] Hinc ait Nicolaus Papa II.: "Romanam Ecclesiam solus ille fundavit . . . ac erexit, qui beato aeternae vitae clavigero (B. Petro) terreni simul et coelestis imperii jura commisit."[2] Eodem modo, Gelasius Papa scribit: "Sancta Romana, Catholica et Apostolica Ecclesia . . . Evangelica voce Domini et Salvatoris nostri primatum obtinuit."[3] Proinde Christus ipse, per B. Petrum, Sedi Romanae primatum seu Pontificatum maximum alligavit.[4]

**237.** II. *Episcopatus, etc.*—Ad S. Pontificem dumtaxat pertinet erectio (*a*) Sedium Episcopalium (*Dioceses, Episcopal sees*), Archiepiscopalium, etc., (*b*) itemque Capitulorum (*Cathedral and collegiate chapters*), (*c*) ac demum Dignitatum (*Dignitaries of chapters*) quae in ipsis capitulis instituuntur.[5]

**238.** III. *Parochiae, etc.*—Ad Episcopum vero generatim loquendo, spectat erectio aliorum officiorum et Ecclesiarum parochialium, positis tamen quibusdam conditionibus quas mox indicabimus. (Cf. nostrum *Elements of Ecclesiastical Law,* vol. I. n. 360.)

[1] Phillips, K. R. vol. I. p. 152. [2] Can. 1, Dist. 22.
[3] Can. 3, Dist. 21.
[4] Lotterus, de Re benef. l. i. q. 5, n. 9, 10–13.
[5] Can. 1, 2, Dist. 22.

## ART. II.

### QUIBUS MODIS ERIGUNTUR PAROCHIAE ET MISSIONES?

*(In how many Ways are Parishes and Missions erected?)*

**239.** Eriguntur novae parochiae et Missiones apud nos, triplici praesertim modo: 1° per creationem; 2° per dismembrationem; 3° per unionem. De singulis hisce modis nunc breviter disseremus.

### § 1. Erectio Parochiarum per Creationem, etiam in hisce Foederatis Statibus.

*(Erection of new Parishes by way of creating them, also in the United States.)*

**240.** *Quaer.* Quid sit creatio novae parochiae et missionis?

*Resp.* Nova parochia erigitur per viam creationis quando efformatur, non ex portionibus parochiarum jam existentium, sed ex populo vel territorio *nondum ulli parochiae adscripto*, sicut contingit plerumque in regionibus Missionum (*in missionary countries*), et etiam adhuc in multis locis horum Statuum Foederatorum. Extra has autem regiones infidelium et haereticorum rarissime contingit in aliqua dioecesi reperiri territorii populive partem, quae nulli jam constitutae parochiae sit adscripta; et proinde necessario rarissimus est casus, quo erigi possit nova parochia per viam creationis.

**241.** *Quaer.* Utrum Episcopus possit creare novas parochias?

*Resp.* Nulli autem dubium est, quin de jure communi valeant Episcopi, in sua quisque dioecesi, creare novam parochiam canonicam, extra fines parochiae jam existentis, si ibi sit territorium competens, et sufficiens populus, atque congrua sustentatio rectori assignari possit. Nam Episcopus illam dioecesis partem, sicut caeteras, tamquam Ordinarius proprio jure gubernat, sub primatu Romani Pontificis.[1] Dicitur *novam parochiam canonicam;* id est, parochiam quae

[1] De Brab. n. 702.

habet rectorem inamovibilem et caeteras conditiones a jure praescriptas; nam officia ecclesiastica erigenda sunt juxta regulas et normam a lege generali stabilitam.

**242.** *Parochiae in hisce Statibus.*—In locis autem Missionum plerumque difficile est statim tales novas creare parochias proprie dictas. Hinc primo efformantur *Missiones* seu Congregationes (*Missions, Congregations or quasi-parishes*), quae speciem quamdam praeseferunt parochiarum. Quando autem status Missionis cessat, transeunt hae quasi parochiae in parochias proprie dictas, id promovente generatim, S. Sede. Parochiae seu Missiones horum Statuum Unitorum, quidquid nonnulli dicant, non videntur esse parochiae canonicae. Attamen sunt duplicis classis: Aliae enim habent rectores inamovibiles; aliae vero rectores ordinarios qui non sunt inamovibiles.[1]

**243.** *Quaer.* Utrum parochia cujus rector est amovibilis possit ex sola auctoritate ordinaria Episcopi mutari in parochiam cujus rector sit inamovibilis?

*Resp.* De jure communi Episcopus non solum *potest,* verum et *debet* ita constituere parochias, ut earum rectores sint inamovibiles. Hoc patet ex variis textibus juris canonici et praesertim ex Concilio Tridentino,[2] cujus verba sunt: "Mandat Sancta Synodus Episcopis pro tutiori animarum eis commissarum salute, ut distincto populo in certas propriasque parochias unicuique suum *perpetuum* peculiaremque parochum assignent, qui eos cognoscere valeat, et a quo solo licite sacramenta suscipiant." Proinde eadem S. Synodus etiam praecipit ut in locis ubi parochiae tales nondum existunt, quamprimum erigantur.[3]

**244.** Haec autem lex per se ubique obligat. Quapropter S. Sedes semper urget et vehementer adhortatur Episcopos in quorum dioecesibus adhuc existunt parochiae amovibiles, ut illas mutent in parochias inamovibiles.[4] Dicitur *per se;* nam per accidens, v.g. propter statum Missionis alicujus regionis,

[1] Conc. Pl. Balt. III. n. 33, 34, 35.
[2] Sess. 24, c. 13, de Ref.
[3] C. Trid. l. c.
[4] Cf. nostrum *Elements*, vol. I. n. 258, editio 6ª.

vel alia peculiaria adjuncta, S. Sedes dispensat ad tempus ab hac lege, usque dum parochiae canonicae formari possint.

**245.** Quapropter absolute loquendo, potest et debet unusquisque Ordinarius in locis Missionum parochias imperfectas seu Missiones mutare in parochias proprie dictas, statim ac id rerum adjuncta fieri sinunt. Dicitur *absolute loquendo;* nam practice loquendo, et ad uniformitatem disciplinae inducendam in illis locis, S. C. de Prop. Fide, solet determinare tempus et modum tales erigendi parochias in regionibus sibi subjectis.

**246.** Quoad hosce Status Foederatos, statutum est a Concilio Plenario Baltimorensi III., juxta *schema* Romae confectum in collationibus habitis anno 1883, inter Cardinales S. C. de P. F. et nostros Archiepiscopos ad hoc Romam vocatos, (*a*) ut in singulis dioecesibus certae Missiones seligantur . . ut paroeciarum instar haberi possint, atque a rectoribus Missionariis inamovibilibus regantur ;[1] (*b*) ut instituantur in singulis dioecesibus rectores inamovibiles tali numero, ut inter omnes dioeceseos rectores *decimus quisque sit* inamovibilis;[2] (*c*) quae proportio (unus inter decem) ne inconsulto excedatur intra viginti primos annos post Concilium promulgatum.[3] Concilium proinde *hortatur* Episcopos ut hanc proportionem non excedant inconsulte, nullam vero obligationem imponit.

**247.** *Quaer.* Utrum Episcopi possint etiam apud nos mutare parochias seu Missiones quarum rectores sunt inamovibiles in parochias quarum rectores sint amovibiles?

*Resp.* Negative. Probatur quoad hosce Status Unitos ex Conc. Plen. Balt. III. n. 34. Quoad caetera vero loca, ubi viget jus commune, idem probatur ex eo quod Episcopus non potest dispensare in lege generali quae prohibet quominus parochi sint amovibiles, et insuper vetat quominus officia ecclesiastica in *pejus mutentur.* Cf. nostrum *Elements,* vol. I. n. 113, 114, ed. 6ª.

**248.** *Quaer.* Utrum auctoritas civilis aliquas habeat partes, in parochiae seu Missionis erectione?

*Resp.* 1° In nonnullis Europae regionibus v.g. in Gallia, suam partem Gubernium civile sibi arrogat in erectione novarum parochiarum. In hisce Statibus Unitis nullas tales par-

[1] Conc. Pl. Balt. III. n. 33. [2] Ib. n. 35. [3] Ib.

tes sibi vindicat Gubernium civile. Liberum enim omnibus civibus nostris est exercitium religionis.

2° Verum apud nos, uti etiam in Anglia et Hibernia, parochiae non commode et tuto bona temporalia coram lege civili possidere possunt ea ratione qua id praescribit lex Ecclesiae. Nam juxta legem Ecclesiae, unaquaque parochia est *persona moralis* seu *juridica*, et proinde potest, *qua talis*, bona temporalia possidere. Jam vero hic modus bona possidendi non agnoscitur saltem undequaque, a lege nostra civili.

3° Proinde parochiae possunt apud nos bona temporalia coram lege tuto possidere solummodo illis modis qui a lege statuuntur ad bona acquirenda et possidenda. Hinc ut titulo *civiliter* valido apud nos bona acquirantur et possideantur, oportet ut, vel (*a*) in fideicommissum (*in trust*) cuiquam concedantur; vel (*b*) jure *collegii* (*corporation*) comparentur; (*c*) vel Episcopo aut alteri cuidam in proprietatem (*in fee-simple*) tradantur; (*d*) vel tandem ut specialis lex obtineatur —quod saepe fit—a coetu legislativo alicujus Status (*special act of the Legislature*) ad bona alio modo, et quidem meliori possidenda.

**249.** *Quaer.* Quaenam praecipue requirantur ut Ecclesia aliqua dicatur, sit, et probetur parochia proprie dicta?

*Resp.* Vide nostrum *Elements*, vol. I. n. 259.

**250.** *Quaer.* Utrum saltem illae Missiones apud nos quae habent rectores inamovibiles, sint parochiae proprie dictae.

*Resp.* Vide nostrum *Elements*, vol. I. n. 260, editio 6ª. Hic solum animadvertimus, in collationibus (*meetings*) habitis Romae, anno 1883, inter Cardinales S. C. de P. F. et nostros Archiepiscopos, haec acta fuisse :

**251.** I. "Archiepiscopus O. quaesivit an parochi inamovibiles habere debeant facultatem *ordinariam* vel *delegatam?* Responsum est ab Eminentissimis Cardinalibus eos habere debere auctoritatem ordinariam sicut eam habent veri Parochi."

**252.** II. "Reverendissimus Archiepiscopus quaesivit: An non magis expediret ut in America instituerentur solummodo Rectores Missionum inamovibiles sicut in Anglia loco paroeciarum inamovibilium? Eminentissimi dixerunt: Sententiam Reverendissimi N. admitti posse hoc sensu quatenus aliquae

paroeciae habeantur quarum Rectores sint inamovibiles . . . Subjunxerunt tamen Rectorem inamovibilem habere facultatem *ordinariam* ac si esset verus parochus."

**253.** III. "Reverendissimus Archiepiscopus O. quaesivit: An Rectores inamovibiles in America constituendi debeant haberi tamquam veri parochi in sensu canonico, cum omnibus juribus, privilegiis et obligationibus verorum parochorum? Eminentissimi plura dixerunt ad declarandas difficultates, quas idem Reverendissimus Archiepiscopus et alii proposuerunt contra institutionem verorum parochorum, sed concluserunt Reverendissimos Archiepiscopos et Episcopos debere rationes, quas habent, in scriptis exponere quae examinabuntur in Congregatione Eminentissimorum Patrum S. Congr. qui resolutionem dabunt circa quaestionem: 'Utrum in America debeant constitui veri parochi in sensu canonico, vel tantum rectores inamovibiles sicut in Anglia cum sola dote inamovibilitatis et absque juribus ac privilegiis verorum Parochorum?'"

**254.** In sessione sequenti habita die 24 Novembris 1883 Eminentissimi dixerunt, propositam quaestionem quin in Generali Congregatione proponatur esse definiendum ita: "Pro nunc esse constituendos rectores inamovibiles sicut in Anglia."[1] Hinc nobis non videtur rectores nostros inamovibiles esse veros parochos, ac eorum parochias esse canonicas parochias.

### § 2. Erectio Parochiarum per Viam Divisionis, etiam apud Nos.

*(Division of Parishes, also in this Country.)*

**255.** *Quaer.* Quid sit erectio per viam divisionis?

*Resp.* Erigitur nova parochia (apud nos, nova missio seu quasi-parochia) per viam divisionis seu dismembrationis (*dismemberment, division*),[2] quando ex una vel pluribus parochiis

[1] Cf. Conc. Pl. Balt. III. n. 33, 34, 35.

[2] Stricte loquendo, *divisio* differt a *dismembratione*. Divisio enim est partitio seu sectio (*cutting in two*) *unius* officii *in duo vel plura*. Si vero officium unum et integrum manet, sed ab eo pars aliqua fructuum seu redituum (*income*) detrahitur, quae alteri jam existenti officio adscribitur, tunc non divisio sed dismembratio fit. Dicitur stricte loquendo.

(apud nos, Missionibus) jam existentibus, aliquae partes distrahuntur ut efformatur nova parochia. Hoc modo plures hodie exurgunt parochiae seu Missiones in hisce Statibus Foederatis. Proinde operae pretium erit, principia statuere quae servari debent in divisione tum parochiarum canonicarum, tum Missionum seu quasi-parochiarum in hisce regionibus.

### I. Divisio Parochiarum Canonicarum.

(*Division of Canonical Parishes.*)

**256.** *Quaer.* Utrum fieri possit parochiarum divisio?

*Resp.* Officiorum ecclesiasticorum et praesertim parochiarum divisio repugnat stabili conditioni et firmitati horum officiorum, et insuper est species alienationis rerum ecclesiasticarum. Hinc maxime est odiosa. Proinde regula generalis est divisiones parochiarum necnon aliorum officiorum esse prohibitas. En verba legis:[1] "Divisionem praebendarum (paroeciarum) fieri prohibemus."

**257.** Diximus *regula generalis.* Porro patitur et haec regula, sicut aliae regulae, suas limitationes, ex vulgato illo axiomate—*nulla regula sine exceptione.* Nam certis sub conditionibus dividi possunt paroeciae. Quisnam autem hanc divisionem facere possit et sub quibus conditionibus, nunc exponemus.

**258.** *Quaer.* Quis possit parochiam dividere?

*Resp.* Episcopis, tum jure ordinario, tum jure delegato, competit potestas per viam dismembrationis novas erigendi parochias. Potestas ordinaria provenit ex natura muneris episcopalis, ac confirmata fuit decretali *Ad audientiam* Alexandri III.[2] Potestas vero delegata eis concessa fuit a Concilio Tridentino.[3] Porro Episcopus potest dividere parochias canonicas (a fortiori etiam Missiones apud nos) *saeculares,* id est,

Nam, sicut plures canonistae, ita et nos, utrumque hoc vocabulum indiscriminatim pro una eademque re adhibemus.—Cf. Leuren, For. Benef. P. iii. q. 946; Sanguineti, l. c. n. 495.

[1] Alexander III. cap. 8, de Praeb. (iii. 5); Sanguineti, l. c. n. 496; Santi, l. c. l. 3, t. 5, n. 100.

[2] Cap. 3 (iii. 48).

[3] Sess. 21, c. 4, de Ref.

quae a parochis *cleri saecularis* reguntur, vel etiam a parochis religiosis qui *non sunt exempti*, tum ordinaria sua jurisdictione tum etiam jurisdictione Apostolica.[1] Parochias autem *exemptas*, id est, quae reguntur a regularibus exemptis, potest quidem Episcopus dividere, ast nonnisi auctoritate apostolica sibi a Concilio Tridentino delegata.[2]

**259.** *Quaer.* Quibus conditionibus possit Episcopus existentem jam parochiam dividere, et novam erigere?

*Resp.* Requiritur 1° ut adsit justa causa (*a sufficient cause*); 2° ut solemnitates (*the formalities*) a jure praescriptae adamussim observentur. Ad causam quod attinet, Episcopus potest dividere officia seu beneficia suae dioecesis, dummodo adsit *necessitas* (*where it is urgently needed*) vel *evidens utilitas* (*where it is plainly useful*). Sed in divisione parochiarum non quaelibet necessitas praestat sufficientem causam dividendi, sed eam esse oportet ut aliud ei remedium adhiberi nequeat. Hinc non sufficit populi multitudo (*the large number of parishioners*); hoc enim in casu, Episcopus debet uti remedio cogendi rectorem ut tot sacerdotes sibi in auxilium assumat, quot sufficiant, vel erigendi capellam adjutricem (*chapel of ease*) sub dependentia parochi.[3] (Infra, p. 417.)

**260.** Propter duplicem tantum causam potest parochia dividi et nova erigi, scilicet: (*a*) *ob notabilem distantiam* a parochia; (*b*) *ob difficultatem magnam* adeundi parochiam. En verba Concilii Tridentini: "In iis locis, in quibus (*a*) ob locorum distantiam (*a considerable distance*); (*b*) sive difficultatem (*serious inconvenience, arising from intervening mountains, rivers, railroads, etc.*) parochiam sine magno incommodo . . . accedere non possunt parochiani, novas parochias, etiam invitis rectoribus, juxta formam const. Alexandri III., quae incipit *Ad audientiam*, constituere (Episcopi) possint."[4] (Nostrum *Elements*, vol. i. n. 263.)

[1] Conc. Trid. sess. 21, c. 4, de Ref. [2] Ib.

[3] Conc. Trid. sess. 21, cap. 4, de Ref.; Soglia, vol. II. p. 163; De Brab. n. 706; Acta S. Sedis, vol. XII. p. 292, et alibi, exhibent decisiones S. Sedis, quae statuere videntur divisionem parochiae fieri posse aliquando praesertim hodiernis temporibus, ex sola causa *si multitudo fidelium* excreverit.

[4] Conc. Trid. sess. 21, c. 4, de Ref.

**261.** *Quaer.* Quaenam solemnitates requirantur ut Episcopus possit dividere parochias?

*Resp.* Praeter justam causam, id est, *distantiam* vel *difficultatem* adeundi parochiam, uti supra exposuimus, requiruntur hae solemnitates (*formalities*). 1° Causa propter quam divisio facienda est, debet *exprimi* (*should be stated*) a dismembrante, ut appareat justitia dismembrationis;[1] 2° de ea (justa causa) *positive constare* debet *ex processu* desuper facto. Proinde non sufficit mera assertio partium vel etiam ipsius Episcopi. Sufficit autem simplex processus, juridice confectus, seu verificatio causae, v.g. accessus Episcopi ad locum et illius inspectio. 3° Haec tamen omnia, nempe processus seu verificatio causae—debent in actis publicis reduci (*put on public record*); alias non staretur judicis assertioni, quod locum vidisset et negotium in tali statu reperisset.[2] 4° Citandus est dismembrandae ecclesiae rector, parochiani et alii quorum interest, ut dicant si quid opponendum habeant.[3] 5° Requiritur Capituli Cathedralis consensus.[4] Nam Capitulum (*cathedral chapter*) est *senatus* dioecesis et *Consilium* Episcopi.

**262.** *Quaer.* Utrum et quomodo liceat appellare contra divisionem alicujus parochiae?

*Resp.* 1° Potest rector, uti et parochiani a decreto divisionis factae per Episcopum, etiam tamquam Sedis Apostolicae delegatum, appellare, sed *in devolutivo* tantum.[5]

2° Haec autem appellatio interponenda est directe apud Sedem Apostolicam, quando agitur de parochiis exemptis, idest, de parochiis quae a regularibus exemptis reguntur. Has enim parochias *sola* potestate Papali delegata dividere potest Episcopus. Cum vero agitur de parochiis non exemptis, idest, de parochiis quae a clero saeculari vel a clero regulari non exempto curantur, appellatio interponi potest apud Metropolitam, etiamsi Episcopus tanquam S. Sedis delegatus processerit. Nam has parochias dividere potest Episcopus, tum ordinaria, tum delegata potestate. (Appendix III.)

[1] Lotter. de Re Benef. l. i. qu. 28. n. 24.
[2] Arg. cap. 11, De prob.; Lotter. l. c. n. 36.
[3] Leur. For. Benef. pars i. q. 157, n. 4.
[4] Clem. 2, De reb Eccl. al. (iii 4)
[5] Bened. XIV. Const. *Ad Militantis*, § 16.

## II. Divisio Missionum seu Parochiarum in Statibus Unitis.

(*Division of Parishes or Missions in the United States.*)

**263.** *Quaer.* Quaenam regulae servandae sint in dismembranda Missione?

*Resp.* 1° Supradictae solemnitates juris (*the above formalities*), stricte loquendo, ad *paroecias canonicas* referenda sunt. Proinde non possunt, per se et ad literam, nostris applicari Missionibus seu quasi parochiis, quae nondum habentur uti paroeciae canonicae, sive habeant rectores amovibiles sive inamovibiles. Nam, uti ait S. Pontifex, Leo XIII. in sua Constitutione *Romanos Pontifices* pro Anglia et Scotia, "ad divisionem Missionis simplicis, ea juris solemnia (*formalities prescribed by law*) transferenda non sunt, quae super dismembratione paroeciarum fuerunt constituta; eo vel magis quod propter missionum indolem (*the character of missionary parishes*), et peculiares circumstantias, numero plures ac leviores causae possint occurrere, quae istarum divisionem suadeant, quam quae jure definitae sint, ut fiat paroeciarum divisio."

**264.** 2° Attamen in Missionum divisione seu dismembratione ea omnia servanda sunt quae tum recta ratio tum aequitas ipsa naturalis suadent. Porro ipsa ratio dictat quasi-parochias in locis Missionum, non esse dividendas nisi id reapse sit vel necessarium vel evidenter utile. Hinc *Concilium Plenarium Baltimorense III.*, juxta *schema* Romae confectum anno 1883, statuit haec servanda esse in Missionum nostrarum, sive amovibilium sive inamovibilium, divisione:[1] "Si contingat ut Missio seu parochia aliqua sit dismembranda, exquirendum erit consilium (*a*) Consultorum, (*b*) necnon rectoris dismembrandae Missionis."[2] Cf. nostrum *Elements*, vol. I. pp. 121, 474 sq. ed. 6ª.

**265.** *Quaer.* Utrum liceat appellare in hisce Statibus Foederatis contra divisionem Missionum seu quasi paroeciarum?

*Resp.* Affirmative, in devolutivo. Hoc patet (*a*) ex Const.

[1] Conc. Pl. Balt. III. n. 20.

[2] Cf. Leo XIII. Const. *Romanos Pontifices*, 1881, § Profecto.

*Romanos Pontifices* Leonis XIII. pro Anglia primum edita, et nunc ad hanc regionem extensa.[1] Verba Magni Pontificis sunt: "Quo autem melius Missioni, quae dividenda sit, ejusque administris prospiciatur, volumus ac praecipimus, ut sententia quoque rectoris exquiratur: quod si a religiosis sodalibus Missio administretur, Praefectus ordinis audiatur; *salvo jure appellandi, si res postulat, a decreto Episcopali ad Sanctam Sedem in devolutivo tantum.*"[2]

**266.** Proinde certum est licere omnibus nostris Missionum rectoribus, saecularibus aeque ac regularibus, amovibilibus aeque ac inamovibilibus appellare in devolutivo contra decretum divisionis factae per Episcopum, ita tamen ut haec appellatio necessario interponenda sit apud Sedem Apostolicam, ubi Episcopus missiones dividit quae a regularibus exemptis curantur; apud Metropolitam vero, seu etiam directe apud S. Sedem, ubi dividit missiones quae a clero saeculari, vel a clero regulari non exempto reguntur, idque etiamsi uti *delegatus* S. Sedis processerit. (Infra, Appendix III.)

**267.** Quoad erectionem paroeciarum per viam unionis (*the uniting of two parishes*), vide *Elements,* vol. I. n. 270.

## TITULUS II.

## DE MODIS CONFERENDI ET ACQUIRENDI OFFICIA ECCLESIASTICA "MAJORA."

(*Appointments to the Higher Ecclesiastical Offices.*)

**268.** Potestas *ordinis,* uti jam diximus, confertur per *ordinationem* et *consecrationem;* potestas vero *jurisdictionis delegatae,* per delegationem; et potestas jurisdictionis *ordinariae,* de qua hic sermo est, per obtentionem officii ecclesiastici. Proinde videndum hic est quibus modis officia ecclesiastica conferantur, et sic jurisdictio ordinaria acquiratur. Jam vero officia *majora* (*the higher offices and dignities in the church*) seu primi gradus in hierarchia jurisdictionis, videlicet summus

[1] Conc. Pl. Balt. III. p. cv.

[2] Cf. Bened. XIV. Const. *Ad Militantis,* § 16. Haec Constitutio servanda est apud nos. Cf. S. C. de P. F. Instr. *Cum magnopere,* art. xxxvi.

Pontificatus, Episcopatus et Praelaturae sive regulares sive saeculares per electionem, postulationem, nominationem et commendationem obtinentur; officia vero *inferiora,* seu inferiores hierarchiae gradus, v.g. officium parochi—per collationem et praesentationem patroni praecipue acquiruntur. Breviter nunc de singulis hisce modis disseremus.

## ART. I.

### DE VARIIS MODIS CONFERENDI ET ACQUIRENDI OFFICIA MAJORA.

(*Appointments to the Higher Ecclesiastical Offices.*)

#### § 1. ELECTIO (*Election*).

**269.** Electio dupliciter accipitur: 1° *generaliter;* et hoc sensu comprehendit omnes modos conferendi officia sive majora sive minora, v.g. collationem, praesentationem; 2° *proprie* et *stricte,* ac prout a caeteris enumeratis contradistinguitur; et in hoc sensu impraesentiarum de electione loquimur.[1]

**270.** *Quaer.* Quid sit electio proprie dicta?

*Resp.* Electio est personae idoneae ad Ecclesiam vacantem, seu praelaturam, per vota capitularium et aliorum quibus eligendi jus competit, canonice facta vocatio, per superiorem legitimum confirmanda.[2] Dicitur 1° *personae idoneae,* scilicet quae aliquo impedimento non detinetur; et sic differt a postulatione. Dicitur 2° *ad Ecclesiam vacantem seu praelaturam*; quia electio proprie dicta est modus obtinendi officia *majora,* v.g. officium et dignitatem Episcopi, et abbatis regularis qui in suos religiosos quasi-episcopalem jurisdictionem possidet. Dicitur 3° *canonice facta;* quia electio debet esse facta secundum praescriptum sacrorum canonum.

**271.** *Quaer.* Quid et quotuplex sit forma electionis?

*Resp.* 1° Per formam electionis (*form or mode of election*) intelligitur modus ille, quo celebrari debet electio, ut sit canonica et valida. 2° Porro forma electionis a jure praescripta est triplex, videlicet forma scrutinii, compromissi, et inspira-

[1] Reiff. l. i. t. 6, n. 3.

[2] Arg. Cap. 7, 42, de Elect. (i. 6); Grandclaude, l. i. t. 6.

tionis; aliter facta electio non valet.[1] De singulis hisce formis nunc pauca dicemus.

### I. Electio per Formam Scrutinii.

(*Election by Scrutiny or Ballot.*)

**272.** *Quaer.* Quid sit electio per formam scrutinii?

*Resp.* Electio fit per scrutinium (*by ballot*), quum persona ad praelaturam evehenda designatur per suffragia (*votes*) canonice emissa (*canonically cast*), atque collata, eorum qui ad id jus habentes, convenire voluerint, vel potuerint.[2] Dicitur *canonice emissa atque collata.* Jam vero modus emittendi et colligendi vota seu suffragia (*of casting and receiving the votes*), a jure stabilitus, sic explicatur in decretali *Quia propter* 42 *de electione:* "Statuimus ut cum electio fuerit celebranda, praesentibus omnibus qui debent et volunt et possunt commode interesse, assumantur tres de collegio (*from among the electors present*) fide digni, qui *secreto* et *singillatim* vota cunctorum diligenter exquirant, et in scriptis redacta, mox publicent in communi . . . ut is, collatione habita (*the vote having been counted*), eligatur, in quem omnes, vel major et sanior pars (*the majority*) consentiat."[3]

**273.** *Quaer.* Quaenam proinde in actu electionis per scrutinium praecipue sint observanda?

*Resp.* 1° Primus actus est ut electores (*the voters*) constituant tres scrutatores (*appoint three tellers*).

2° Deinde, hi scrutatores debent vota omnium vocalium (*voters*) praesentium secreto et singillatim colligere, sive ea oretenus et submissa voce enuncientur, sive in schedulis (*tickets, ballots*) exarata sint. Dicitur, *sive ea oretenus, etc.;* nam eligentes possunt votum suum scrutatoribus oretenus pandere, dummodo id fiat secreto et submissa voce, ita ut alii eligentes id non audiant. Si oretenus votum datur ab eligente, statim in scriptis redigendum est a scrutatoribus vel secretario. Hinc patet, quod omnes eligentes suffragia sua emittunt per schedulas (*tickets, ballots*), vel per seipsos, vel per scrutatores

[1] Cap. 42, de Elect. (i. 6); Reiff. l. i. t. 6, n. 62.
[2] Cap. 42, de Elect.; Sanguineti, l. c. p. 194.
[3] Innoc. III., ap. 42, de Elect. (i. 6).

seu secretarium confectas. Hae autem schedulae continere debent nomina tum eligentium tum electorum.[1]

**274.** 3° Quum hoc modo omnium suffragia collecta fuerint, statim illa (*votes*) publicanda sunt (*announced aloud*) in communi, id est, coram omnibus vocalibus praesentibus. Haec publicatio eam vim habet ut mutare vota sua amplius non possint electores,[2] nisi in electione S. Pontificis et abbatissarum, ubi accessus locum habere potest post publicationem scrutinii, uti videbimus.

**275.** 4° Tunc sequitur collatio votorum (*counting the vote*) et quidem numeri cum numero (*one by one*), et is qui majorem numerum votorum (*majority of votes*) obtinuit, electus esse censebitur, et ut electus renunciari debet.[3]

**276.** Diximus *majorem numerum.* Hoc autem intelligitur de majore numero respectu omnium vocalium congregatorum (*of the voters present*), non vero respectu aliorum nominatorum seu candidatorum (*of the candidates voted for*). Sic, e.g., si ex una parte tres candidati nominantur, quorum unus octo, alter septem, alter vero tria vota habeat, ex altera vero parte, vocales seu electores sint decem et octo (18), quorum major numerus (*majority*) proinde est decem (10), nemo illorum candidatorum majorem partem votorum assecutus dicitur; nam nullus ex illis 10 vota obtinuit. Si ergo nullus majorem, hoc sensu, numerum obtineat, *toties iterandum est scrutinium* (*the balloting is to be renewed*), donec quispiam legitimum votorum numerum consequatur.[4]

**277.** *Quaer.* Quinam ad electionem debeant vocari?

*Resp.* Vocandi sunt omnes qui (*a*) debent,[5] (*b*) et volunt, (*c*) et possunt commode interesse.[6] Dicitur *qui possunt commode interesse.* Proinde si de iis agitur, qui ita remoti sunt ut intra tempus ad electionem faciendam praefinitum, convenire nequeant, ii profecto, jus eligendi ea vice non habent, et proinde nec vocandi sunt. Sin autem de iis quaeratur, qui

[1] Zitelli, l. c. p. 11.
[2] Cap. 58, de Elect.
[3] Cap. 21, de Elect. in 6°.
[4] Cap. 48, de Elect.; Devoti, l. i. tit. v. § xix.; Zitelli, p. 12.
[5] Id est, qui habeat jus eligendi (*the right to vote*).
[6] Cap. 42, de Elect.

licet per se possint convenire, legitimo tamen detinentur impedimento v.g. infirmitate—tunc si ille qui ita abest, jurejurando interposito affirmat se legitime esse impeditum, potest alicui, tanquam procuratori (*as his agent*) suas vices committere, sive qui ita assumitur sit ipse elector sive non. Suffragia autem dare per *epistolam* non permittitur.[1] Cf. Nostrum *Elements*, n. 303–307.

### II. Electio per Quasi-Inspirationem.

(*Election by Acclamation.*)

**278.** *Quaer.* Quid sit electio per quasi-inspirationem?

*Resp.* Per quasi-inspirationem fieri dicitur electio, quando nullo praecedente tractatu (*without any previous discussion or agreement*), omnes electores simul congregati ad electionem peragendam (*assembled for the election*) communiter, et quasi uno corde ac ore (*by acclamation*), in unum eumdemque consentiunt.[2] Qui sic eligitur, electus creditur quasi per inspirationem Sancti Spiritus (*by inspiration of the Holy Ghost*). Haec tamen inspiratio praesumptiva est potius quam vera; et ideo a Superiore est cognoscenda et confirmanda.[3] Patet autem electores perraro, hoc modo, electionem perficere.

**279.** *Quaer.* Intra quod tempus fieri debeat electio?

*Resp.* Quando agitur de electione Episcoporum—ubi id jus adhuc capitulis competat—abbatum regularium et aliorum qui pollent quasi episcopali jurisdictione, electio celebranda est *intra tres menses* a die habitae notitiae vacationis (*within three months from the day when it became known that the see had fallen vacant*). En verba legis: "Statuimus ut ultra tres menses cathedralis, vel regularis Ecclesia praelato non vacet: intra quos, si electio celebrata non fuerit, qui eligere debuerant, eligendi potestate careant ea vice."[4]

### III. Electio per Compromissum.

(*Election by Agreement.*)

**280.** *Quaer.* Quid sit electio per compromissum?

*Resp.* Electio fit per compromissum (*by agreement of the electors to have the election performed by others*), cum electores

[1] Sanguineti, p. 195.
[2] Cap. 42, de Elect.
[3] Zitelli, l. c.
[4] Cap. 41, de Elect. (i. 6).

in unum congregati ad electionem faciendam, communi consensu, eligendi jus committunt nonnullis sive ex eorum coetu, sive etiam extraneis, ut omnium electorum nomine, electionem peragant.[1] Liquet autem hunc modum eligendi raro admodum adhiberi ab electoribus. Si autem rite adhibetur, valida est electio. Usitatissimus proinde modus est per scrutinium, quamvis, uti diximus, modi alii duo scilicet per quasi-inspirationem et per compromissum, si adhibeantur, legitimi et validi sint.

**281.** Notandum hic est, quod forma electionis vel per inspirationem vel per compromissum vel per scrutinium necessario observanda sit dumtaxat quando agitur de eligendis Episcopis, abbatibus perpetuis, et aliis quasi Episcopalem jurisdictionem habentibus. Hinc in electione inferiorum, v.g. canonicorum ecclesiae cathedralis, satis est, si capitulares (*the voters*) collegialiter congregati quempiam habilem eligant, quomodocumque consensum suum exprimant.[2] Quoad alia de electione, vide Nostrum *Elements*, vol. I. n. 308–313.

IV. Quae fiunt post Electionem.

(*What is to be done after the Election.*)

**282.** *Quaer.* Quid agendum sit, peracta electione?

*Resp.* 1° Intra octo dies, electores electionem intimare debent electo, ejusque consensum petere. 2° Electo datur mensis ad deliberandum an dignitatem sibi per electionem delatam acceptare velit an non. 3° Si electus assentiatur, jus ad rem acquirit, seu ad obtinendam dignitatem ad quam electus est: acquirit autem jus in re per confirmationem electionis. 4° Intra tres menses a die praestiti consensus, debet confirmationem petere a superiore ad quem pertinet confirmatio.[3] Hinc pauca de confirmatione electionis sunt dicenda.

**283.** *Quaer.* Quid sit confirmatio electionis; a quonam sit danda; quinam sint ejus effectus?

*Resp.* 1° Confirmatio (*the ratification of the election*) est electionis approbatio. Porro confirmatio electionis, quando agitur

[1] Cap. 42, de Elect.; Sanguineti, l. c. p. 194.

[2] Reiff. l. i. t. 6, n. 112.

[3] Electi ad dignitatem episcopalem tenentur intra unum mensem a die praestiti consensus petere confirmationem a S. Sede. (Cap 16, de Elect. in 6°.)

de Episcopis, abbatibus perpetuis et aliis quasi episcopali jurisdictione pollentibus, pertinet de jure et hodie etiam de facto exclusive ad Romanum Pontificem. Proinde confirmatio electionis, in casu,[1] est decretum S. Pontificis, quo electus vel nominatus probatur, et Pastor Ecclesiae, ad quam electus est, constituitur.[2]

**284.** 2° Confirmatio S. Pontificis datur praevio processu seu inquisitione (*after a previous investigation*) super natalibus, aetate morum honestate, scientia aliisque qualitatibus requisitis,[3] et edicto vocantur omnes qui aliquid contra electum proferre possunt.[4]

**285.** 3° Electio confert jus ad rem, confirmatio vero jus in re. Hinc electio acceptata ab electo se habet ut sponsalia (*betrothal*); confirmata, sicut matrimonium ratum; consecratio, sicut matrimonium consummatum. Proinde confirmatio S. Pontificis est omnino necessaria.

**286.** 4° Per confirmationem Pontificiam, proinde, obtinetur nomen Episcopi, sed cum addito *electi*, et electus acquirit jurisdictionem, seu plenam administrationem dioecesis quoad spiritualia et temporalia. Sed ante litteras Pontificias confirmationis obtentas et ostensas (*received and shown*), electi nullo modo possunt administrare dioecesim.[5] Cf. nostrum *Elements*, vol. I. n. 287 sq.

**287.** 5° Juxta hodiernam disciplinam, exceptis quibusdam Germaniae dioecesibus, non remanent electiones Episcoporum per capitula, sed promotio quae fit a Papa in consistorio vel alio modo, electionis et confirmationis vim habet.[6]

**288.** 6° Confirmationem sequitur consecratio, quam Episcopus electus suscipere debet intra tres menses a die habitae notitiae confirmationis Pontificiae.[7] In praesenti Ecclesiae

[1] Nam agimus solum de electione proprie dicta, id est, de electione per quam obtinentur officia *majora* in Ecclesia.

[2] Soglia, vol. II. p. 68.

[3] Cap. 14, de Elect.

[4] Cap. ult. de Elect. in 6°.

[5] Cap. 5, de Elect. in 6°; Pius IX. Const. Ap. Sedis, Susp. I.; idem *Litter. Ap.* 5 Oct. 1873.

[6] Bened. XIV. Const. *In supremo.*

[7] Conc. Trid. sess. 23, c. 2, de Ref.

disciplina nullus Episcopus licite consecrari potest nisi a Summo Pontifice, vel ex ejus mandato speciali, quod initio consecrationis recitandum est. Quare Consecrator, ante omnia quaerit: "Habetis mandatum apostolicum"?[1]

## § 2. De Postulatione.

(*Petition to appoint.*)

**289.** Postulatio (*petition*), prout hic sumitur, est petitio solemnis (*formal request*) a capitulis vel electoribus ad Romanum Pontificem facta, ut ex dispensatione, in Episcopum vel Abbatem assumat qui per canones eligi nequit.[2] Dicitur *petitio solemnis;* quia fieri debet cum solemnitatibus a jure praescriptis.[3]

**290.** *Quaer.* Quomodo fieri debeat postulatio?

*Resp.* Praecipuae solemnitates (*formalities*) a jure praescriptae sequentes sunt: 1° Petitio dirigi debet ad S. Pontificem; 2° ab electoribus, non vero ab aliis; 3° et quidem a majore parte electorum; 4° eodem modo ac electio proprie dicta, id est, vel per scrutinium (*by ballot*) vel per compromissum, vel per quasi-inspirationem; 5° impedimentum ex parte eligendi ejus generis esse oportet, super quo Pontifex possit ac soleat dispensare, qualis est defectus natalium (*illegitimate birth*), aetatis (*want of requisite age*).[4] (Nostrum *Elements,* vol. I. n. 313, 314.)

## § 3. Nominatio ex parte Civilis Gubernii.

(*Nomination by the Civil Government.*)

**291.** Ex Apostolicis indultis (*by concession of the Holy See*), aut etiam ex pactis conventis (*by concordats, agreements between the Holy See and the civil power*), aliquibus Catholicis regibus seu guberniis tum in Europa, tum in America meridionali, centrali, et in Mexico, privilegium nominandi Episcopos,

[1] Soglia, vol. II. p. 70; Zitelli, p. 23.
[2] Soglia, l. c. p. 65.
[3] Cap. 1, 4, de postulat. Praelat. (i. 5).
[4] Sanguineti, l. c. p. 196; Soglia, vol. II. p. 66.

collatum est,[1] ea tamen lege ut nominationes a Romano Pontifice confirmarentur.[2] Proinde nominatio haec recte dicitur modus quo aliquis ad Episcopatum promoveri possit.[3]

**292.** *Quaer.* Quid sit nominatio Episcoporum, et quomodo differat ab electione?

*Resp.* 1° Nominatio solemnis et canonica, est illa per quam duo aut plures magis idonei nominantur et proponuntur S. Pontifici, ut ex illis unum promovere velit ad Episcopatum vacantem.[4] 2° Nominatio haec, quae etiam solemnis (*formal*) vocatur, differt in pluribus ab electione et postulatione. Sic, exempli gratia, (*a*) in nominatione proponuntur *duo* aut *plures;* in electione et postulatione, solummodo *unus.* Et si unus solum nominetur, habetur postulatio seu quasi postulatio potiusquam nominatio. (*b*) Electio tribuit electo jus ad Episcopatum ; nominatio autem nullum confert jus nominato.[5]

**293.** Notandum est Personas quae ad Sedes Episcopales a civili gubernio nominatae sunt, neque licite neque valide sese earum administrationi, quovis modo aut titulo ingerere posse, ante obtentas et ostensas litteras Pontificias confirmationis. (Nostrum *Elements*, vol. I. n. 287.)

**294.** *Quaer.* Quonam modo S. Sedes aliquando concedat catholicis guberniis praerogativam nominandi Episcopos?

*Resp.* Generatim per concordata (*contracts, agreements*) vel per privilegium (*as a privilege*). Porro verba quibus concordata regulariter hanc praerogativam conferunt, habentur in Concordato inter S. Sedem et Galliam anno 1801, inito ita:

[1] In *Concilio Vaticano*, nonnulli Patres *postulatum* hoc proposuerunt: "Experientia teste constat, a pluribus principibus vel magistratibus, jus nominandi vel proponendi Episcopos habentibus, in ejusmodi nominationibus longe minus Ecclesiae utilitatem . . . quam alia quaedam ob oculos haberi. . . . Humillime subscripti Patres rogant ut sacra Synodus principibus, magistratibus, capitulis, aliisque Episcopos nominandi, proponendi vel eligendi jus habentibus gravissimum Dei judicium in mentem reducat, provideatque, *ut lex Tridentina* (C. Trid. sess. 24, c. 1, de Ref.) *de electorum examine nunc strictiori modo ab omnibus observetur.*" (Martin, Doc. p. 187.)

[2] Soglia, l. c. p. 67.

[3] Cap. 3, de Post. Prael. (i. 5).

[4] Innoc. III. cap. 28, de Elect.; cf. Reiff. l. i. t. 6, n. 10.

[5] Cap. 28, de Elect. (i. 6).

"Consul primus (*the first Consul*) Gallicanae reipublicae, Archiepiscopos et Episcopos nominabit, iisque Apostolica Sedes Canonicam dabit institutionem." In Concordato vero inter Leonem X. et regem Galliae, haec habentur: "Rex Franciae *unum* gravem magistrum seu licentiatum in theologia . . . Romanis Pontificibus nominare" potest pro dioecesi vacante.[1]

**295.** *Quaer.* Utrum nominatio sic a gubernio civili facta, debeat postulatio, electio, nominatio in sensu canonico nuncupari?

*Resp.* Negative. Non potest vocari nominatio *canonica*, siquidem haec de *pluribus*, illa autem fit de *uno*. Nam generatim loquendo, gubernium nominat solummodo *unum*, non autem duo aut plures, ad sedem vacantem. Multo minus potest illa nominatio appellari electio. Nam electio tribuit jus ad rem; nominatio autem illa nullum per se tribuit jus ad Sedem vacantem. Dicitur *per se;* nam, uti ait Rigantius,[2] si rex dignum nominat, non potest salva justitia Pontifex nominationem non admittere. Etenim concordata habent vim contractus. Proinde nec civili gubernio nec Pontifici est integrum, ordinarie loquendo, ea violare.[3]

## § 4. Commendatio in hisce Statibus Foederatis.

*(Recommendation in the United States.)*

**296.** *Quaer.* Quis sit modus seligendi et promovendi Episcopos in hisce Statibus Foederatis?

*Resp.* In nostris Statibus Foedere junctis, in Hibernia, Anglia, Scotia, Australia, Canada, et in aliis regionibus quae S. C. de Prop. Fidei jurisdictioni subjiciuntur, et ubi hierarchia ecclesiastica constituta est, tria nomina proponuntur seu *commendantur*, ab iis qui hac praerogativa gaudent, eidem S. Congregationi, pro dioecesi aliqua vacante. Ex his tribus candidatis sic propositis seu commendatis S. Pontifex regulariter eligit unum, audita deliberatione ejusdem S. C. de P. Fide. Modus autem qua haec commendatio fit, varia est in



[1] Cf. Reiff. vol. I. adnot. 29, 30.
[2] Com. in reg. Cancell. in reg. ii.
[3] Cf. Reiff. l. c. adnot. 31.

variis locis. Alicubi enim, v.g. in Canada, solum Episcopi cum Archiepiscopo ternarium proponunt; alibi, v.g. in hisce Statibus Foederatis, in Hibernia, Anglia, clerus etiam hujus praerogativae fit particeps, uti inferius videbimus.

**297.** *Quaer.* Quid sit haec commendatio, et quos effectus pariat?

*Resp.* S. C. de P. F. sic respondit: "Notum omnibus esse voluit S. C., in litteris de hac re (commendatione ad Episcopatus) ad S. Sedem transmittendis nihil inveniri debere, quod electionem, nominationem, postulationem innuat, *sed proprie dictam commendationem*, ut etiam ex litterarum forma pateat nullam in S. Sedem inferri obligationem eligendi aliquem ex commendatis: salva enim manere debet et illaesa Sedis Apostolicae libertas in eligendis Episcopis. *Commendationes vero lumen tantum et cognitionem S. Congregationi, non autem obligationem afferent.*"[1] Haec autem declaratio edita est a S. Congregatione non solum pro nostris Statibus, verum etiam pro Hibernia,[2] Anglia,[3] Scotia et omnibus aliis regionibus suae jurisdictione subjectis. Ex his constat quod modus promovendi ad sedes episcopales, qui hac in regione viget, recte appellatur *commendatio.* (Nostrum *Elements,* vol. I. n. 349, ed. sexta.)

## ART. II.

### SPECIALIA SERVANDA IN ELECTIONE S. PONTIFICIS, EPISCOPI, ET PRAELATI REGULARIS.

(*Special Features in the Election of the Pope, Bishops, and Regular Prelates.*)

**298.** Hactenus in genere locuti sumus de electione seu de modo obtinendi officia majora, et proinde etiam S. Pontificatum, Episcopatum et Praelaturam regularem, necnon de forma electionis quae communis est cuicunque electioni ecclesiasticae. Jam vero in electione S. Pontificis, nonnulla occurrunt quae propria ac peculiaria sunt huic electioni. Idem dicendum

[1] S. C. de P. F. 14 Junii 1834; Conc. Pl. Balt. II. n. 103.
[2] S. C. de P. F. 17 Oct. 1829.
[3] S. C. de P. F. 21 Apr. 1852.

de electione Episcoporum et Praelatorum regularium. Pauca proinde de singulis hisce electionis speciebus nunc proferemus.

### § 1. Electio S. Pontificis.

(*The Election of the Roman Pontiff.*)

**299.** Papa non potest sibi successorem eligere; et si eligeret, irrita esset electio.[1] Summus ergo Pontifex assumi seu creari debet per electionem proprie dictam.

**300.** *Quaer.* Quibus hodie competat electio S. Pontificis?

*Resp.* Omnibus et solis Cardinalibus. Ille autem ut Romanus Pontifex habetur, qui a *duabus ex tribus partibus* (*two thirds*) Cardinalium praesentium canonice electus fuerit.[2]

**301.** *Quaer.* Quaenam praecedere debeant electionem S. Pontificis, juxta hodiernam disciplinam?

*Resp.* I. Statim post mortem Papae, convocandi sunt Cardinales. Omnes autem vocari debent, etiam absentes, imo et excommunicati, suspensi aut interdicti, ne ullus possit esse schismatis praetextus. Item vocandi sunt Cardinales nuper creati, etsi Cardinalatus insignia nondum fuerint adepti. Cardinales autem absentes non sunt *solemni convocatione* vocandi (*need not be called to the election in a formal manner*), eo modo quo de jure in aliis electionibus; sed sufficit ut moneantur de obitu Pontificis. Praxis est ut Cardinales praesentes certos faciant Cardinales absentes de obitu Pontificis, vel per litteras a Secretario S. Collegii Cardinalium subscriptas, vel etiam per nuntium telegraphicum.[3]

**302.** II. Cardinales absentes regulariter per decem dies a die mortis Pontificis sunt expectandi. Interim Cardinales praesentes per novem dies debent celebrare exequias Defuncti Pontificis. Decima vero die, celebrata prius in Basilica Vaticana Missa de Spiritu Sancto, Cardinales in urbe (Roma) existentes, et legitime non impediti, processionaliter Conclave (*the Conclave*) ingrediuntur. Legitime autem impediti solent vero privatim ingredi. Cardinales absentes qui tardius adve-

[1] Ferraris, v. Papa, art. i. n. 1, 2.
[2] Alexander III. cap. licet 6, de Elect. (i. 6).
[3] Ferraris, l. c. n. 26.

niunt, etiam admittendi sunt. Per totam illam diem (decimam) liber patet aditus (*free access*) Principum saecularium oratoribus, Praelatis, aliisque omnibus, tam nobilibus quam popularibus Conclave peragrandi atque Cardinales visitandi.[1] Omnibus autem de sero (*in the evening*) exclusis, praeter eos qui in Conclavi sunt remansuri, illud (*Conclave*) ad formam rigorosae clausurae undique redactum clauditur.

**303.** III. Postera autem die, id est, die undecima a morte Pontificis, inchoatur electio.[2]

**304.** *Quaer.* Quomodo proinde peragenda sit hodie electio S. Pontificis?

*Resp.* Modus seu forma quae necessario servanda est, juxta hodiernam disciplinam, haec est: Electio fieri potest ac debet vel per *scrutinium*, vel per *quasi-inspirationem*, vel per *compromissum*. Solet autem fieri per scrutinium.[3] Tres hosce modos seu formas electionis jam supra explicavimus. Proinde quando Pontifex eligitur per scrutinium, modus procedendi hic est; 1° Ante omnia, tres scrutatores (*tellers of election*), qui sunt Cardinales, sorte (*by lot*) eliguntur. Horum autem officium est suffragia seu vota Cardinalium excipere, eaque mox Cardinalibus publicare.

**305.** 2° Deinde praestito ab unoquoque Cardinalium juramento eligendi quem digniorem existimaverit, singuli suum ferunt suffragium (*cast their vote*) per schedulas (*by tickets or ballots*) complicatas (*folded*) et obsignatas (*sealed*), quas in calice deponunt super altari posito. Suffragium est secretum.

**306.** 3° Peracto scrutinio (*when all have voted*), fit publicatio scrutinii, id est, scrutatores mox vota publicant Cardinalibus praesentibus. Si constat ex hac publicatione, duas ex tribus partibus (*two thirds*) in unum consensisse, res perfecta est.

**307.** 4° Si vero ex hac publicatione constat duas ex tribus partibus Cardinalium praesentium in unum non consensisse, proceditur ad *accessum*[4] (*the going over to the other side*), qui

[1] Ferraris, l. c. n. 30.

[2] Devoti, l. i. t. 5, § iii.

[3] Gregorius XV. Const. *Aeterni Patris Filius* (1621–1623).

[4] Accessus fieri potest solum in electione S. Pontificis et Abbatissae, non vero in electione Episcopi aut Praelati regularis.

in eo consistit, quod suffragia iterum feruntur, in quibus pars minor potest accedere (*go over to*) majorem, imo major ad minorem, et etiam ad minimam. Si in hac accessione duae partes ex tribus in unum conveniunt, absoluta est electio; secus tenentur Cardinales, nisi malunt electionem per compromissum vel per quasi-inspirationem perficere, scrutinium et accessum iterum atque iterum peragere,[1] usque dum unus assecutus sit duas ex tribus partibus, et sic Pontifex sit electus.

**308.** 5° Statim ac aliquis canonice electus est, salutatur ut Pontifex, petiturque ejus consensus in sui electionem. Cum electus consensum praestiterit, continuo et absque ulla confirmatione, efficitur Christi Vicarius. Novus Pontifex solet nomen suum mutare, et aliud sibi assumere.

**309.** *Quaer.* Quibusnam competat electio S. Pontificis, quando Sedes Pontificia vacare contingat durante Concilio Generali legitime congregato?

*Resp.* Ad Cardinales, non vero ad Concilium.[2] Hoc extra omnem dubitationis aleam positum est a Pio IX. in sua Const. *Cum Romanis Pontificibus*, 4 Dec. 1869, ubi haec habentur: "Statuimus ut futuris quibuscunque temporibus, quandocunque contigerit Romanum Pontificem decedere, perdurante celebratione alicujus Concilii Oecumenici, sive Romae illud habeatur sive alio quovis orbis loco, (*a*) electio novi Pontificis *ab uno S. R. E. Cardinalium Collegio semper et exclusive fieri debeat*, (*b*) atque ipsum Concilium . . . statim ab accepto certo nuntio demortui Pontificis suspensum ipso jure intelligatur, et tamdiu dilatum, donec novus Pontifex canonice electus, illud reassumi et continuari jusserit."[3] (Nostrum *Elements*, vol. I. n. 328–338.)

[1] Scrutinium bis in die—id est, tum mane tum vespere faciendum est.
[2] Ferraris, v. Papa, art. i. n. 45.
[3] Cf. Acta et Decr. Conc. Vaticani, p. 96.

## § 2. Electio Episcoporum.

(*Appointment of Bishops.*)

### I. In Locis ubi viget Jus Commune.

(*Where the General Law of the Church is in force.*)

**310.** *Quaer.* Quibus modis fiat hodie promotio ad Episcopatum, in regionibus Catholicis, seu in locis ubi viget jus commune?

*Resp.* I. *Per electionem proprie dictam,* uti supra explicatam, et celebratam vel per formam scrutinii, vel quasi-inspirationis, vel compromissi. De jure communi,[1] electio Episcopi pertinet ad Capitulum Ecclesiae Cathedralis vacantis. Huic autem juri communi hodie fere ubique derogatum est a S. Sede, quae electionem Episcoporum non secus ac ipsorum confirmationem sibi soli jamdudum reservavit, et quidem jure meritoque. Dicitur *fere ubique;* nam, in nonnullis regionibus,—v.g. in Borussia—electio proprie dicta Episcopi, ex concessione S. Sedis, adhuc fit a Capitulo Cathedrali.

**311.** II. *Per Postulationem;* siquidem in illis locis ubi—uti diximus, capitula adhuc *eligunt* Episcopum, possunt eo ipso illum *postulare.* Nam qui habet potestatem eligendi, habet eo ipso potestatem postulandi.

**312.** III. *Per nominationem gubernii saecularis,* uti jam supra ostendimus.

### II. In hisce Statibus Foederatis, Hibernia, Anglia, Scotia, etc.

(*In the United States, Ireland, England, Scotland, etc.*)

**313.** *Quaer.* Quomodo fiat promotio Episcoporum in hisce Statibus Unitis et in aliis locis Missionum, quae jurisdictioni S. Congregationis de Prop. Fide subsunt?

*Resp.* Distinguendum est inter loca in quibus hierarchia instituta jam est, et loca in quibus haec hierarchia nondum constituta est. Porro in locis ubi hierarchia nondum instituta est, et in quibus Vicarii Apostolici cum episcopali charactere, ministerium sacrum exercent, propositio seu nominatio candidatorum fit a superiore ordinis religiosi vel ecclesiastici instituti, cui Missio ipsa concredita est. Quod si nulli religioso

[1] Cap. 42, de Elect. (i. 6).

Ordini vel Instituto Missionis regimen sit demandatum, electio Vicarii Apostolici, praevia tantum consultatione S. C. de P. F., fit a Summo Pontifice.[1] Praefecti autem Apostolici, qui Episcopali charactere non est insignitus, electio fit a Cardinali Praefecto S. C. de P. F., quin necesse sit ut interveniat judicium Congregationis generalis de P. F.

**314.** In locis autem ubi hierarchia constituta jam est, promotio Episcoporum fit per *commendationem* uti supra diximus; aliis verbis, tres candidati *commendantur* Sacrae Congregationi de P. F. ab illis qui ad id jus habent. Commendatio autem haec diversis modis et a diversis personis fit in diversis regionibus.

**315.** *Quaer.* A quibus et quomodo fiat haec commendatio in hisce Statibus Unitis?

*Resp.* I. Olim haec commendatio pertinebat ad solos Episcopos Provinciae in qua sita erat dioecesis vacans.[2] In praesentiarum vero, sic disponente Concilio Plenario Baltimorensi III., anno 1884, juxta *schema* Romae confectum in conferentiis habitis anno 1883 inter Cardinales S. C. de P. F. et nostros Archiepiscopos, haec commendatio peragitur tum a consultoribus et rectoribus inamovibilibus dioecesis vacantis, tum ab Episcopis Provinciae.

II. Modus autem seu forma qua haec commendatio sit nunc peragenda tum ex parte cleri, tum ex parte Episcoporum summatim determinatur a Concilio Plenario Baltimorensi II. et III.

**316.** *Quaer.* Qua forma, nostri consultores et rectores inamovibiles suam commendationem perficiant?

*Resp.* 1° Convocandi sunt omnes consultores et praedicti rectores. Proinde necesse est ut commendatio haec, non secus ac ipsa electio proprie dicta, celebretur omnibus in unum, seu collegialiter congregatis.[3] Consultoribus et rectoribus ita congregatis, praesidet Archiepiscopus.[4]

**317.** 2° Deinde tres candidatos seligunt (*a*) per *suffragia*

[1] Zitelli, l. c. p. 8.
[2] Conc. Plen. Balt. II. n. 103, 104.
[3] Cf. Cap. 42, de Elect.; Reiff. l. i. t. 6, n. 113.
[4] Conc. Plen. Balt. III. n. 15.

(*by vote*), (*b*) et quidem *secreta* (*secret vote*).[1] Proinde haec forma accedit ad *scrutinium* in electione proprie dicta. Porro uti supra vidimus scrutinium est illa electionis forma, qua (*a*) duo aut tres scrutatores (*tellers*) eliguntur ab electoribus praesentibus, et generatim sorte (*by lot*); (*b*) deinde, emisso a singulis juramento, suffragia sua ferunt omnes, et quidem secreto, generatim per schedulas clausas (*by closed ballots or tickets*), ita ut nulli innotescat, quem quis designaverit; (*c*) haec vota vel immittuntur in urnam (*ballot box*) ab electoribus ipsis, vel excipiuntur a scrutatoribus; (*d*) postquam omnes suffragia sua tulerint, comparantur inter se haec suffragia, et numerantur a scrutatoribus; (*e*) deinde publicantur suffragia; id est, scrutatores omnibus electoribus praesentibus publice nunciant numerum votorum, et quem numerum unusquisque candidatus sit assecutus.

**318.** (*f*) Si ex hac publicatione apparet, in nostro casu, tres candidatos non esse assecutos *majorem numerum suffragiorum consultorum et rectorum praesentium* (*a majority of the votes of all the voters present*), toties iterandum est scrutinium (*the balloting*), usque dum tres candidati adepti sunt majorem numerum; et sic perfecta est commendatio. Nemo enim S. Sedi commendatus censetur, nisi habeat praedictum majorem numerum. Hinc si v.g. adsint 15 consultores et rectores, necesse est ut unusquisque ex tribus candidatis habeat 8 suffragia; secus iterandum est scrutinium.

**319.** Utrum autem suffragia ferantur separatim pro singulis ex hisce tribus candidatis, ita ut scrutinium seu suffragium separatum ac distinctum (*separate voting for each candidate*) habeatur pro unoquoque candidato, uti accidit in Anglia, an potius suffragia ferantur pro omnibus tribus in eodem scrutinio, uti fit in Hibernia, non multum refert. Nam si suffragia primo modo ferantur, is habebitur uti dignissimus qui in scrutinio quod primo fit, majorem numerum votorum est assecutus; is vero ut dignior, qui in sequenti suffragio, et is ut dignus qui in ultimo scrutinio hunc numerum est adeptus.

**320.** Si e contra suffragia ferantur secundo modo, electores seu commendatores debent tria nomina in schedulas ponere

[1] Conc. Plen. Balt. III. n. 15.

cum respectivo additamento *dignissimus, dignior* et *dignus,* et sic apparebit quisnam uti dignissimus, uti dignior, et uti dignus, majorem sit assecutus numerum votorum. Denique Praeses mittet verbale (*the minutes*) hujus conventus, secretarii subscriptione signatum ad caeteros Episcopos et ad S. Congr. de P. F.

**321.** *Quaer.* Quomodo Episcopi Provinciae, apud nos suam commendationem peragant?

*Resp.* 1° Aliquos dies v.g. decem dies—postquam consultores et rectores suffragium suum, uti supra, dederunt, Episcopi convenient in specialem coetum vel synodum.[1] 2° In hoc coetu, qualitates candidatorum a clero designatorum, ut supra, vel aliorum ab Episcopis ipsis nominatorum, publice discutientur; suffragia vero secreto in urnam immittentur.[2] 3° Quod si judicaverint nomina a clero proposita esse rejicienda, rationes suas S. Congregationi de Prop. Fide exponere tenentur. (Nostrum *Elements,* vol. I. n. 345–350, *editio sexta,* 1887.)

**322.** *Quaer.* A quibus et qua forma fiat commendatio in Anglia et Hibernia?

*Resp.* A clero[3] et Episcopis Provinciae, eodem ferme modo, ac apud nos. (Nostrum *Elements,* l. c. n. 351–355.)

## § 3. Electio Praelatorum Regularium.

(*Election of Prelates of Religious Orders.*)

**323.** *Quaer.* Quinam eligere possint Praelatos regulares?

*Resp.* Praelaturae regulares v.g. dignitas Superioris generalis, Abbatis—obtinentur et conferuntur per electionem proprie dictam, eodem modo ac Episcopatus in locis ubi Episcopi electio adhuc pertinet ad Capitulum Cathedrale. Porro electio Praelati regularis pertinet ad eos monachos qui sunt de corpore seu gremio illius monasterii, cujus Praelatus est eligen-

[1] Conc. Pl. Balt. III. n. 15, v.

[2] Conc. Pl. Balt. II. n. 106, 107.

[3] In Anglia, a capitulo cathedrali; in Hibernia, a parochis omnibus et canonicis.

dus.[1] Hinc ex decreto S. C. EE. et RR. 7 Feb. 1648, Regulares nec voce activa, nec passiva fruuntur, nisi collocati de familia in aliquo conventu (*residing in the convent*) per tres menses immediate proximos capitulo celebrando ibidem perpetuo permanserint. Non tamen omnes hi Regulares vocem habent in electione. Sic v.g. eligere non possunt regulares (*a*) qui nondum sunt professi; (*b*) qui sunt professi, sed inter fratres laicos.[2]

**324.** *Quaer.* Quinam possint eligi ad Praelaturas Regulares?

*Resp.* Eligi non possunt (*a*) qui nondum sunt expresse professi;[3] (*b*) universim omnes regulares qui eligere nequeunt.

**325.** *Quaer.* Quae forma servanda sit in electione ad Praelaturas Regulares?

*Resp.* 1° Praepositi generales ordinum (*General Superiors*), Abbates (*abbots*), aliique Praelati Regulares exempti, et Apostolicae Sedi immediate subjecti, necessario eligendi sunt per formam scrutinii,[4] et quidem per suffragia *secreta* (*by secret votes*), imo eligentium nomina nunquam publicanda sunt.[5] Hinc, ad evitandas inimicitias et discordias inter Religiosos, sublata est forma quasi-inspirationis, et etiam compromissi, nisi hoc fiat per vota secreta.

2° Scrutinio peracto (*when all have voted*), fit publicatio scrutinii (*the vote is announced*). Si ex hac publicatione constat neminem majorem numerum suffragiorum electorum praesentium assecutum esse, iterandum est scrutinium, usque dum unus majorem numerum sit adeptus. Schedulae (*ballots, tickets*) vero concremantur.

3° Electio Regularis Praelati, non secus ac quaevis alia electio, confirmanda est ab immediato Superiore. Nam electio tribuit jus ad rem; confirmatio jus in re. Quapropter electio

[1] Sanguineti, p. 193. Nam regula generalis est, jus eligendi pertinere ad illos qui sunt de gremio illus dioecesis seu collegii, cujus Praelatus est eligendus.

[2] Soglia, vol. II. p. 71.

[3] Cap. 49, de Elect. (i. 6); cap. 37, 38, eod.

[4] Cap. 42, de Elect.

[5] Conc. Trid. sess. 25, cap. 6, de Regular.

Praepositi generalis ordinis, Abbatis, alteriusque Praelati Regularis exempti et immediate Sedi Apostolicae subjecti a S. Pontifice confirmanda est.[1]

**326.** *Quaer.* Quid dicendum de electione aliorum officialium regularium ?

*Resp.* De jure communi, soli Praepositi generales (*Superiors-general*) et Abbates perpetui per electionem proprie dictam seu canonicam constituendi sunt. De jure vero speciali, v.g. per speciales constitutiones, consuetudines et privilegia alicujus ordinis, etiam alii Superiores v.g. Provinciales, Priores, Guardiani quandoque per electionem, quae in hoc casu est electio improprie dicta, constituuntur. Porro, de jure communi, forma electionis proprie dictae non est servanda, in hisce electionibus, dummodo semper electio fiat per vota secreta, ita ut singulorum eligentium nomina numquam publicentur.[2]

## TITULUS III.

### QUIBUS MODIS INFERIORA OFFICIA ECCLESIASTICA CONFERANTUR ET OBTINEANTUR.

(*Appointments to the minor Ecclesiastical Offices.*)

**327.** In praecedente articulo de modis conferendi officia *majora* locuti sumus. In praesenti articulo nonnulla dicenda sunt de modis quibus *minora* seu *inferiora* officia (*minor offices*) v.g. officium parochi, obtinentur. Porro officia omnia inferiora et proinde etiam parochiae conferuntur regulariter (*a*) vel per jus patronatum (*right of patronage*), id est, per *praesentationem* ex parte patroni, et personae praesentatae institutionem ab Episcopo vel alio ad id jus habente, (*b*) vel per *collatiōnem* (*by appointment*). De singulis hisce modis, quibus officia minora, et proinde ecclesiastica jurisdictio et jura acquiruntur, brevis nunc, de more, sermo erit.

[1] Soglia, l. c. p. 73.
[2] Conc. Trid. sess. 25, cap. 6, de Reg. et Mon.

## ART. I.

### DE JURE PATRONATUS.

(*Right of Patronage.*)

**328.** *Quaer.* Quid sit jus patronatus?

*Resp.* Ecclesiastica officia, de quibus loquimur, necnon ecclesiae parochiales, iisque adnexa jurisdictio ecclesiastica ea ratione acquiri possunt, qua collator (*the appointer*) officium seu parochiam conferre debet ei quem determinata aliqua persona ex jure praesentaverit.[1] Tunc qui jus habet praesentandi, *Patronus* (*patron*) appellatur, potestas vero qua pollet *jus patronatus* (*right of patronage*). Hinc jus patronatus est jus seu potestas nominandi sive praesentandi (*to name or present*) clericum ei ad quem institutio pertinet, ut officium vacans, quod ejusmodi juri subjectum est, eidem concedat. Quare duo hic necessaria sunt, ut quis officium seu parochiam obtineat: (*a*) *praesentatio* (*the naming or presenting of the incumbent*); et haec ad patronum pertinet, cujus est designere et offerre clericum; (*b*) *institutio* (*the conferring of the office*) seu concessio officii facta ad praesentationem ejus qui habet jus patronatus. Haec autem institutio ad Episcopum pertinet, quae tamen negari non potest, nisi clerico a Patrono designato canonica obstent impedimenta.[2]

**329.** *Quaer.* Quinam possint acquirere hoc jus praesentandi clericum sive hoc jus patronatus?

*Resp.* Omnes quotquot sunt fideles, etiam foeminae, capaces sunt jus patronatus habendi. Dicitur *fideles;* siquidem infideles sive haeretici neque actu neque habitu capaces sunt juris patronatus, nisi quoad hos peculiaris habeatur permissio Romani Pontificis.[3]

**330.** *Quaer.* Quomodo acquiratur hoc jus, ut aiunt, patronatus?

[1] Sanguineti, l. c. n. 317.

[2] Can. 32, c. 16, q. 7; Cap. ult. de instit. in 6°; Conc. Trid. sess. 7, c. 13, et sess. 25, c 9, de Ref.; Devoti, l. i. t. 5, § 47.

[3] Sanguineti, l. c p. 204.

*Resp.* Jus patronatus ordinarie acquiritur ab eo qui, cum Episcopi consensu (*a*) vel dat fundum (*donates the ground or land*), (*b*) vel aedificat ex suo aere ecclesiam (*builds the church*), (*c*) vel jam aedificatam ecclesiam congrua dote (*endows it*) instruat.[1] (Nostrum *Elements*, vol. I. n. 315, 646.)

**331.** *Quaer.* Utrum existat in hisce Statibus Unitis jus patronatus, id est jus praesentandi Episcopo clericum pro missione seu parochia vacante?

*Resp.* Negative, uti patet ex his verbis Concilii Plenarii Baltimorensis II.: "Declaramus nullum jus patronatus cujuscunque generis, quod sacri agnoscant canones, competere nunc alicui personae, laicorum congregationi, aedituorum coetui, seu aliis quibuscunque personis in hac provincia. Declaramus etiam stipendia, seu subsidia quaecunque, quae solent a fidelibus tribui, vel ob loca (*pews, seats*) quae in ecclesiis occupant, vel ob servitium quod ecclesiis seu missionibus sacerdotes impendunt, vel ut fundus ad ecclesiam aedificandam comparetur, vel ut ecclesia extruetur (quae subsidia plerumque tribuuntur collatitio stipe—*by collections*—et nulla assignata ecclesiae certa dote) nullum jus tribuere patronatus, quod a sacris canonibus agnoscatur."[2]

**332.** *Quaer.* Quaenam fuerit praecipue juris patronatus inducendi ratio?

*Resp.* Ut ecclesia gratam sese praeberet erga illos qui sunt templorum, altarium etc. fundatores, et ut caeteri pari ad bene de Ecclesia merendum voluntate excitarentur.[3]

## ART. II.

### COLLATIO.

(*Appointments.*)

**333.** *Quaer.* Quid sit collatio?

*Resp.* Collatio (*appointment to office*) est postremus modus, quo ecclesiastica officia inferiora et ecclesiasticam jurisdictionem adipiscimur. Definitur: officii seu parochiae vacantis ab

[1] Cap. 25, de jure patron. (iii. 38); Devoti, l. c. § 53.

[2] Conc. Pl. Balt. II. n. 184.

[3] Devoti, l. c. § 49.

habente potestatem libere facta concessio (*the appointment to a vacant office, freely made, by one having the power to confer the office*). Collatio tripliciter differt ab electione. Primum, quod electio locum habet in officiis *majoribus*, v.g. in episcopatu; collatio vero in officiis minoribus; deinde electio fit a *pluribus*,—v.g. a capitulo cathedrali,—collatio vero ab *uno* solum rectissime absolvitur; demum collatio tribuit jus in re, electio solum jus ad rem.

**334.** Dicitur in definitione "*libere* facta concessio;" quia hac ratione praecipue distinguitur collatio ab institutione sive jure patronatus. Nam collatio fit solo jure praelati. Licet enim hic praelatus teneatur conferre officia personis habilibus et servata forma ab ecclesia praescripta, non tamen tenetur ea conferre huic vel illi, sed cui vult, libere confert; hinc vocatur haec concessio officii *collatio libera* (*full and free right of making appointments*). Secus accidit in jure patronatus; nam ibi superior necesse habet conferre officium seu parochiam ipsimet praesentato a Patrono, dummodo clericus praesentatus sit idoneus; sicque talis collatio dicitur *necessaria, non libera* (*a necessary appointment*). De collatione necessaria, id est, de jure patronatus jam in antecedente articulo egimus. Hic proinde de collatione proprie dicta, id est, de collatione, quae libera vocatur, agemus.

Ad quamlibet collationem (*in all appointments*) semper requiruntur isthaec tria: (*a*) potestas in conferente (*authority in the appointer, elector, etc.*); (*b*) habilitas in recipiente (*capacity on the part of the person to be appointed*); (*c*) debita forma (*due mode of making the appointment*).[1]

**335.** *Quaer.* Quinam libere conferre possint officia ecclesiastica, praesertim parochias?

*Resp.* Officii ecclesiastici collatio (*the appointment to an ecclesiastical office*) est actus potestatis spiritualis. Nam per illam (collationem) jura et ministeria ecclesiastica, quae officio sunt adnexa, conferuntur. Proinde liquet collationem seu jus conferendi officia ecclesiastica ad solos ecclesiae praesules, jure proprio, pertinere. Hinc etiam jus patronatus non aliam

[1] Reiff. l. iii. t. 7, n. 11.

originem habet, quam benignam Ecclesiae concessionem.[1] Quapropter collationes a laicis factae, absque Episcopi auctoritate, irritae sunt.

**336.** Possunt tamen, uti liquet, obtinere, et de facto obtinuerunt, diversis temporibus, ex speciali S. Sedis concessione, saecularia gubernia in nonnullis locis, partem quamdam in officiis ecclesiasticis conferendis. Sic novissime, Leo XIII. feliciter regnans, Regi Borussiae privilegium contulit, quo nomina parochorum ab Episcopo ad paroecias nominatorum, civili gubernio submitterentur.

**337.** Triplici autem jure, scilicet vel *plenario,* vel *ordinario,* vel *delegato* seu *extraordinario,* Praesules Ecclesiae officia ecclesiastica conferunt. Pontifex illa confert jure plenario; Episcopi ordinario, alii id jus habentes, delegato vel extraordinario. De singulis pauca nunc dicenda sunt.

## § 1. Potestas S. Pontificis conferendi Officia.

*(Right of Appointment as vested in the Pope.)*

**338.** *Quaer.* Quam habeat potestatem S. Pontifex conferendi officia ecclesiastica, v.g. parochias?

*Resp.* Habet *plenam* et *summam* potestatem conferendi omnia officia totius mundi.[2] Nam Pontifex est *Episcopus universalis, ordinarius ordinariorum,* habet jurisdictionem *immediatam, plenam* ac *supremam* gubernandi *universalem* Ecclesiam.[3]

**339.** *Quaer.* Quibus modis soleat Papa conferre officia ecclesiastica et parochias?

*Resp.* Quadruplici modo seu jure: 1° *Jure concursus* (*by virtue of his concurrent authority*), hoc est, quando S. Pontifex alicui providet de officio vel parochia, eo quod concurrentem (*concurrent*) cum quolibet ordinario seu inferiore collatore (*inferior appointer*) potestatem conferendi habeat.

**340.** 2° *Jure devolutionis* (*by virtue of the appointment devolving upon him*); quando enim Episcopi seu inferiores

[1] Cap. 4, 5, de jure patron. (iii. 38).
[2] Cap. 2, de Praeb. in 6°.
[3] Conc. Vatican. sess. iv. c. iii.

collatores negligunt officium vacans alicui, intra debitum tempus, conferre, potestas conferendi pro illa vice, devolvitur vel ad immediatum superiorem, v.g. ad Metropolitanum, vel etiam ad S. Pontificem.[1]

**341.** 3° *Jure praeventionis* (*the right of conferring an office not yet vacant*); hoc contingit, quando Papa cuipiam confert officium *primo vacaturum* (*when it shall become vacant*). Nam Romanus Pontifex non solum officia, *cum vacant*, potest conferre, verum etiam jus in ipsis tribuere *vacaturis*.[2] Hoc jus praeventionis est speciale privilegium Papae; neque alteri cuipiam, etiamsi sit Episcopus permittitur officium seu parochiam nondum vacantem certae personae promittere, et ad eam jus dare.[3]

**342.** 4° *Jure reservationis* (*by the right of reserving certain appointments*); quando nempe S. Pontifex sibi soli et exclusive *reservat* potestatem conferendi quaedam officia. (Nostrum *Elements*, vol. I. n. 358.)

## § 2. Potestas Episcopi conferendi Officia et Parochias.

(*Right of making Appointments, as vested in the Bishop.*)

**343.** *Quaer.* An et qualiter Episcopo competat collatio officiorum, praesertim vero parochiarum (*the appointment to offices, and especially to parishes*)?

*Resp.* Post Papam, ordinarius collator (*the ordinary appointer to*) omnium officiorum et parochiarum, in sua dioecesi, est Episcopus. Hinc de jure communi collatio omnium officiorum (*the appointment to all offices*), generatim spectat ad Episcopum loci, nisi danda sunt per electionem,[4] uti videbimus infra, aut sunt juris patronatus. Attamen lex aliqua particularis saepe impedimento est, quominus ipse certa officia vel parochias libere conferre possit. Huc spectant leges, consuetudines, fundationes per quas certa officia aut parochiae vel

[1] Cap. 8, de Elect. in 6°.

[2] Cap. 2, de Praeb. in 6°; Clem. 1, ut lite pend.

[3] Cap. 3, 13, de Concess. Praeb. (iii. 8); Conc. Trid. sess. 24, c. 19, de Ref.

[4] Sanguineti, l. c. p. 200.

ab Episcopo cum capituli (*cathedral chapter*) consensu, vel conjunctim cum eo, vel alternatim, vel a solo capitulo conferuntur. Quas fundationes, consuetudines, leges, quae in unaquaque dioecesi vigent, tenere ac servare diligenter oportet.[1]

**344.** Diximus, *nisi danda sunt per electionem;* siquidem nonnulla officia ecclesiastica inferiora conferuntur de jure communi non a solo Episcopo, sed per electionem, sive per suffragia aliorum. Sic officium Examinatoris Synodalis confertur et acquiritur de jure communi, per approbationem Synodi eorum qui ad hoc officium ab Episcopo fuerunt propositi. Haec autem approbatio fit per suffragia sacerdotum in synodo dioecesana congregatorum. Sic etiam officium canonici Ecclesiae cathedralis obtinetur et confertur vel conjunctim per suffragia (*votes, election*) tum ipsius Episcopi tum capituli, vel alternatim etiam per suffragia solius capituli, vel solius Episcopi. Hujusmodi officia vocantur officia *electiva,* dum officia quae conferuntur per collationem, nuncupantur officia *collativa.*

**345.** Notandum autem est, quod electio in his casibus, sit electio solum in sensu lato. Nam electio in sensu proprio, ea est, uti jam ostendimus, per quam obtinentur officia *majora.* Proinde, de jure communi, in hisce electionibus improprie dictis, non sunt necessario ea omnia servanda, quae a sacris canonibus[2] praescribuntur pro electionibus proprie dictis, et quae supra explicavimus, sub titulo *de electione.*[3]

## § 3. Quinam conferant Officia Potestate Delegata?

(*Who has delegated Power to make Appointments to Ecclesiastical Offices and to Parishes.*)

**346.** I. Omnes Cardinales, intuitu eminentis eorum dignitatis, habent a S. Pontifice potestatem, sive uti aiunt, indultum seu delegationem conferendi officia et beneficia in suis titulis.[4]

[1] Devoti, l. i. t. 5, § 29.
[2] Cap. 42, de Elect.
[3] Reiff. l. i. t. 6, n. 112.
[4] Devoti, l. c. § 44; Soglia, vol. II. p. 181.

**347.** II. Praeter Cardinales, sunt alii collatores qui jure delegato aut extraordinario, sive ex privilegio, sive ex consuetudine, vel ex praescriptione immemorabili, officia, beneficia et parochias conferunt. Cum autem Episcopus fundatam in jure communi intentionem seu potestatem habeat omnia et singula officia in sua dioecesi vacantia conferendi, uti supra diximus,[1] hinc sequitur, quod si alius jus sibi vindicet conferendi quoddam officium, is quidem *probare* debeat, id sibi competere jure speciali, v.g. privilegio, vel consuetudine.[2]

**348.** Hic notandum est quod, si collatio alicujus parochiae seu officii, quod adnexam habet curam animarum, ad eum pertineat, qui nec Episcopus sit, nec praeditus sit jurisdictione quasi-episcopali, is quidem titulum parochiae conferre possit, non vero institutionem auctorizabilem. Nam institutio auctorizabilis nihil aliud est quam approbatio ad curam animarum. Porro haec approbatio seu jurisdictio ad curam animarum gerendam, quae omnibus curatis (*those in charge of souls*) necessaria est, ab uno ordinario dari potest.[3]

## TITULUS IV.

## FORMA SERVANDA IN ACTU COLLATIONIS.

(*Formalities to be observed in making the Appointment.*)

### ART. I.

### INSTITUTIO VERBALIS SEU COLLATIVA.

(*Act of the Appointment.*)

**349.** *Quaer.* Quaenam forma requiratur ad legitimam collationem?

*Resp.* 1° Generatim loquendo, collatio officii seu parochiae debet esse *canonica;* hoc est, facta juxta praescriptum sacrorum canonum. Proinde in collatione observare oportet for-

[1] Can. 10, 11, causa 16, qu. 7. [2] Reiff. l. 3, t. 5, n. 177.
[3] Reiff. l. 3, t. 7, n. 8; Soglia, vol. II. p. 184.

mam a jure praescriptam; alioquin nulla erit.[1] Porro forma substantialis servanda de jure communi in collatione ecclesiarum parochialium, est *forma concursus seu examinis competitorum.* In hisce Statibus Foederatis Americae Septentrionalis, missiones seu paroeciae inamovibiles nunc conferendae sunt servata forma concursus in Concilio Plenario Baltimorensi III. n. 40–59, stabiliti.

2° Collatio officiorum minorum v.g. parochiarum, intra *sex menses* a die notae vacantiae (*six months from the time the vacancy became known*) facienda est sub poena devolutionis ad eum qui debet negligentiam supplere.[2]

3° Collatio fieri per se posset *nudis verbis* (*orally*), quia scriptura ad rei substantiam non pertinet. Attamen expediri solent collationis litterae (*letters of appointment*), juxta formas consuetas, ita ut facilius de ea constare possit.[3] (Nostrum *Elements*, vol. I. n. 294, 364.)

## ART. II.

### INSTITUTIO REALIS SEU CORPORALIS.

(*The Act of taking Possession of the Office.*)

**350.** *Quaer.* Quid sit haec institutio, et utrum requiratur?

*Resp.* Institutio corporalis seu realis (*Installation*) aliud non est quam *inductio in actualem possessionem* officii seu parochiae, quam quis legitime adeptus est. Porro nemini, etiamsi legitime ad officium fuerit promotus, licet per se ipsum actualem ipsius possessionem propria auctoritate apprehendere, sed debet per alium induci.[4]

**351.** Dicitur *propria auctoritate;* nam si accedat consensus legitimi superioris, v.g. Episcopi, potest quis corporalem ingredi possessionem officii aut parochiae (*take actual possession of the parish*), per seipsum et nullo alio introducente.[5]

[1] Reiff. l. 3, t. 5, n. 127.
[2] Cap. 2, 5, de Concess. praeb. (iii. 7).
[3] Sanguineti, l. c. n. 315.
[4] Reiff. l. 3, t. 7, n. 52.
[5] Ib. n. 53.

**352.** *Quaer.* Quid de hac institutione apud nos?

*Resp.* In hisce Statibus Foederatis, rectores missionum, sive sint inamovibiles sive non, generatim absque ulla institutione reali, possessionem sibi arripiunt actualem missionum seu paroeciarum, quas legitime adepti sunt. Haec praxis ex tacito consensu Episcoporum originem duxit. (Nostrum *Elements*, l. c. n. 366.)

**353.** Notandum est, quod institutio haec vocatur realis seu corporalis, quia sic distinguitur (*a*) ab institutione *collativa seu verbali*—aliis verbis, ab ipsa collatione, per quam, uti supra ostendimus, officium ipsum confertur; (*b*) ab institutione *auctorizabili*, quae nihil aliud est quam approbatio ad curam animarum.[1]

## TITULUS V.

## DE QUALITATIBUS PROMOVENDORUM AD OFFICIA ECCLESIASTICA.

(*Qualifications required in those who are to be appointed to Ecclesiastical Offices.*)

**354.** Jam locuti sumus de qualitatibus quae requiruntur ut aliquis possit (*a*) promoveri ad *ordines,* (*b*) et adipisci jurisdictionem *delegatam.* Superest proinde ut impraesentiarum videamus quaenam qualitates requirantur ut quis possit promoveri ad ecclesiastica *officia,* sive majora sive minora et acquirere jurisdictionem *ordinariam.*

### ART. I.

### QUAE SINT PRAECIPUAE QUALITATES REQUISITAE?

(*What are the Principal Qualifications?*)

**355.** *Quaer.* Quaenam qualitates requirantur in promovendis ad Praelaturas et ad alia officia ecclesiastica?

*Resp.* Tres generatim, videlicet aetatis maturitas, gravitas morum, et litterarum scientia. Hoc constat ex his verbis Alexandri III.: "Cum in cunctis . . ecclesiasticis ministeriis

[1] Reiff. l. 3, t. 7, n. 5–8.

sint aetatis maturitas, gravitas morum, et litterarum scientia inquirenda; multo fortius in Episcopo haec oportet inquiri."[1] Singulas breviter expendemus.

**356.** I. *Aetatis maturitas* (*mature age*).—Necesse est ut promovendi habeant aetatem a jure praescriptam. Porro ut quis in Episcopum elegi possit, requiruntur 30 anni completi.[2] In Gallia, ex concordato, 27 anni sufficiunt. In promovendis ad regimen paroeciarum requiruntur 25 inchoati.[3]

**357.** II. *Gravitas morum* (*good character, probity of conduct*).—Proinde excluduntur ab officiis ecclesiasticis ebrii, luxuriosi, irregulares, excommunicati, suspensi et interdicti, infames,[4] haeretici, schismatici, infideles, etc.

**358.** III. *Litterarum scientia* (*knowledge, learning*).—Triplex autem potest scientia distingui, videlicet eminens, mediocris et sufficiens. *Scientia eminens* (*eminent learning*) dicitur per quam quis scit difficiles ac subtiles quaestiones explicare, et quidem in promptu et absque librorum revolutione. *Scientia mediocris* (*mediocre knowledge*) est per quam quaestiones resolvuntur, cum deliberatione tamen et revolutione librorum (*with the aid of books*). *Scientia sufficiens* (*sufficient learning*) vocatur per quam quis sufficienter potest explere ea quae incumbunt officio suo, habita ratione loci et personarum.[5]

**359.** *Quaer.* Qualis litterarum scientia sit necessaria in promovendis ad officia ecclesiastica?

*Resp.* 1° Certum est quod generatim loquendo, ad praelaturas, parochias, et alia officia ecclesiastica, requiratur saltem tanta scientia seu rerum agendarum notitia, quanta est necessaria et sufficiens ad rite exequendum officium suum.

2° Varius proinde gradus scientiae requiritur pro vario gradu dignitatis seu officii. Sic in Episcopis exoptatur scientia eminens, quamvis mediocris, imo et sufficiens in ipsis toleretur. Hinc Concilium Tridentinum de promovendo in Episcopatum

[1] Cap. 7, de Elect. (i. 6). [2] Ib.

[3] Ib.; cap. 14, de Elect. in 6°; Conc. Trid. sess. 7, c. 3, de Ref.

[4] Infamia, sive juris sive facti excludit ab officiis, juxta hanc regulam: "Infamibus portae non pateant dignitatum." (Reg. 87, de Reg. Jur. in 6°.)

[5] Reiff. l. i, t. 6, n. 205.

statuit: "Ideoque antea in universitate studiorum magister, sive doctor aut licentiatus in sacra theologia vel jure canonico merito sit promotus."[1]

**360.** *Quaer.* Quaenam aliae requirantur qualitates?

*Resp.* Praesertim sequentes: 1° *Thorus legitimus* (*lawful wedlock*), hoc est, quod quis ex legitimo matrimonio procreatus sit.[2]

2° *Status clericalis* (*the ecclesiastical state*), videlicet ut quis saltem prima tonsura initiatus sit. Nam laici negotia ecclesiastica non debent tractare.[3] (Nostrum *Elements*, vol. I. n. 367–372.)

## ART. II.

### DE PROMOTIONE DIGNIORIS PRAE MINUS DIGNO.

(*Appointment of one who is more worthy in preference to another who is simply worthy.*)

**361.** *Quaer.* Utrum inter clericos qui dotes requisitas habent, ille prae caeteris eligi debeat, qui dignior est?

*Resp.* Praenotandum: 1° *Dignus* (*worthy, competent*) dicitur ille qui habet sufficientem scientiam et caeteras qualitates a jure praescriptas. 2° *Indignus* (*unfit, unworthy*) vocatur ille, cui deest aliqua ex qualitatibus requisitis, v.g. cui deest morum gravitas, vel litterarum scientia. 3° *Dignior* (*the most worthy or fit*) censetur qui majorem scientiam et meliorem rerum agendarum peritiam habere dignoscitur quam alii qui solum sunt digni.[4]

**362.** Hisce praejactis, respondeo: 1° Certum est ad officia ecclesiastica *nonnisi dignos* esse promovendos.[5] 2° Imo pro praelaturis, v.g. pro dignitate episcopali,[6] et ecclesiis parochialibus, non sufficit eligere seu promovere *dignos*, sed necesse

[1] Conc. Trid. sess. 22, c. 2, de Ref.
[2] Cap. 7, de Elect.; Reiff. l. i. t. 6, n. 218.
[3] Cap. 2, de Jud.; Prael. S. Sulp. n. 289.
[4] Reiff. l. c. n. 235.
[5] Cap. 29, de Praeb. (iii. 5); Conc. Trid. sess. 7, c. 3, de Ref.
[6] Conc. Trid. sess. 24, c. i. de Ref.; Reiff. l. i. t. 6, n. 241.

est omnino, sub gravis peccati reatu, eligere *digniorem.*[1] Quae quidem res ut fideliter servaretur, in collatione paroeciarum, lex lata fuit a Concilio Tridentino,[2] ut ecclesiae parochiales nonnisi per concursum sint conferenda, ita ut ex praevio competitorum examine is paroeciae praeficiatur, qui moribus, doctrina, et prudentia caeteris antecellit.

**363.** *Quaer.* Quaenam consectaria pro hisce Statibus Unitis fluant ex dictis?

*Resp.* 1° Quando sedes aliqua episcopalis vacare contingit,[3] tum Episcopi Provinciae tum Consultores et Rectores inamovibiles tenentur sub gravi, tres candidatos S. Sedi proponere seu commendare, quos non solum dignos, verum quos digniores judicaverint. Constat ex hisce verbis Concilii Tridentini:[4] "*Omnes* vero et *singulos,* qui ad promotionem praeficiendorum (Episcoporum) *quodcunque* jus *quacunque ratione* a Sede Apostolica habent, *aut alioquin operam suam praestant* . . . monet S. Synodus, eos . . mortaliter peccare, nisi quos *digniores* et ecclesiae *magis utiles* ipsi judicaverint . . . praefici diligenter curaverint."

**364.** 2° Quoad nostras missiones quae rectores habent inamovibiles, et quae proinde per concursum sunt conferendae, juxta regulas a Concilio Plenario Baltimorensi III. stabilitas, examinatores synodales tenentur sub gravi, examine peracto, renunciare Episcopo uti dignos solummodo eos quos idoneos judicaverint aetate (*age*), moribus (*conduct*), doctrina (*learning*) et prudentia (*experience*),[5] et Episcopus sub gravi tenetur ex hisce idoneis eum eligere quem caeteris magis idoneum judicaverit.[6]

**365.** 3° Quoad caeteras missiones quae non reguntur a rectoribus inamovibilibus, certum est etiam gravem Episcopis incumbere obligationem, tum ex lege Ecclesiae tum ex ipso jure naturali, digniores rectores eligendi, et sic meliori modo possibili saluti animarum providendi. (Nostrum *Elements,* vol. I. n. 374.)

[1] Cap. 3, de jure patron. (3, 38).
[2] Sess. 24, c. 18, de Ref.
[3] Conc. Pl. Balt. III. n. 15, 16.
[4] Sess. 24, c. 1, de Ref.
[5] Conc. Pl. Balt. III. n. 36, 37, 52, 53, 57, 59.
[6] Conc. Trid. sess. 24, c. 18, de Ref.

**366.** *Quaer.* Utrum valida sit electio seu promotio digni, praetermisso digniori?

*Resp.* Praemittendum: Diximus supra graviter illicitam et prohibitam esse promotionem digni, praetermisso digniori, ad Ecclesias episcopales et parochiales. Hic quaeritur, utrum talis promotio sit etiam *invalida?*

**367.** Hisce praemissis, ad quaestionem respondemus: 1° Quoad Episcopatus, promotio seu electio digni, posthabito digniori, quamvis graviter illicita, est tamen valida, juxta sententiam probabiliorem. Secus enim facile omnis electio seu promotio impugnari posset in foro externo, et sic lata porta aperiretur innumerabilibus litibus.[1] Idem dicendum de promotione ad paroecias seu missiones, quae habent rectores amovibiles, et quae proinde non sunt conferendae per concursum.

**368.** 2° Promotio autem digni, praetermisso digniori, ad ecclesias parochiales, quae habent rectores inamovibiles, et quae proinde per concursum sunt conferendae, est invalida.[2] Hinc conceditur rejecto in concursu jus appellationis ad Metropolitanum et ad S. Sedem, ut electio minus digni annulletur in favorem dignioris.[3]

**369.** 3° Electio seu promotio *indigni,* sive ad Episcopatum, sive ad paroecias, sive ad alia quaecunque officia ecclesiastica, est semper vel irrita vel irritanda.[4]

---

# CAPUT IV.

## QUIBUS MODIS JURISDICTIO AMITTATUR.

(*How Jurisdiction is lost.*)

**370.** Hactenus de modis egimus, quibus jurisdictio, sive ordinaria sive delegata *acquiratur.* Nunc videamus quibus modis haec jurisdictio tum *restringatur, suspendatur* et peni-

[1] Cf. Reiff. l. i. t. 6, n. 248.
[2] Conc. Trid. sess. 24, c. 18, de Ref.; Soglia, vol. 2, p. 189.
[3] S. Pius V. Const. *In Conferendis;* Ferrar. v. Benef. art. v. n. 22.
[4] Cap. 22, de Elect.

tus *amittatur*. *Ordinis* potestas potest quidem suspendi non vero tolli. Potestas autem jurisdictionis penitus auferri potest. Duplex autem sit caput: primum de amissione jurisdictionis *delegatae;* secundum de amissione jurisdictionis *ordinariae.*

## TITULUS I.

### RESTRICTIO ET AMISSIO JURISDICTIONIS "DELEGATAE."

*(Manner of restricting and losing "delegated" Jurisdiction.)*

**371.** Jurisdictio delegata vel restringi et suspendi, vel etiam penitus auferri potest.

### ART. I.

#### DE MODIS RESTRINGENDI ET SUSPENDENDI JURISDICTIONEM DELEGATAM.

*(How delegated Jurisdiction is restricted and suspended.)*

**372.** *Quaer.* Quotuplici modo restringatur jurisdictio delegata?

*Resp.* Generatim loquendo, delegans potest restringere potestatem quam alteri exercendam commisit. Dicitur *generatim loquendo;* nam suas patitur exceptiones haec regula. Sic v.g. delegatio restringi nequit, si talis restrictio in damnum seu praejudicium tertii, seu delegati redundet.[1]

**373.** *Quaer.* Quomodo ligetur vel suspendatur jurisdictio delegata?

*Resp.* Quando, licet non revocetur delegatio, adest tamen impedimentum, quominus vel licite, vel etiam quandoque valide exerceatur, quamdiu illud non fuerit sublatum. Haec autem impedimenta sunt appellatio, censurae et irregularitates.[2]

[1] Schmalzg. l. i. t. 29, n. 45. [2] De Brab. n. 111.

## ART. II.

### AMISSIO JURISDICTIONIS DELEGATAE.

(*Total Loss of delegated Jurisdiction.*)

**374.** *Quaer.* Quibus praesertim modis cesset et expiret jurisdictio delegata, sive sit contentiosa, sive voluntaria?

*Resp.* 1° *Morte delegantis* (*by the death of the principal*), vel quod hic idem est, renuntiatione, translatione, depositione, vel alia quacunque ratione, qua jurisdictionem suam amittit.[1] Nam qui potitur jurisdictione delegata, auctoritatem exercet solummodo *vice et loco alterius*, seu illius a quo delegatus est. Proinde ejus jurisdictio adhaerere censetur *personae delegantis.* Hinc cessante potestate delegantis seu principalis, sive per mortem, sive alia quacunque via, cessat etiam, generatim loquendo, potestas delegati. Dicitur *generatim loquendo;* sunt enim exceptiones, quas vide apud nostrum *Elements*, vol. I. n. 378, *editio sexta.*

**375.** 2° *Morte ipsius delegati* (*by the death of the person delegated*); siquidem mors omnia solvit. Proinde jurisdictio delegata, sive sit contentiosa, sive voluntaria, regulariter non transit ad delegati successores in officio. Dicitur *regulariter;* nam hoc verum est, solum quando delegatio fuit *personalis*, seu facta *personae* delegati.[2] Si autem delegatio fuit *realis*, id est, facta *officio* seu *dignitati*, non cessat per mortem delegati, sed transit ad ejus in officio successorem.[3] (Nostrum *Elements*, l. c. n. 378.)

**376.** *Facultates tum ordinariae tum extraordinariae quae Episcopis nostris* a S. Sede concedi solent ad quinque vel decem annos, sunt ex Apostolicae Sedis voluntate, delegationes *personales.* Proinde morte, resignatione, etc., Episcopi cessant. Hinc novus Episcopus novas a S. Sede facultates impetrare debet. Notandum tamen est quod unusquisque Episcopus acceptas a S. Sede facultates idoneis sacerdotibus communi-

[1] Cap. 30, de Off. deleg. (i. 29). [2] Cap. 14, de Off. deleg. (i. 29)
[3] Santi, l. i. t. 29, n. 33.

care potest.[1] Hujusmodi autem subdelegationes perseverant usque ad terminum praefixum etiam post mortem, etc., ipsius Episcopi. Nam in hoc casu subdelegatus obtinet jurisdictionem, non a delegante, sed ab ipsa S. Sede.[2] A quonam autem recipiat hasce facultates Apostolicas administrator dioecesis, sede vacante, vide Conc. Pl. Balt. II. n. 96, 97, 98, et nostrum *Elements*, vol. I. l. c. n. 638.

**377.** 3° *Revocatione* (*by withdrawal*).—Delegans jurisdictionem a se alteri delegatam, revocare et sibi reassumere potest, etiam re non integra, si talis revocatio in damnum vel praejudicium tertii, seu delegati non redundet.[3] (Nostrum *Counter-Points*, n. 38.)

**378.** 4° *Lapsu temporis* (*by the lapse of the time for which the delegation was granted*),[4] et *finito negotio* (*when the matter delegated is disposed of*).[5]

## TITULUS II.

### AMISSIO JURISDICTIONIS "ORDINARIAE" ET PROINDE OFFICIORUM ECCLESIASTICORUM.

(*Manner of losing " Ordinary" Jurisdiction and Ecclesiastical Offices.*)

**379.** Jurisdictio ordinaria illa est quae permanenter adnectitur alicui officio aut dignitati. Proinde qui amittit tale officium, eo ipso orbatur jurisdictione ordinaria. Duobus autem modis officia et proinde potestatem jurisdictionis amittimus: (*a*) voluntate nostra, v.g. per renuntiationem, permutationem ; (*b*) extra voluntatem nostram, seu ex necessitate ac in poenam, v.g. per privationem.[6]

[1] Facult. form. i. n. 28 ; Conc. Pl. Balt. II. n. 96.
[2] De Brab. n. 165.
[3] Schmalzg. l. i. t. 29, n. 45.
[4] Ib. n. 44.
[5] Ib. n. 41.
[6] Devoti, l. i. t. 8, § 2.

## ART. I.

### RENUNTIATIO OFFICII ECCLESIASTICI.

*(Resignation of an Ecclesiastical Office.)*

**380.** *Quaer.* Quid sit renuntiatio?

*Resp.* Renuntiatio (*resignation*) quae et dimissio, cessio, resignatio dicitur, est officii ecclesiastici abdicatio, certis ex causis, sponte ac legitime facta coram superiore eam acceptante. Dicitur *sponte facta:* siquidem renuntiatio debet esse prorsus *libera.* Proinde resignatio extorta per vim aut metum, per oppressionem, fraudem vel dolum, est invalida.[1] Dicitur secundo *coram superiore;* aliis verbis renuntiare debet aliquis suo officio in manus illius superioris a quo illud accepit. Hinc Episcopi, et Praelati inferiores, qui sacrum habent imperium et Sedi Apostolicae immediate subjiciuntur, v.g. abbates regulares, renuntiant coram Sede Apostolica;[2] parochi necnon caeteri beneficiarii qui ab Episcopo instituuntur, coram eo renuntiant.

**381.** *Quaer.* Quotuplex sit renuntiatio?

*Resp.* 1° Expressa et tacita. *Expressa* dicitur quando verbis vel scriptis juxta formam a jure praescriptam emittitur. *Tacita* vero cum aliquis actus ponitur, qui vel natura sua, vel ex dispositione juris, adnexam habet officii dimissionem, v.g. quando clericus contrahat matrimonium.[3]

**382.** 2° Expressa renuntiatio duplex est:[4] una pura; alia conditionalis. Renuntiatio *pura* (*unconditional resignation*) est, quae fit sine ulla conditione. *Conditionalis* vero (*conditional resignation*), quae fit sub certa conditione; v.g. si renuntiatio fiat ex causa permutationis, vel in favorem tertii, vel cum reservatione pensionis.[5] (Nostrum *Elements,* l. c. n. 386–389.)

**383.** *Quaer.* Ex quibus causis renuntiationes officiorum fieri possint?

[1] Clemens III., cap. super hoc 5 (i. 9).
[2] Cap. ult. de renunt. (i. 9).
[3] Cap. 1 et 3, de Cleric. conj.
[4] Sanguineti, n. 474.
[5] Reiff. l. i. t. 9, n. 12.

*Resp.* 1° Ex definitione supra allata patet renuntiationes fieri solummodo debere ob justas causas. Nam si cuiquam pro arbitrio licitum esset munus suum deserere, hoc vergeret in maximum disciplinae detrimentum, necnon ruinam animarum.

Hoc maxime valet, quoad sacerdotes in locis missionum, et proinde etiam in hac regione, qui ad titulum missionis sacris insigniuntur ordinibus. Ratio est, quia juramentum emittunt se perpetuo dioecesi inservituros. Hoc autem juramentum a sola S. Sede solvi potest.

**384.** 2° Porro justae et legitimae causae sex potissimum recensentur scilicet: (*a*) Conscientia criminis (*a sense of one's guilt*), quod infamiam parit apud populum ; (*b*) Debilitas corporis (*ill-health*) ; (*c*) Defectus scientiae competentis (*want of sufficient knowledge for the discharge of official duties*); (*d*) Malitia plebis seu odium malae plebis (*ill-will and hatred of the people*): dico *plebis*, id est, non unius, sed plurimorum ex populo;[1] (*e*) Grave scandalum (*serious scandal given by the pastor*) quod populus patitur a suo pastore; (*f*) irregularitas quam aliquis incurrit.[2]

**385.** *Quaer.* Quis possit renuntiare suo officio?

*Resp.* Regulariter loquendo, quilibet Episcopus, parochus, vel alius clericus, etiamsi amovibilis sit ad nutum Episcopi,[3] potest in manus legitimi superioris, resignare suum officium ex justa causa. Hinc etiam Rectores missionum apud nos, sive inamovibiles sint, sive non, officium suum resignare possunt in manus Episcopi. Dicitur *regulariter ;* nam dantur exceptiones. Sic, v.g. nullus sacro ordini mancipatus valet ullo modo officium ecclesiasticum resignare nisi aliunde ei praesto sint media, quibus possit commode sustentari.[4]

[1] Santi, l. i. t. 9, n. 14.

[2] Innoc. III., cap. 10, de renunt. (i. 9). Supra dictae sex causae his versibus comprehendi possunt :

Debilis, ignarus, male conscius, irregularis,
Quem mala plebs odit, dans scandala, cedere possit.

[3] Leuren. For. Benef. p. iii. q. 291.

[4] S. Pius V., Const. Quanta Ecclesiae, 1 Apr. 1586.

Alias exceptiones videas apud Santi.[1] (Nostrum *Elements*, vol. I. n. 384, 390.)

## ART. II.

### PERMUTATIO OFFICIORUM ECCLESIASTICORUM.

(*On Ecclesiastics exchanging Offices with each other.*)

**386.** *Quaer.* Quid sit permutatio officii, et utrum sit licita?

*Resp.* Resignationi et translationi affinis est permutatio (*exchange*), quae definitur mutua officiorum resignatio, ut alter alterius dimittentis officium consequatur.[2] Licita est talis resignatio, seu licite possunt clerici inter se officia sua permutare (*exchange office with each other*), si id fiat, interveniente auctoritate legitimi superioris. Episcopatus sine auctoritate S. Pontificis, caetera officia seu beneficia sine venia Episcopi, cujus in dioecesi sunt, permutari non possunt.[3] Clerici qui ad invicem propria voluntate, et superioris consensu non impetrato, sua officia permutant (*ecclesiastics who exchange their offices with each other, of their own accord*), sententia judicis ea amittunt.[4]

**387.** Forma et modus hac ratione permutandi officia est, ut ea clerici resignent in manus Ordinarii, expresse tamen declarando quod id faciant causa permutationis (*for the purpose of exchanging*). Et si Ordinarius resignationem hanc censuerit admittendam, nulli alteri, sed praecise hisce clericis, causa permutationis resignantibus, officia illa conferre poterit ac debebit; adeo ut collatio aliis facta non teneat.[5]

**388.** *Quaer.* Utrum aliquando Episcopus clericum possit cogere ad faciendam permutationem?

*Resp.* Talis permutatio aequiparatur translationi coactae, quam in sequenti articulo explicabimus.[6]

[1] L. c. n. 8.

[2] Devoti, l. i. t. 8, § 16. Hinc patet permutationem nihil aliud esse quam resignationem conditionalem.

[3] Cap. 5, de Rer. perm. (iii. 19). Permutari possunt officia tum inamovibilia, tum amovibilia. Cf. Schmalzg. l. 3, t. 19, n. 14.

[4] Cap. 7, de Rerum perm. (iii. 19).

[5] Clem. cap. unic. de rer. perm. (iii. 5); Reiff. l. i. t. 9, n. 90.

[6] Cf. Schmalzg. l. 3, t. 19, n. 7.

## ART. III.

### DE TRANSLATIONE.

(*Of Transfers.*)

### § 1. De Translatione in Genere.

**389.** *Quaer.* Quid sit translatio, et a quo fieri possit?

*Resp.* Resignationi et permutationi affinis est translatio (*transfer*) quae definitur alicujus personae de una ad aliam ecclesiam, parochiam seu officium, superioris auctoritate, facta mutatio, ex legitima causa.[1] Dicitur *auctoritate superioris.* Translatio Episcoporum sola Romani Pontificis auctoritate fieri potest;[2] translatio vero parochorum et aliorum inferiorum ministrorum, auctoritate Episcopi.

**390.** *Quaer.* Quotuplex sit translatio?

*Resp.* 1° *Administrativa* et *poenalis.* Prior ea est quae fit ex causis *necessitatis* vel *utilitatis,* et proinde non ex causa *criminis;* posterior, quae locum habet propter *crimina,* seu in poenam criminis. 2° *Voluntaria* et *necessaria,* prout locum habet ex voluntate vel contra voluntatem transferendi. 3° Ad ecclesiam *majorem,* vel ad *minorem,* prout ecclesia ad quam quis transfertur, habet majorem honorem et ampliores redditus, vel econtra inferiorem honorem et redditus magis tenues. 4° Ab ecclesia cujus rector est *inamovibilis,* vel ab ecclesia quae rectorem habet qui inamovibilis non est.

**391.** *Quaer.* Quaenam, generatim loquendo, requirantur conditiones, ut translatio legitime fieri possit?

*Resp.* 1° Requiritur (*a*) ut adsit *causa justa et sufficiens.* Patet ex definitione. Nam detrimentum paterentur ecclesiae et officia, praesertim quando adnexam habent curam animarum, si eorum ministri absque causa sufficienti mutari et transferri possent. (*b*) Ut causa sit *legitima;* id est, ut causa habeatur ut sufficiens et justa, ab ipsa lege. Duae autem sunt generales causae a lege communi sancitae, et proinde legitimae, nempe *utilitas* vel *necessitas.*[3]

[1] De Angelis, l. i. t. 7, n. 1; Santi, l. i. t. 7, n. 1.

[2] Cap. 2, 3, 4, de Transl. (i. 7).

[3] Can. 34, 35, c. 7, q. 1; cap. 5, de Rer. Perm. (iii. 19).

2° De veritate istius causae necessitatis vel utilitatis legitime constare debet.[1]

3° Regulariter translatio nonnisi a *minori* ad *majorem* ecclesiam, parochiam vel officium fieri debet, non autem ad *parem* et multo minus ad *inferiorem*.[2] (Nostrum *Elements*, vol. I. n. 394.)

## § 2. Translatio Rectorum Inamovibilium.

(*Transfer of irremovable Parish Priests.*)

**392.** Quae hucusque dicta sunt, de translatione voluntaria potiusquam de necessaria intelligi debent. Pauca nunc liceat disserere de translatione, quae fit, invito rectore, tum inamovibili tum amovibili.

**393.** *Quaer.* Utrum et quomodo Episcopus possit rectores seu parochos inamovibiles, etiam in hisce Statibus, invitos ob una paroecia seu missione ad aliam transferre?

*Resp.* I. Translatio fit vel ad *meliorem* vel ad *minorem* parochiam, missionem seu officium. Jam vero translatio ad *inferiorem* parochiam seu officium, juxta omnium aestimationem, in *dedecus*, *infamiam* et alia *praejudicia* translati redundare pronum est. Hinc habetur apud omnes homines, uti *ignominia* et *poena*, et quidem *poena gravissima*. Phillips haec habet: "Translatio ad beneficium (paroeciam, officium) *magis tenue* . . . rationem poenae vindicativae habet."[3] Iterum: "Jure tamen recentiori etiam translatio (translocatio) per modum *poenae peculiaris judicialiter infligendae* reperitur."[4]

Proinde, uti Canonistae dicunt, talis translatio merito *ipsi privationi* (*dismissal or absolute removal*) *aequiparatur et aequivalet.* Quapropter rectores inamovibiles, etiam apud nos, inviti ad minores ecclesias seu missiones, vel ad inferiora officia transferri nequeunt, nisi in poenam delicti et per processum judicialem.

[1] Leur. For. Benef. p. iii. q. 855.

[2] Innoc. III. cap. 1, de Transl. (i. 7); Can. 24, dist. 93; Santi, l. i. t. 7, n. 9.

[3] Comp. § 188.

[4] Ib. § 87. Cf. Permaneder, p. 442, 443

**394.** II. Sed, possuntne tales rectores transferri inviti ad *meliorem* vel saltem *aequalem* paroeciam seu missionem propter causas utilitatis vel necessitatis, etiamsi immunes sint a crimine? Duplex est sententia. Nonnulli enim negant, quia secus, ut aiunt, inamovibilitas prorsus illusoria ac chimaerea evaderet.[1] Huguenin, p. 380, de translatione parochorum haec habet: "Distinguendum est inter beneficiatos (parochos) proprie dictos, et illos qui beneficium non obtinuerunt in titulum, quales sunt succursalistae in Gallia et in Belgio (et Rectores amovibiles apud nos). Episcopus, nisi causa canonica urgeat et servetur processus juridicus, nonnisi volentes transferre valet beneficiatos primi generis: parochi vero amovibiles transferuntur etiam inviti, absque judicii forma." Alii autem affirmant, eo quod secus inamovibilitas in detrimentum Ecclesiae vergeret. Attamen hi auctores qui affirmativam tuentur sententiam docent (*a*) *gravissimas* causas utilitatis vel necessitatis requiri; (*b*) has causas esse *legitime probandas;* (*c*) priusquam ad talem translationem deveniatur, *alia remedia esse tentanda.*[2] (Cf. nostrum *Elements*, vol. I. n. 394; vol. III. n. 1885–1894; nostrum *The New Procedure,* n. 581 sq.)

## § 3. Translatio nostrorum Rectorum qui dicuntur amovibiles.

(*Transfer of our removable Rectors.*)

**395.** *Quaer.* Quomodo Episcopus possit rectores qui dicuntur amovibiles, in hisce Statibus Unitis, invitos transferre?

*Resp.* S. Congr. de Prop. Fide, in congregatione generali diei 20 Maii 1887, propositam quaestionem sic definivit: "Cum vero agatur de translatione rectoris (qui dicitur amovibilis) de una missione ad aliam aut ad aliud officium etiam inferius, Ordinarii" (*in the United States*) "non tenentur ad canonici processus instructionem; opus est autem ut hoc fiat graves ob causas, et habita meritorum ratione juxta dispositionem Concilii Plenarii Baltimorensis III. tit. ii. cap. v. § 32. Si in casu translationis fiat recursus ad S. Congregationem,

[1] Pierantonellus, Praxis, p 109, docet tales translationes fieri non posse nisi per processum canonicum. [2] De Brab. vol. I. p. 349.

S. Congregatio remittet recursum ad Metropolitam, vel si agatur de Metropolita, ad Metropolitam viciniorem." Haec autem resolutio omnibus horum Statuum Episcopis a S. Congregatione communicata est, ac proinde rite promulgata.

**396.** Proinde I. requiritur *causa gravis.* Verba S. Congregationis sunt: "Opus est ut hoc fiat *graves ob causas.*" Hoc autem tum juri communi Ecclesiae, tum constanti praxi SS. Congregationum, tum rectae rationi congruit. Et sane jus commune, uti supra vidimus, vetat quominus Ecclesiae ministri, licet amovibiles et licet inferioris gradus existant, et nullam habeant curam animarum, transferanter praesertim coacte, absque justa et rationabili causa. A fortiori proinde, gravis omnino et proportionata requiritur causa ad transferendum, et quidem coacte, rectorem licet amovibilem. Nam tales rectores *pastoris* munere funguntur, et proinde debent oves suas *cognoscere,* illorum esse *pater* spiritualis, et proinde non tam facile, sed rarissime et nonnisi graves ob causas a sua paroecia debent transferri.

**397.** Hinc S. Congregatio Concilii eam visa est semper retinere doctrinam, ut sine causa removeri seu transferri nequeat sive vicarius curatus sive rector amovibilis.[1] Hanc doctrinam etiam tradunt Concilia tum Secundum tum Tertium Plenarium Baltimorense.[2]

**398.** Consonat etiam haec doctrina rectae rationi. Nam experientia docet istas translationes frequenter vel ordinarie malos exitus habere, quia sicut omnia *possibilia* sunt *volenti,* ita omnia *impossibilia* sunt *nolenti.* Deinde nemo non videt hujusmodi translationes aptas esse ad retrahendos optimos parochos seu missionarios a naviter pascendo gregem, quem in singulare prorsus praemium suae solicitudinis praevidet fore ut deserere debeat invitus. Proinde in damnum gravissimum animarum cederent tales translationes sine gravi causa peractae. Porro ipsa lex naturalis dictat curae animarum *meliori omnino modo* esse providendum,[3] et proinde rectores seu cura-

[1] Folium Secretarii S. C. C. 18 Dec. 1847; Causae Select. Lingen et Reuss, p. 831, 853.

[2] Conc. Pl. Balt. II. n. 125; Conc. Pl. Balt. III. n. 32.

[3] Conc. Trid. sess. 24. c. 18, de Ref. ait: "Expedit maxime animarum saluti, a dignis atque idoneis parochis gubernari."

tores animarum, licet amovibiles, non debere absque gravi causa invitos transferri.[1] (Nostrum *Elements*, vol. I. n. 395.)

**399.** II. Translatio peragenda est *habita meritorum ratione.* Aliis verbis, translatio ita est facienda, ut merita, id est, virtutes, scientia, etc., praemio donentur, culpae vero debita poena afficiantur. Porro juxta communem hominum existimationem, translatio ad *meliorem* locum seu ad *majorem* paroeciam, vel missionem honori, laudi, decori et ornamento translato est, et habetur uti praemium meritorum. Econtra translatio ad paroeciam seu missionem minorem, vel ad aliud officium inferius, probro, dedecori et infamiae clerico cedit, et insuper imminutionem reddituum secum fert; et proinde rationem poenae pro culpis induit.

**400.** Eapropter, quando rectores, licet amovibiles, transferuntur propter causas necessitatis vel utilitatis, quae culpam, crimen seu gravem negligentiam non constituunt, ad *majorem* vel saltem *aequalem* paroeciam seu missionem transferendi sunt. Quare rectores praedicti ad inferiores missiones vel ad inferiora officia regulariter transferri nequeunt nisi ob culpam, crimen, gravem negligentiam, necnon culpabilem imperitiam et inhabilitatem.[2] Ratio est, quia, ut omnes DD. fatentur, transferendorum honori consulendum est; et proinde cavendum est ne ex translatione dedecus, vel infamia vel aliud praejudicium translato causetur, qui culpae reus non est. (Nostrum *Elements*, vol. I. n. 395; vol. III. n. 1897–1900; *The New Procedure*, n. 596.)

**401.** III. De veritate causae sive necessitatis vel utilitatis, sive criminis vel gravis negligentiae, *legitime constare debet.* Hoc sequitur ex eo quod contra translationem in casu, pateat recursus ad S. Sedem, quae recursum remittet ad Metropolitam. Hinc Episcopus tenetur has causas *probare* coram S. Sede, vel coram Metropolita ad quem recursus remissus est a S. Sede. Si nulla causa gravis probatur, S. Congregatio de Prop. Fide in more habet translationem cassare.[3]

**402.** Et sane ex generali juris principio, ubi lex causam

[1] Pierantonelli, p. 109.

[2] Folium Secretarii S. C. C. in Port. et S. Ruf. 14 Feb. 1846; Causae selectae, p. 831.

[3] Cf. De Angelis, l. i. t. 28, n. 7.

requirit, ut in casu translationis de qua loquimur, causa non praesumitur, sed est probanda. Hinc, uti aut Leurenius,[1] non defertur assertioni Episcopi seu Ordinarii translationem auctorizantis, sed debet de causa positive constare ex processu desuper facto. Non tamen requiritur processus ille canonicus, qui in Instr. S. C. de P. F. *Cum Magnopere* praescribitur, sed sufficit simplex processus seu cognitio causae, cujus notitiam Ordinarius servari curet.[2]

**403.** *Quaer.* Utrum licite ab una parochia in aliam transferri possint sacerdotes moribus depravati?

*Resp.* Praemittendum: Supra diximus nunquam licere *promovere* (*to appoint*) *indignum.* Porro sacerdos moribus depravatus est certe indignus, et proinde etiam videtur quod non possit curae animarum praefici ullo modo, etiam per translationem ad aliam parochiam.

**404.** Hisce non obtantibus, sic resolvenda quaestio videtur: (*a*) Vel horum sacerdotum depravatio ignota est in nova paroecia ad quam transferuntur, et spes est fundata futurum ut ad meliorem frugem redeant, et non amplius scandalum praebeant fidelibus; et tunc licite transferri possunt a parochia in qua vitiis indulgebant in alteram parochiam quam meliori vita sperantur aedificaturi. (*b*) Vel hujusmodi spes non habetur, aut etiam eorum perversio ita palam innotescit, ut diffamati sint in tota dioecesi, et tunc non est licitum illos transferre ad novas paroecias.

**405.** Unde si adsit necessitas illos a suis officiis removendi, non amplius curae animarum debent praeponi, nisi per veram et publicam conversionem bonam famam prius recuperaverint. Sed tunc meliori quo potuerit modo, eorum indigentiae est providendum.[3] (Nostrum *Elements,* vol. I. n. 377.)

**406.** *Quaer.* Quo instanti, in casu translationis, cesset jurisdictio in priori dioecesi, paroecia vel officio?

*Resp.* Vide nostrum *Elements,* vol. I. n. 397.

**407.** *Quaer.* Quousque translatus, sive sit Episcopus, sive

[1] For. Benef. P. iii. q. 855, 951.
[2] Cf. S. C. de P. F. 20 Maii 1887.
[3] Craiss. Man. n. 488.

parochus, fructus ac reditus (*income*) Ecclesiae a qua discedit, possit percipere?

*Resp.* Vide nostrum *Elements,* l. c. n. 398.

**408.** *Quaer.* Ad quos pertineant reditus officii, tempore vacationis?

*Resp.* Vide nostrum *Elements,* l. c. n. 399.

**409.** *Quaer.* Quomodo reditus officii sint dividendi inter personam translatam et ejus successorem?

*Resp.* Vide nostrum *Elements,* l. c. n. 400.

## ART. IV.

### PRIVATIO OFFICII.

(*Absolute Removal or Dismissal from Office.*)

### § 1. Quid sit Privatio Officii.

(*What is meant by Dismissal from Office.*)

**410.** *Quaer.* Quid sit privatio officii?

*Resp.* Privatio est poena ecclesiastica seu canonica, qua quis removetur absolute ab officio vel dignitate ecclesiastica prius rite obtenta.[1] Dicitur *poena ecclesiastica;* nam alicui officium ecclesiasticum, et proinde etiam honorem, sustentationem congruam, necnon caetera emolumenta officio adnexa, adimere, profecto *maximum* illi *dolorem, tristitiam et moerorem* affert. Hinc, omnibus fatentibus, privatio est *poena,* et quidem poena *gravissima.*[2] (Nostrum *Elements,* vol. III. n. 1809.)

**411.** Dicitur secundo *removetur absolute;* et sic differt a *translatione.* Siquidem per translationem etiam coactam privatur quidem aliquis suo officio, attamen simul etiam novum obtinet; dum econtra per privationem, quis officium amittit quin aliud adipiscatur.

**412.** Dicitur etiam *officio prius obtento;* nam per privationem clericus amittit quidem officium quod possidet, non ta-

[1] Reiff. lib. 3, t. 37, n. 21.

[2] Leur. For. Benef. p. iii. q. 169; Card. de Luca, de Benef. disc. 35, n. 10.

men inhabilis efficitur ad alia officia ecclesiastica in futurum obtinenda. Et sic differt privatio a depositione et degradatione. Per depositionem et degradationem privatur quis *perpetuo* officiis ecclesiasticis, et sic inhabilis fit ad officia in futurum adipiscenda. (Nostrum *Elements*, vol. I. n. 401; vol. III. n. 1807–1814.)

**413.** Ad meliorem rei intelligentiam, hic opportunum videtur annotare officia ecclesiastica, ex lege communi, esse in perpetuum, seu ad vitam beneficiati conferenda.[1] Et sane ab ipsis antiquissimis Ecclesiae temporibus, nemo ordinabatur, nisi certae adscriberetur Ecclesiae, cui *perpetuo* id est, inamovibiliter esset addictus.[2] Ast hodiernis temporibus, in nonnullis locis quandoque accidit ut legi huic generali derogetur per Pontificiam dispensationem sive expressam sive tacitam, per conditiones a fundatore officii appositas, vel etiam per statum missionis, ita ut quaedam officia conferantur ad beneplacitum, non vero ad vitam.

**414.** Hinc dantur hodie duplicis generis officia: (*a*) *inamovibilia*, id est, illa quae in perpetuum conferuntur; (*b*) *amovibilia*, sive ea quae ad beneplacitum conferuntur. Caeterum cum Schmalzgrueber hic animadvertendum est quod licet officia amovibilia ad nutum auferibilia sint, nunquam tamen conferuntur pro certo et determinato tempore, sed pro indeterminato, *ac proinde de se perpetuo;* nam tempus incertum pro perpetuo quodammodo habetur.[3] Videamus proinde quomodo officia tum amovibilia tum inamovibilia a clericis auferri possint.

## § 2. Privatio Officiorum Inamovibilium.

(*Dismissal from Offices whose Incumbents are irremovable.*)

**415.** Inter officia inamovibilia hodie annumerantur praecipue officium Episcoporum, canonicorum et parochorum; inter officia amovibilia recensetur praesertim officium rectorum in Gallia et Belgio, qui dicuntur succursalistae, et rectorum illa-

[1] Soglia, vol. 2, p. 191.
[2] S. C. de P. F. Instr. de tit. Ord. 27 Apr. 1871.
[3] Schmalzg. l. iii. t. 5, n. 75.

rum missionum, tum in Anglia, tum in hisce Statibus Unitis, tum in aliis locis, quae inamovibilitatis dote non sunt decoratae.

### I. Remotio definitiva Episcoporum.

(*Dismissal of Bishops.*)

**416.** *Quaer.* A quo et ob quas causas Episcopi priventur munere et officio Episcopali?

*Resp.* 1° Privatio seu depositio Episcoporum a solo Romano Pontifice hodie fieri potest. Nam praetermissa priorum temporum disciplina, certum est, privationem praefatam impraesentiarum Summo Pontifici exclusive esse reservatam. Et merito quidem. Nam solus Papa est superior, pleno jure, et proinde iudex ordinarius Episcoporum, vi sui primatus seu supremae jurisdictionis in universam Ecclesiam.

**417.** 2° Episcopi regulariter amoveri nequeunt a Summo Pontifice nisi (*a*) ob crimina majora et graviora, (*b*) et per processum judicialem. Dicitur *regulariter;* quia certum est, Episcopos posse quandoque, etiamsi nullius criminis sint rei, removeri a Papa, propter gravissimas et extraordinarias causas, prout reapse contigit in Gallia, tempore Concordati 1801.

**418.** 3° Quoad modum instituendi seu conficiendi processum judicialem (*the trial*), antequam deveniatur ad privationem, haec sufficiat annotare: (*a*) Si causa Romae ventilatur, id est, si processus Romae instituitur, debet S. Pontifex, ex Concilio Tridentino,[1] *per seipsum* causam cognoscere ac determinare. Potest tamen Pontifex, de plenitudine suae potestatis, huic legi Tridentinae derogare, et proinde has causas delegatis judicibus Curiae Romanae cognoscendas ac dirimendas committere. Et re quidem vera, hodie tum S. C. EE. et RR., tum S. C. de P. F. pro locis missionum, solent ex delegatione Pontificis, causas criminales majores Episcoporum expedire, facto dumtaxat verbo cum Sanctissimo. Nonnumquam etiam solet Papa has causas delegare speciali Commissioni Cardinalium et Praelatorum, prout reapse factum est, hisce temporibus, a Leone XIII. feliciter regnante, in causa Episcopi Tornacensis, in Belgio.

[1] Sess. 24, c. 5, de Ref.

**419.** (*b*) Si vero necesse sit processum extra Romanam Curiam instruere—v.g. quia sufficientes probationes aliter obtineri nequeunt—non aliis causam committere debet S. Pontifex, ex Concilio Tridentino,[1] quam Metropolitanis aut Episcopis: et his judicibus delegatis nihil aliud committendum est, quam ut solam facti instructionem sumant, processumque conficiant, quem statim ad Pontificem transmittent, reservata eidem Sanctissimo definitiva sententia. Potest tamen etiam huic legi Tridentinae S. Pontifex derogare, et proinde has Episcoporum causas extra Curiam aliis judicibus committere quam Metropolitanis aut Episcopis.[2] (Nostrum *Elements*, vol. I. n. 404–406.)

## II. Remotio definitiva Canonicorum; necnon Consultorum Episcopi in Statibus Unitis.

(*Dismissal of Canons, and of Bishop's Consultors in the United States.*)

**420.** *Quaer.* Quomodo canonici suo officio priventur?

*Resp.* Canonicatus est officium stabile in jure expressum. Proin qui illud legitime assecutus est, inamovibilis est.[3] Hinc canonici removeri nequeunt ab officio canonici, nisi (*a*) ob culpam, et quidem in jure expressam, (*b*) et ordine judiciario servato, quemadmodum diximus supra de Episcopis, et mox dicemus de parochis.[4] (Nostrum *Elements*, vol. I. n. 406.)

**421.** *Quaer.* Quomodo amoveantur Consultores dioecesani apud nos?

*Resp.* Nondum habentur capitula Cathedralia in hisce Statibus. Eorum tamen loco, instituantur necesse est in unaquaque dioecesi Consultores dioecesani, numero quidem sex, aut quatuor, aut saltem duo.[5] Hi Consultores eliguntur *ad triennium,* non vero ad vitam.[6] Elapso proinde hoc triennio, eorum officium ipso facto, expirat, praeterquam in casu quo triennium hoc expirare contigerit tempore vacationis sedis

[1] Sess. 24, c. 5, de Ref.
[2] Bouix, de Episc. vol. i. p. 329.
[3] De Brab. n. 407.
[4] Prael. S. Sulp. n. 419; Bouix, de Capit. p. 137.
[5] Conc. Pl. Balt. III. n. 18.
[6] Ib. n. 21.

episcopalis.[1] Triennio autem nondum elapso, nullus eorum invitus removeri potest nisi (*a*) ex legitima et justa causa, (*b*) et de consilio caeterorum Consultorum.[2]

**422.** Quacnam autem sint causae justae et legitimae, sic habetur determinatum a Concilio Plenario Baltimorensi III.: "Justa autem aderit causa, si cb senectutem, infirmitatem et similia ad Consultoris partes obeundas inhabilis effectus fuerit, aut graviter delinquendo munere suo honorifico indignum sese reddiderit, vel propria culpa notabile passus sit famae detrimentum."[3] (Nostrum *Elements*, vol. I. p. 469, *editio sexta*.)

### III. Remotio definitiva Parochi inamoviblis.

### (*Dismissal of irremovable Parish Priests.*)

**423.** Juxta communem Ecclesiae legem, regimen et cura animarum, seu officium procurandi aeternam salutem fidelium in aliquo districtu seu loco, sacerdotibus committendum est non ad tempus seu arbitrium Superioris, sed in perpetuum, id est, ad vitam. Aliis verbis, spectato jure communi, cura animarum debet exerceri a rectoribus qui sint inamovibiles.

Dicitur *juxta communem legem.* Nam ex S. Pontificis dispensatione, expressa vel tacita, quae *tolerationis potiusquam approbationis* naturam praesefert, dantur hodie in nonnullis regionibus, praesertim in locis missionum, rectores paroeciarum et missionum, qui instituuntur ad beneplacitum et proinde censentur amovibiles. Hinc duae sunt classes rectorum seu parochorum etiam in hisce Statibus Foederatis; (*a*) inamovibiles; (*b*) amovibiles. De privatione utriusque classis nunc breviter disseremus.

**424.** *Quaer.* Ob quas causas et quomodo possint parochi proprie dicti, id est, parochi canonici et inamovibiles suis paroeciis privari?

*Resp.* 1° Ob crimina, 2° graviora, 3° in jure expressa, 4° et per processum canonicum. Proinde tota quaestio ad *causas* et ad *formam* privationis commode reduci potest. Primo de causis, postea de forma verba faciemus.

[1] Conc. Pl. Balt. III. n. 21. [2] Ib.
[3] Conc. Pl. Balt. III. n. 21.

### QUAESTIO I. CAUSAE PRIVATIONIS.

(*Causes of Dismissal.*)

**425.** *Quaer.* Quaenam sint causae ob quas parochus proprie dictus a sua paroecia definitive removeri possit?

*Resp.* Regulariter loquendo, poena privationis imponitur solummodo propter crimina, uti mox diximus. Dicitur *regulariter loquendo:* quia secundum sacros canones, privatio aliquando incurritur, et quidem ipso jure, ob causas alias quae crimina non sunt. Istae causae sunt: 1° Si quis Rector aliud officium incompatibile assecutus est; 2° Si parochus religionem ingreditur, et solemnem professionem emisit;[1] 3° Si clericus nondum sacerdos Ecclesiam paroecialem est adeptus, et intra annum sacerdotio initiari neglexit. Alias hujusmodi causas, vide apud Reiffenstuel.[2]

**426.** Porro omnes hae causae, quae crimina non constituunt, in jure exprimuntur. Nam, uti jam diximus, rector perpetuus a sua paroecia amoveri nequit nisi ob causam *canonicam:* id est, nonnisi ob causam in jure canonico expressam.

**427.** Extra hos casus non criminales, qui omnes in jure canonico accurate recensentur, parochus removeri a sua paroecia definitive nequit, nisi (*a*) ob crimina, (*b*) graviora, (*c*) in jure communi expresse enumerata, uti supra vidimus. Et sane, privatio seu remotio a paroecia est *poena,* et quidem poena *gravissima,* et aequiparatur a Canonistis *poenae mortis.* En verba cl. Card. De Luca:[3] "Privatio dicitur importare *poenam gravissimam* . . . quae in jure ordinario dicitur *assimilata poenae mortis* in temporalibus, *cum sit mors civilis.*"[4] Et revera, quemadmodum mors omnia solvit, hominemque omnibus naturalis hujus vitae exspoliat bonis, sic etiam remotio definitiva clerico bona maxima adimit vitae socialis et civilis.

**428.** Siquidem omni officio et praesertim officio tam honorifico uti est officium rectoris animarum, adnectitur tum honor, auctoritas, et hominum existimatio, tum sustentatio congrua aliaque emolumenta. Quare privatio officii, et per consequens

[1] Nostrum *Elements,* vol. III. n. 1816.
[2] Lib. 3, t. 5, n. 343.
[3] L. 12, de Benef. disc. 35, n. 10; Disc. 75, n. 4.
[4] Leur. For. Benef. P. iii. q. 169, n. 2.

privatio horum omnium bonorum in maximum cedit amoti infamiam, dedecus et praejudicium. Privatio proinde est poena gravissima. Quapropter infligenda non est (*a*) nisi ob culpam, (*b*) et quidem ob culpam quae ita sit gravis, ut talem promereatur poenam, (*c*) et sit in jure generali expressa.

**429.** *Quaer.* Quaenam sint crimina quibus, in jure communi, annexa est poena privationis parochiae?

*Resp.* Duplici modo incurritur privatio ob causam seu crimen in jure contentum, nempe (*a*) ipso jure, (*b*) per sententiam. Delicta autem quae vel ipso jure, vel nonnisi per sententiam judicis inducunt privationem videri possunt in nostro *Elements*, vol. I. n. 411–414.

**430.** Hic solum notandum est quod nullum crimen inducat privationem ipso jure, nisi istud reperiatur jure expressum.[1] Imo juxta sententiam communiorem, privatio imponi nequit per sententiam nisi ob delicta quae in jure habentur.[2] Sunt tamen qui contendunt privationem imponi posse per sententiam, non solum propter delicta in jure expressa, verum etiam propter delicta *quae sunt similia* expressis in jure, quia de similibus ad similia est procedendum.[3]

### QUAESTIO II. FORMA PRIVATIONIS.

(*Mode of Removal.*)

**431.** *Quaer.* Quae forma sit adhibenda in privatione imponenda?

*Resp.* Diximus supra privationem imponi non posse nisi *per processum canonicum.* Distinguendum tamen est inter privationem quae ipso jure, et illam quae per sententiam infligitur. Quando privatio incurritur ipso jure,—id est, quando rector committit crimen cui annectitur ipso jure privatio—necessaria non est sententia judicis *ad poenam damnans,* cum a jure ipso infligatur; sed necessaria est, nisi crimen tam notorium sit ut nullo modo denegari possit,[4] sententia *declarans* crimen fuisse commissum. Antequam hanc sententiam

[1] Leur. For. Benef. P. iii. q. 170.

[2] Nostrum *Elements*, vol. III. n. 1823.

[3] Leur. l. c. q. 169, n. 1.

[4] Nostrum *New Procedure,* n. 97, sq.

declaratoriam profert, tenetur iudex reum citare ut sese defendat. Aliis verbis iudex non potest, excepto casu criminis notorii, pronunciare sententiam declaratoriam criminis commissi, nisi postquam processum canonicum criminalem instruxerit, et ex hoc processu juridice constet per probationes legales, reum crimen commisisse.

**432.** Si privatio imponitur *per sententiam,* requiritur (*a*) processus canonicus, (*b*) et sententia *condemnatoria,* seu sententia ad poenam damnans; siquidem quamvis in hoc casu poena sit a jure determinata, ab ipso tamen non imponitur, sed relinquitur imponenda a judice.

**433.** Juxta communem Ecclesiae legem, processus in casu debet esse solemnis (*a formal trial*) non vero *summarius.*[1] Attamen, inspectis peculiaribus hujus aevi conditionibus, S. C. EE. et RR. per Instructionem 11 Junii 1880, indulsit ut processus oeconomicus adhiberetur in illis casibus Curiisque, in quibus solemnes processus, aut adhiberi nequeant, aut non expedire videantur.[2]

### IV. Remotio definitiva Rectorum inamovibilium apud Nos.
### (*Dismissal of our irremovable Rectors.*)

**434.** Juxta *schema* Romae confectum in collationibus inter Cardinales S. C. de P. F. et Archiepiscopos hujus regionis habitis anno 1883, *Concilium Plenarium Baltimorense Tertium,* n. 35, decrevit: "Pro nunc instituantur in singulis dioecesibus rectores missionarii tali numero, ut inter omnes dioeceseos rectores missionarios *decimus quisque* sit inamovibilis." Hinc duplex habetur impraesentiarum rectorum classis apud nos: (*a*) alii instituendi sunt inamovibiles—videlicet decimus quisque; (*b*) caeteri vero non sunt inamovibiles. Primo de privatione rectorum primae classis, postea secundae classis agemus.

**435.** *Quaer.* Ob quas causas et qua forma rectores inamovibiles apud nos definitive removeri possint?

*Resp.* Rector missionarius permanenter institutus seu inamovibilis, a sua missione definitive removeri non poterit, nisi

[1] Nostrum *Elements,* vol. II. n. 1275.

[2] Instr. S. C. EE. et RR. 11 Junii 1880, Art. ix.

(*a*) ob *causam canonicam*, (*b*) et tam in remediis *praeventivis* quam *repressivis* servata forma procedendi juxta normam Instructionis S. Congr. de Prop. Fide, quae incipit *Cum Magnopere.*[1] Ex his patet quod nostri rectores inamovibiles jure inamovibilitatis eodem modo gaudent ac parochi proprie dicti.[2]

**436.** Dicitur *nisi ob causam canonicam;* id est, nisi in casibus in jure canonico seu jure communi expressis. Has autem causas supra jam indicavimus, et proinde illas de novo hic repetere necesse non est. Ad has causas in jure communi expressas, septem aliae causae, pro praesenti rerum nostrarum conditione, pertinere declarantur a *Concilio Plenario Baltimorensi III.* Has causas vide in isto Concilio, n. 38.

**437.** Dicitur insuper, *et tam in remediis praeventivis quam repressivis servata forma procedendi, etc.;* aliis verbis, privatio infligi nequit nisi per *processum canonicum* in Instructione praescriptum. Nam privatio est *poena proprie dicta,* id est poena *repressiva.*

**438.** Dicitur etiam *et tam in remediis praeventivis;* haec verba clare innuunt moderamen jure communi praescriptum in poenarum gradu esse servandum.[3] Aliis verbis, antequam ad poenam gravissimam privationis deveniatur, necesse est ut alia remedia leviora, sive sint praeventiva—v.g. exercitia spiritualia, sive repressiva, v.g. suspensiones—adhibeantur, et ad privationem tunc solum procedatur, quando mitiora remedia nullum sortita sunt effectum.[4] Liquet proinde rectorem inamovibilem apud nos amoveri non posse (*a*) nisi propter grave crimen (*b*) in jure communi et Conc. Pl. Balt. III., expressum; (*c*) et per processum canonicum.

### V. Remotio definitiva Rectoris amovibilis etiam in Unitis Statibus.

(*Dismissal of Removable Rectors also in the United States.*)

**439.** *Quaer.* An et qua lege cura seu regimen animarum exerceri possit per rectores amovibiles?

[1] Conc. Pl. Balt. III. n. 38.
[2] Nostrum *Elements,* vol. I. n. 409, *editio sexta.*
[3] Nostrum *Elements,* vol. III. n. 1837 sq.
[4] Cf. Prael. S. Sulp. n. 833.

*Resp.* Juxta jus commune Ecclesiae, quod, seclusa Pontificia dispensatione, expressa vel tacita, ubique adhuc vim obtinet, cura animarum (*the care and government of souls*), seu officium parochi, vel munus procurandi aeternam fidelium salutem in aliquo districtu seu loco, exerceri debet per rectores *perpetuos*, id est, per rectores qui ad vitam instituuntur. et qui proinde sunt inamovibiles.[1]

**440.** Haec autem lex non solum sanae rationi et diuturnae experientiae, verum et indoli, characteri et naturae ipsius officii pastoralis seu curatoris animarum consonat. Nam verum quidem est quod absolute loquendo, munera quae curae animarum adnectuntur, satis bene adimpleri aliquando possint per rectores amovibiles. Attamen nemo non videt hanc curam et regimen—munus omnino arduum et maximi momenti —*melius et perfectius* exercendum fore per rectores qui sunt inamovibiles, et qui proinde sunt *patres, sponsi,* et veri *pastores* gregis sibi commissi, quam per rectores qui ad arbitrium superioris a suo grege amoveri possunt, et qui proinde non sunt proprie loquendo, patres, sponsi, et veri pastores populi sibi commissi.[2]

**441.** Hoc etiam sanae rationi apprime convenit. Nam homines natura ita constituuntur ut, teste etiam diuturna experientia, libentius et melius curam gerant rei alicujus quae ad illos pertinet et proinde ab illis auferri nequit, quam rei alienae quae illis ad tempus in curam traditur, et quae illis ad nutum alterius adimi potest.

**442.** Diximus supra *juxta jus commune;* siquidem exceptionaliter et propter peculiaria rerum adjuncta,[3] exercetur hodie ex S. Pontificis dispensatione sive tacita, sive expressa, in aliquibus regionibus, praesertim in locis missionum, cura animarum, vel in totum vel ex parte, per rectores qui non sunt perpetui. Quae cum ita sint, impraesentiarum, tum in Gallia, Belgio et Anglia, tum etiam in hisce Statibus Foederatis,

[1] Cap. 30, de Praeb. (iii. 5); cap. unic. de cap. mon. in 6° (iii. 18); Conc. Trid. sess. 7, c. 7, de Ref.; sess. 24, c. 13, de Ref,

[2] Nostrum *Elements*, vol. I. n. 415, 643, *editio sexta.*

[3] Potest enim S. Pontifex derogare juri communi.

duae existunt classes Rectorum. Prima classis est illorum qui sunt inamovibiles; secunda illorum qui amovibiles sunt.

**443.** *Quaer.* Ob quas causas et qua forma, definitive removeri possint apud nos rectores qui dicuntur amovibiles?

*Resp.* Nonnisi (*a*) in poenam criminis vel reatus disciplinaris, (*b*) et per processum canonicum. Id constat ex nuperrimo decreto S. C. de Prop. Fide, 20 Maii 1887, quod sic se habet: *In casibus remotionis peragendae, seu privationis totalis ab officio Rectoris* (*ubi de amovibilibus sermo sit*), *in poenam criminis vel reatus disciplinaris, canonicus processus juxta praefatae Instructionis "Cum Magnopere" et Concilii III. Plenarii decreta confici debet.*[1]

Notandum tamen quod sicut rector inamovibilis, ita a fortiori poterit rector amovibilis qui compertus est permanenter inhabilis *etiam absque sua culpa,* ad missionem administrandam, invitus amoveri si sponte renuntiare recuset.[2]

**444.** Praefatum S. Congregationis Decretum tum litterae et spiritui sacrorum canonum, tum constanti Sedis Apostolicae praxi, tum denique ipsi legi naturali apprime congruit. Et sane sacri canones expresse et dilucide statuunt, nullum clericum, licet amovibilem, a suo gradu vel officio, praesertim quando cura animarum huic officio est adnexum, removeri posse,[3] *nisi graviter delinquendo munere suo sese indignum reddiderit.* Sic jam ab antiquissimis Ecclesiae temporibus, S. Pontifex Gregorius decrevit: "Satis perversum et contra ecclesiasticam probatur esse censuram, ut . . . suis quis privetur officiis, *quem sua culpa vel facinus, ab officii quo fungitur gradu non dejicit.*"[4] Idem Pontifex alio in loco statuit: "Quam (Ecclesiam) si juste adeptus fuerit (presbyter), *hanc non nisi gravi culpa amittat.*"[5]

**445.** Hoc autem juris principium constanti fulcitur praxi S. Sedis. Nam ut ait Santi,[6] si sermo sit de clericis prae-

[1] Totum hoc decretum nobis benigne ab Eminentissimo et Reverendissimo Card. Gibbons communicatum, reperies in nostro *New Procedure*, p. 297, *editio secunda.*

[2] Cf. Conc. Pl. Balt. III. n. 38. vii.

[3] Nostrum *Elements*, vol. I. n. 418, *editio sexta.*

[4] Can. 7, d. 56; Glossa in h. c.

[5] Can. 38, c. 16, q. 7; ib. Glossa, v. *nisi gravi.*

[6] Lib. i. t. 28, n. 12.

positis alicui officio de se perpetuo, v.g. curae animarum, sub conditione amovibilitatis ad nutum, *praxis Sedis Apostolicae est* ut remotio non sustineatur, si fiat absque gravi et sufficienti causa.

**446.** Demum praefatum decretum S. Congregationis nititur ipsa lege naturali. Nam remotio rectoris, licet amovibilis, est privatio officii maxime honorifici, et per consequens, etiam honoris, existimationis, observantiae et congruae sustentationis huic officio adnexae.[1] Proinde haec remotio redundat in gravissimum praejudicium et damnum rectoris amoti, scilicet, in honoris, famae, et temporalium emolumentorum jacturam.[2] Hinc merito censetur esse *poena,* et quidem *gravissima.* Porro ipsa lex naturalis, non secus ac positiva ecclesiae lex,[3] dictat neminem absque culpa esse puniendum.

**447.** Liquet proinde potestatem amovendi, ut aiunt, ad nutum, non esse potestatem *arbitrariam* et *absolutam.* Abhorret enim Ecclesia in suo regimine ab arbitrario, et ordinatam exigit in omnibus disciplinam. Hinc amovibilitas, in casu, sumitur in oppositione ad perpetuitatem seu inamovibilitatem. Rector enim inamovibilis non potest removeri *nisi ex causa a legibus expressa,* dum econtra rector, qui est amovibilis, non potest quidem removeri sine gravi causa; attamen potest removeri etiam pro causis gravibus, quae non sunt in jure expressae.[4]

## ART. V.

### QUIBUS MODIS JURISDICTIO "ORDINARIA" RESTRINGATUR.

(*How Ordinary Jurisdiction is restricted.*)

**448.** Discussis modis quibus jurisdictio *omnino amittitur,* videamus modo qua ratione haec eadem jurisdictio tum *suspendatur,* tum *restringatur.* Porro jurisdictio Episcoporum et aliorum *suspenditur* vel *ligatur* per *censuras* et *irregulari-*

[1] Nostrum *The New Procedure,* n. 581, sq.
[2] Nostrum *Elements,* vol. III. n. 1846.
[3] Reg. 23, de reg. jur. in 6°.
[4] Santi, l. c. n. 12.

*tates; restringitur* vero per *exemptiones* et *reservationes.* De censuris et irregularitatibus agitur inferius, et etiam in nostro *Elements*, vol. III.; de reservationibus tractatur in theologia morali. Hic proinde de exemptionibus tantum sermo erit.

## § 1. Quid sit Exemptio?

(*What is meant by Exemptions?*)

**449.** Per exemptionem, in genere, hic intelligitur privilegium quo persona aut locus eximitur vel a jurisdictione Episcopi in cujus dioecesi degit, vel a potestate parochi in cujus paroecia vivit. Exemptiones primum in favorem regularium concessae sunt; postea vero ad alia etiam instituta—v.g. ad quaedam capitula et oratoria—extensae sunt.[1] Hic autem praecipue de regularium exemptionibus tum a jurisdictione Episcopi, tum a potestate parochi, loquimur.

## § 2. Quid sit Exemptio Regularium a Jurisdictione Episcopi?

(*How Regulars are free from the Authority of Bishops.*)

**450.** *Quaer.* Quid sit exemptio regularium a jurisdictione Episcopi?

*Resp.* Est privilegium per quod aliqua communitas regularis existens intra territorium seu dioecesim alicujus Episcopi, ab illius jurisdictione et auctoritate subtrahitur. Dicitur *privilegium;* porro privilegium est lex privata *contra vel praeter jus* aliquid concedens.[2] Et sane, olim spectato jure communi, omnia monasteria fuerunt subjecta Episcopis, in quorum dioecesi sita erant.[3] Principium est enim generale, omnia loca et omnes personas alicujus dioecesis, sub Episcopi potestate esse, exceptis quae ab ejus auctoritate eximuntur sive ex jure communi sive ex decreto S. Pontificis.

**451.** Jam vero ex hodierno jure communi,[4] ordines regulares sunt exempti ab Episcoporum auctoritate, atque subsunt om-

[1] Phillips, comp. § 149.
[2] Reiff. l. 5, t. 33, n. 2.
[3] Can. 16, 17, 18, c. 18, q. 2.
[4] Conc. Trid. sess. 25, c. 8, de Reg.

nidae jurisdictioni suorum praelatorum regularium.[1] Hinc praelati regulares in suos subditos jurisdictionem quasi-episcopalem obtinent.[2] Ex his patet exemptionem hodie regularibus competere non tam per modum *privilegii,* quam de jure communi.

**452.** Diximus *ordines regulares;* porro vocabulis *ordines regulares* veniunt solummodo religiosi ordines qui *vota solemnia* emittunt. Attamen hodie non pauca existunt instituta religiosa seu congregationes religiosae quae quamvis vel simplicia tantum, vel etiam nulla habeant vota, tamen exemptae sunt ab Episcoporum auctoritate per *speciale* privilegium ipsis a Romano Pontifice concessum.[3]

**453.** *Quaer.* Quoadusque se porrigat exemptio regularium?

*Resp.* Regulares, generatim loquendo, vi exemptionis, ab Episcopi jurisdictione, omni ex parte eximuntur. Dicitur *generatim loquendo;* siquidem ex hodierno jure, exemptio haec non est absoluta, sed limitibus quibusdam circumscripta, ita ut clerus regularis in multis subsit episcopali potestati sive ordinariae sive delegatae.[4] Sic quando clerus regularis exercet curam animarum, seu praeficitur paroeciis vel missionibus, Episcopi jurisdictioni subjicitur in iis omnibus quae ad hanc curam spectant. Alii casus videri possunt in nostro *Elements,* vol. I. n. 426 sq.; in Ferraris, v. *regulares,* art. ii.

## § 3. Exemptio Regularium in Locis Missionum.

(*Independence or Exemption of Religious Communities in Missionary Countries.*)

**454.** *Quaer.* Utrum et quomodo regulares in locis missionum gaudeant privilegio exemptionis?

*Resp.* 1° Nullum potest esse dubium quin regulares, in locis missionum et proinde etiam in hac regione, habeant privilegium exemptionis, eodem modo ac in locis ubi communis Ecclesiae disciplina viget.

[1] Santi, l. 3, t. 36, n. 4.
[2] Cap. 3, de Priv. in 6°; Reiff. l. i. t. 31, n. 108.
[3] Nostrum *Elements*, vol. I. n. 425.
[4] Leo XIII. Const. Romanos Pontifices, § Ad regularium, 1881.

**455.** 2° Imo regulares in locis missionum exemptione hac gaudent in aliquibus casibus, ubi regulares commorantes in regionibus catholicis, illa privantur. Nam jure communi[1] constitutum est, ut domus, quae sodales religiosos *sex minimum* non capiant, in potestate Episcoporum esse omnino debeant. Porro religiosi sodales qui in Anglia, Scotia, in hisce Statibus Foederatis, et aliis similibus locis, missionum causa, consistunt, ut plurimum in privatis domibus *terni, bini,* et interdum *singuli* commorantur.

**456.** Jam vero S. Pontifex Leo XIII. in sua praeclara const. *Romanos Pontifices,* primum pro Anglia edita, et nunc ad hosce Status Foederatos extensa, declaravit: "Regulares qui in residentiis missionum commorantur, exemptos esse ab ordinarii jurisdictione, non secus ac regulares intra claustra viventes." Ratio autem hujus specialis privilegii exquirenda est in salutari ac nobilissimo ministerio quod a viris Apostolicis exercetur.[2] Cf. nostrum *Elements,* vol. I. n. 428.

## § 4. Exemptio Congregationum Religiosarum quae Solemnia Vota non emittunt.

(*Whether Religious who have no solemn Vows are free from Episcopal Authority.*)

**457.** *Quaer.* Utrum et quomodo instituta religiosa quae vel nulla vel simplicia tantum habeant vota, eximantur ab Episcopi jurisdictione?

*Resp.* Hujusmodi instituta, vel sunt dioecesana vel non. Porro sunt (*a*) *dioecesana* quando illorum constitutiones ab Ordinario tantum approbatae sunt, licet regulam, a S. Sede approbatam sequantur; (*b*) *non sunt dioecesana,* quando propriis reguntur constitutionibus a S. Sede approbatis, atque a suo superiore generali dependentiam habent.[3]

**458.** Jam vero instituta dioecesana dependent ab ordinario non solum quoad potestatem *jurisdictionis,* sive fori interni sive fori externi, verum etiam quoad potestatem *dominativam*

[1] Innoc. X. Const. *Instaurandae,* 15 Oct. 1652; Const. *Ut in parvis,* 10 Feb. 1654.

[2] Leo XIII. Const. cit.

[3] Conc. Pl. Balt. III. n. 92, 93.

seu *domesticam* (*domestic, household, paternal authority*), salvo tamen semper fine ad quem haec instituta ordinata sunt in sua fundatione, et ad quem constitutionibus ab Ordinario primitus approbatis diriguntur. Quod si hujusmodi instituta etiam in aliis dioecesibus domos aperiunt, tunc hae domus filiales, quoad internum regimen seu domesticam potestatem manent sub obedientia superioris vel superiorissae conventus primarii; quod potestatem vero jurisdictionis, subjacent Ordinario loci in quo sunt erectae.[1] (Nostrum *Elements*, vol. I. p. 211, ed. 6a.)

**459.** Instituta quae non sunt dioecesana, sive virorum sive foeminarum, eximuntur a potestate Ordinarii in iis quae respiciunt potestatem dominativam, non vero in iis quae spectant ad potestatem jurisdictionis, nisi ex speciali concessione S. Sedis privilegium exemptionis obtinuerint. Dicitur *nisi ex speciali*, etc.; porro, generatim loquendo, congregationes *virorum*, de quibus agitur, possident ex speciali indulto S. Sedis, exemptionem eodem modo ac regulares proprie dicti.

**460.** Caeterum, si inter Episcopos et regulares oriantur difficultates et controversiae, vel si quae generatim quoad regulares utriusque sexus inordinata praesules animadvertant, res ab his referenda esset ad Eminentissimum Praefectum S. C. de P. F. qui cum eorum superioribus negotium tractabit ac terminabit.[2]

## § 5. Exemptio Regularium et aliorum ab Auctoritate Parochi.

(*How Religious and others are withdrawn from the Authority of the Parish Priest.*)

**461.** Regula generalis est parochum auctoritatem parochialem habere in omnes utriusque sexus fideles, qui districtum suum seu parochiam incolunt, nisi vel a jure vel a consuetudine eximantur ab hac potestate.[3]

**462.** *Quaer.* Quinam sint ab hac jurisdictione exempti?

*Resp.* Religiosi, qui vel ex regula generali vel ex speciali

[1] Conc. Pl. Balt. III. n. 93.
[2] Conc. Pl. Balt. III. n. 91, 92.
[3] Cf. Conc. Trid. sess. 24, c. 13, de Ref.

concessione S. Sedis eximuntur a jurisdictione Episcopi, a fortiori subtrahuntur ab auctoritate parochi loci in quo sita est domus religiosa. Proinde non tenentur hi religiosi a parocho loci recipere Communionem Paschalem, Extremam Unctionem et Viaticum. Quoad religiosos sodales qui privilegium exemptionis non habent, vide nostrum *Elements*, vol. I. n. 431, 432, editio 6ª.

**463.** *Quaer.* An et quomodo confraternitates eximantur a jurisdictione parochi loci in quo erectae sunt?

*Resp.* Praemittendum est: 1. Agitur hic solummodo de confraternitatibus (*religious societies*) *legitime*, id est, *canonice* erectis. 2. Dictae legitime erectae confraternitates vel sunt erectae (*a*) in ecclesiis parochialibus, (*b*) vel in capellis seu oratoriis, tam publicis quam privatis adnexis parochialibus ecclesiis et ab iis dependentibus; (*c*) vel denique in ecclesiis seu oratoriis, tam publicis quam privatis, *sejunctis* tamen ab ecclesiis parochialibus.

**464.** Hisce praemissis, sic respondeo: Confraternitates quae in ecclesiis parochialibus erectae sunt,[1] pendent omnino a parocho, tam quoad functiones ecclesiasticas parochiales, quam quoad caetera jura parochialia; et proinde nullo modo eximuntur ab auctoritate parochi loci. Quoad confraternitates erectas extra ecclesias parochiales, vide S. C. R. 10 Dec. 1703.[2]

[1] In hisce Statibus Unitis, fere omnes confraternitates in Ecclesiis parochialibus eriguntur.

[2] Craisson, Man. n. 618.

# SECTIO II.

## DE PERSONIS QUATENUS JURISDICTIONEM ECCLESIASTICAM POSSIDENT, IN SPECIE.

(*Of Persons as possessed of Ecclesiastical Jurisdiction, in particular.*)

**465.** Post generalem tractationem de ecclesiastica jurisdictione, jam dicendum est de personis in quibus ea residet, deque gradu quo singulis competit. Nam potestas jurisdictionis, non secus ac potestas ordinis, *diversis gradibus,* non vero *aequali modo* inter personas ecclesiasticas Christi voluntate est distributa. Itaque S. Pontifex *supremum* possidet gradum jurisdictionis ; Cardinales, Episcopi aliique habent *inferiores gradus.* Ordiamur proinde a S. Pontifice.

---

# CAPUT I.

## DE ROMANO PONTIFICE.

(*The Roman Pontiff.*)

### ART. I.

### VERA NOTIO SUPREMAE POTESTATIS QUAE S. PONTIFICI COMPETIT.

(*Correct Idea of the Supreme Power of the Pope.*)

**466.** *Quaer.* Qualis sit potestas S. Pontificis ?

*Resp.* 1° Loquimur hic de potestate *jurisdictionis.* Nam potestas *ordinis* non est major in S. Pontifice quam in caeteris Episcopis.

**467.** 2° S. Pontifex habet jure divino plenam et supremam potestatem pascendi, regendi et gubernandi totam Ecclesiam. Hinc potestas haec suprema recte vocatur *primatus* (*supremacy*) non solum honoris, sed etiam jurisdictionis. Haec jurisdictio

Pontificia non solum est suprema, plena et universalis, verum etiam *ordinaria* (*ordinary, not merely delegated*) et *immediata* (*direct*).[1] Vide hac de re theologiam dogmaticam ; patet enim plura de Romani Pontificis jurisdictione ad theologiam dogmaticam spectare, quae proinde a nobis hic supponi debent.

**468.** *Quaer.* Qualis proinde sit forma ecclesiastici regiminis?

*Resp.* Ex dictis patet Ecclesiae regimen (*form of government of the church*) esse *monarchicum* (*monarchical*). Nam Monarchiae nomen designat summum imperium quod apud *unum* est.[2] Porro in Ecclesia summa potestas apud *unum Romanum Pontificem* est. Neque huic monarchiae repugnat potestas Episcoporum. Siquidem haec potestas, etiamsi non precaria et delegata, sed ordinaria, pendet tamen a Summo Pontifice. Christus enim cum episcopalem ordinem instituit, nullos distinxit fines dioecesium, quibus singuli Episcopi essent praeficiendi: idcirco ea distributio gregis fieri non potest, nisi auctoritate Romani Pontificis, qui universim Ecclesiis omnibus praefectus est. Accedit quod episcopalis potestatis *usus* seu *exercendae modus* judicio subest Romani Pontificis ; siquidem illi non minus fidelium quam pastorum cura commissa est.

**469.** Insuper monarchia ecclesiastica nullam temperationem accipere potest ex Concilio oecumenico. Nam Pontifex a Christo in persona B. Petri potestatem accepit regendi *totam* Ecclesiam, et proinde non solum singulas ecclesias et Episcopos *distributive*, verum etiam omnes ecclesias et Episcopos *collective*, id est, in unum collectos.[3] (Nostrum *Elements*, vol. I. n. 463.)

## ART. II.

### JURA S. PONTIFICIS, IN GENERE.

*(Powers and Rights of the Pope.)*

**470.** Hactenus quae sit vera notio Supremae Romani Pontificis potestatis, exposuimus ; nunc de peculiaribus quibusdam

[1] Conc. Vaticanum, sess. iv. cap. i., ii., iii.

[2] Devoti, Proleg. n. 19. [3] Devoti, l. c. n. 22, 23.

juribus et attributis Pontificis, quae ex suprema ejus potestate fluunt, disputemus.

**471.** *Quaer.* Quae sint jura S. Pontificis, in genere?

*Resp.* Romanus Pontifex, uti jam exposuimus, habet plenam et supremam, ordinariam et immediatam potestatem jurisdictionis in universam Ecclesiam, (*a*) non solum in rebus, quae ad *fidem et mores*, (*b*) sed etiam in iis quae ad *disciplinam* et *regimen* Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent.[1]

**472.** Dicitur *in rebus fidei et morum;* unde Pontifex jus habet *docendi* totam Ecclesiam.[2] Hinc est infallibilis, cum *ex Cathedra* loquitur, id est, (*a*) cum omnium christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens pro suprema sua Apostolica auctoritate doctrinam, (*b*) de fide vel moribus, (*c*) ab universa Ecclesia tenendam definit.[3]

**473.** Dicitur *ad disciplinam et regimen Ecclesiae;* unde sequitur Pontificem supremam habere potestatem *gubernandi* seu *regendi* totam Ecclesiam. Porro potestas suprema gubernandi comprehendit supremam auctoritatem (*a*) tum *legiferam*, seu leges ferendi, (*b*) tum *judiciariam*, seu causas dejudicandi, (*c*) tum *coactivam*, seu reos puniendi.[4]

**474.** Praetermissis iis quae ad potestatem docendi seu magisterii spectant, quippe quae enucleatius traduntur in praelectionibus theologiae dogmaticae, de praecipuis juribus Pontificiis, quae ex potestate gubernandi dimanant, hic disseremus. Proinde de S. Pontificis potestate legifera, judiciaria, coactiva et administrativa, diversis sub articulis nunc agemus.

## ART. III.

### S. PONTIFICIS POTESTAS LEGISLATIVA.

(*Legislative Power of the Pope.*)

**475.** *Quaer.* Qualis sit potestas legislativa S. Pontificis, in rebus disciplinae?

*Resp.* S. Pontifex habet (*a*) *plenam*, (*b*) *summam*, (*c*) et *universalem* potestatem condendi leges ecclesiasticas. Pollet

[1] Conc. Vaticanum, sess. 4, c 3.
[2] Nostrum *Elements*, vol. I. n. 467, 468.
[3] Conc. Vatican. sess. 4, c. 4. Cf. De Angelis, l. i. t. 31, n. 5, 6.
[4] Cf. Sanguineti, l. c. n. 322.

enim jurisdictione suprema et universali. Proinde potest condere leges (*a*) quae obligant *totam* Ecclesiam, (*b*) in *omnibus omnino rebus* quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae spectant; v.g. in iis quae respiciunt cultum divinum; vitam et honestatem clericorum; formas judiciorum; administrationem rerum temporalium Ecclesiae; jura et officia parochorum, Episcoporum.[1]

**476.** *Quaer.* Utrum S. Pontifex possit derogare legibus generalibus?

*Resp.* Distinguendum est inter (*a*) leges naturales, (*b*) divinas positivas, (*c*) et mere ecclesiasticas. Jam vero Romanus Pontifex relaxare potest omnem legem ecclesiasticam, sive illa ab ipsomet Pontifice, sive a praedecessoribus, sive a Concilio oecumenico sit lata vel consuetudine introducta. Nam legislator quicunque tam late dispensare valet, quam late patet jus legislationis ejus. Est enim axioma juris: *Cujus est legem condere, ejus etiam est illius obligationem remittere.* Hinc patet quod Romanus Pontifex *est supra canones;* aliis verbis, superior est quibuslibet canonibus humana tantum auctoritate constitutis.[2]

**477.** Ad leges naturales et divinas positivas quod spectat, non potest S. Pontifex eas mutare, abrogare, neque in iis dispensare. Hoc sequitur ex principiis mox allatis. Potest tamen hujusmodi leges *interpretari* seu declarare.[3] (Nostrum *Elements,* vol. I. n. 472, iii.)

## ART. IV.

### POTESTAS JUDICIARIA ET COACTIVA S. PONTIFICIS.

(*Judicial and Coercive Authority of the Pope.*)

**478.** *Quaer.* Qualem habeat potestatem judicialem S. Pontifex?

*Resp.* Cum Romanus Pontifex habet supremam, universalem et immediatam jurisdictionem, sequitur illum esse judi-

[1] Nostrum *Elements,* l. c. n. 470.

[2] Quando Papa in procedendo sese accommodat sacris canonibus dicitur procedere de *jure ordinario;* quando vero hos canones non servat, dicitur de *jure extraordinario* procedere.

[3] De Brab. n. 152.

cem competentem in omnibus omnino causis ad ecclesiasticum forum pertinentibus, et quidem tam in prima quam in ultima instantia. Proinde potest Pontifex, (*a*) in prima instantia omnes causas judicare ex toto orbe; ejus enim potestas est *immediata,* non tantum appellativa, et proinde *concurrit* cum omnibus judicibus ecclesiasticis primae instantiae. Hinc omnes possunt, in prima instantia, provocare ad tribunal S. Sedis.[1] (*b*) Potest etiam Papa omnes appellationes excipere ac dirimere ex toto orbe terrarum. Quapropter ab omnibus sententiis Ordinariorum potest ad ejus tribunal appellari vel provocari; ab ejus autem tribunali nequit ulterius appellari.[2]

**479.** *Quaer.* Qualis sit potestas coactiva S. Pontificis?

*Resp.* Tam late patet potestas coactiva Pontificis quam ejus potestas legifera et judiciaria. Proinde poenis ecclesiasticis animadvertere potest ubique terrarum in eos qui legibus Ecclesiae non obtemperant; Episcopos propter crimina episcopatu dejicere, etc.

## ART. V.

### DE JURE S. PONTIFICIS SIBI RESERVANDI CAUSAS MAJORES.

(*Right of the Pope to reserve to himself Matters of great Importance.*)

**480.** *Quaer.* Quae sit potestas S. Pontificis causas majores sibi reservandi?

*Resp.* Pro suprema et universali sua potestate in totam Ecclesiam, potest Summus Pontifex directe et immediate omnes mundi causas tractare ac dirimere. A fortiori potest *sibi soli et exclusive* reservare, et reapse sibi reservavit, jus tractandi ac decidendi, etiam in prima instantia, omnes res et causas quae sunt *gravioris momenti.* Porro causae et res possunt esse majoris momenti (*a*) vel *ex se* seu *ex sua natura:* tales sunt res quae spectant ad fidem, ad religionem, ad praecepta generalia morum et disciplinae; (*b*) vel ex *circumstantiis,* sive ex difficultatibus extraneis quibus res implexa est.[3]

[1] Cf. De Angelis, l. i. t. 31, n. 4.

[2] Pius IX. Const. *Ap. Sedis.*

[3] In *Concilio Vaticano,* plures Galliae Episcopi petierunt ut graviores et majores causae *a jure determinarentur.* Cf. Martin, Coll. p. 156.

**481.** Huic juri Pontificis respondet officium Episcoporum de omnibus causis alicujus momenti ad S. Sedem referendi.[1]

## ART. VI.

### POTESTAS PONTIFICIS RELATE AD EPISCOPOS.

(*Authority of the Pope over Bishops.*)

**482.** *Quaer.* Quae sit S. Pontificis potestas in Episcopos?

*Resp.* Quoniam S. Pontifici non solum agnorum, id est fidelium, sed et ovium, id est pastorum gubernatio,[2] totiusque Ecclesiae procuratio a Domino commissa est, curam et solicitudinem habere debet Episcoporum, qui particulares Ecclesias regunt. Quare praetermissa priorum temporum disciplina, solus Papa tum de jure tum de facto, hodie Episcopos (*a*) creat, id est, eligit ac confirmat; (*b*) transfert de una ad aliam Sedem; (*c*) dejicit propter crimina; (*d*) novas dioeceses erigit; (*e*) antiquas dividit; (*f*) vel in unum conjungit; (*g*) Episcopos totius mundi ad Concilium oecumenicum vocat, ei praesidet, illudque confirmat; (*h*) Episcopos ad Concilia Nationalia seu plenaria convocat; (*i*) absolutionem a certis censuris sibi soli reservat, ita ut Episcopi ab illis absolvere nequeant, absque Pontificiae delegatione.

## ART. VII.

### JUS RECIPIENDI RELATIONES AB EPISCOPIS.

(*Right of receiving Reports from Bishops.*)

**483.** His omnibus accedit jus relationes (*the right to demand from each Bishop a full account of his dioecese*) exigendi a singulis Episcopis totius orbis de statu suarum dioecesium. Hinc Episcopi tenentur infra certa temporis intervalla Romam venire (Visitatio SS. Liminum) ad hunc finem ut ibi de statu suarum ecclesiarum accurate referant.[3] Episcopi et Vicarii Apostolici horum Statuum Foederatorum tenentur non solum singulis decenniis Visitationem SS. LL. peragere, verum etiam

[1] Phillips, Comp. § 94. [2] S. Jo. xxi. 15, 16, 17.
[3] Sixtus V. Const. *Romanus Pontifex*, 20 Dec. 1585.

singulis quinquenniis scriptam relationem de statu dioecesis ad S. C. de P. F. transmittere.[1]

**484.** Jam vero nemo est qui non videt hoc jus relationes recipiendi dilucide in S. Pontificis suprema et universali contineri jurisdictione. Numquid enim posset Pontifex opportunas ferre leges pro variis dioecesibus, abusus corrigere, et curare ut sacri canones observentur, nisi optime et accurate perspectum haberet statum diversarum dioecesium? Porro qui habet jus ad finem, habet jus ad media.

## ART. VIII.

### JUS MITTENDI NUNTIOS ET DELEGATOS.

(*Right of the Pope to send Nuncios and Delegates.*)

**485.** S. Pontifex pollet auctoritate *ordinaria et immediata* gubernandi totam Ecclesiam. Hinc potest in toto orbe terrarum, vel per se *vel per alios a se deputatos* ea omnia exequi, quae Ecclesiae universalis aut particularis cujuscumque salus, utilitas aut necessitas postulat. Proinde potest in diversas mundi partes legatos, nuntios seu delegatos mittere, et illis potestatem demandare ut ibi suas vices obeant, eamque jurisdictionem exerceant, quam ipse per se si adesset, exerceret, eo vel magis quod plerumque res ita constitutae sint ut *personalem* praesentiam non raro exigant nuntii Apostolici.[2]

## ART. IX.

### JURA UTILIA ET HONORIFICA.

(*Rights of Utility and of Honor.*)

**486.** Jura utilia respiciunt praecipue jus exigendi **taxas**: jura vero honorifica honores Pontifici debitos.

#### § 1. JUS EXIGENDI TAXAS SEU SUBSIDIA.

(*Right to impose Contributions.*)

**487.** Ad Ecclesiam per totum orbem terrarum diffusam regendam, S. Pontifex necessario utitur pluribus officialibus et ministris, et varias expensas subire cogitur. Aequum pro-

[1] Conc. Pl. Balt. III. n. 15. [2] De Brab. n. 182.

inde est ut omnes fideles et clerici ad hujusmodi onera sustentanda media sappeditent. Hinc potest S. Pontifex optimo jure ab omnibus Catholicis, ubicumque existant, ea exigere subsidia quae necessaria sunt ad expensas suas solvendas. His autem subsidiis S. Pontifex indiget maxime hisce temporibus, in quibus spoliationem passa est S. Sedes bonis et opibus quibus antea fruebatur.

**488.** Inter hujusmodi taxas seu subsidia pro Romano Pontifice principem hodie locum obtinet obolus S. Petri (*Peter's Pence*), seu certa et moderata pecuniae summa quam singuli fideles quotannis S. Pontifici voluntarie solvunt.[1] Modus autem hunc obolum colligendi diversus est diversis in locis. Modus qui hisce in regionibus obtinet, sic describitur a Concilio Plenario Baltimorensi II. n. 48: "Statuimus ut in singulis horum Statuum ecclesiis, omnibus annis, fiant collectae, quarum summae . . . ab Ordinariis respectivis . . . ab Summum Pontificem mittantur."

## § 2. Denominationes et Insignia.

(*Titles and Insignia of the Popes.*)

**489.** Romanus Pontifex est Vicarius Christi in terris. Proinde ejus dignitas summa est ac suprema. Hinc ei maximus honor externus debetur. Hic autem (*a*) in certis denominationibus (*titles*), (*b*) insignibus (*insignia, badges of dignity*), (*c*) et variis obsequiis necnon observantiis S. Pontifici exhibitis (*and various other marks of honor*), exprimitur.

**490.** *Quaer.* Quibus denominationibus vocetur S. Pontifex?

*Resp.* Vocatur (*a*) *Papa*—vocabulum graecum, quod idem sonat latine ac *Pater;* (*b*) Maximus Pontifex, (*c*) Episcopus Episcoporum, (*d*) Summus vel Romanus Pontifex, (*e*) Sanctissimus Pater, (*f*) Sanctitas Tua. Ipse autem Pontifex se de-

[1] Huc spectant etiam annatae, seu certae pecuniae quantitates, aut certae pensiones, quae ex Episcopatuum, aliorumque Beneficiorum fructibus primi anni Romano Pontifici solvuntur. Non solvuntur in hac regione. (Cf. Soglia, vol. I. p. 245.)

mississime vocat *Servum Servorum* Dei, vel simpliciter *Episcopum.*[1]

**491.** *Quaer.* Quae sint insignia praecipua S. Pontificis?

*Resp.* 1. Pontifex ordinarie induitur subtana alba (*white cassock*), pileolo albo (*white skull-cap*) aut galero rubro (*red hat*). 2. In omnibus functionibus sacris mitram gestat. 3. In quibusdam solemnitatibus utitur *tiara,* id est mitra triplici corona ornata. 4. Baculo vero pastorali (*crosier*) non utitur, quia baculus curvus (*curved crosier*) significat limitatam et ab alio participatam potestatem. 5. In missarum solemniis *pallio semper* et *ubique* utitur. 6. Quocumque terrarum se conferat Papa, crux ante eum deferri debet.

Quoad varias observantias Pontifici debitas, vide Phillips, Comp. § 102.

## ART. X.

### ROMANUS PONTIFEX UT EPISCOPUS, METROPOLITANUS, ETC.

(*The Pope as Bishop, Metropolitan, etc.*)

**492.** S. Pontifex, praeter Summum Pontificatum quem habet, est etiam (*a*) Episcopus Urbis Romae, (*b*) Archiepiscopus et Metropolita Romanae Provinciae, quae hodie constat iis Episcopatibus, qui inter Capuam Pisanamque provinciam nulli Archiepiscopo subsunt; (*c*) Primas seu Exarcha Italiae, (*d*) et Patriarcha Occidentis. Proinde decreta quae in una ex his qualitatibus S. Pontifex edit, pro aliquo peculiari territorio, extra illud non obligant. Possunt tamen et debent, nisi quid obstat, pro regula et exemplo a caeteris Episcopis haberi et suscipi.[2]

## ART. XI.

### ROMANUS PONTIFEX UT PRINCEPS DITIONIS ECCLESIASTICAE.

(*The Roman Pontiff as Temporal Ruler of the Papal States.*)

**493.** Ab ineunte saeculo octavo, potestas civilis Romani Pontificis in magnam Italiae mediae partem, quae ex tunc ditio

[1] Phillips, Comp. § 102.
[2] Bened. XIV. De Syn. l. 11, c. 12, n. 6.

ecclesiastica (*States of the Church*), dicitur, crevit. Pippinus, Carolus Magnus aliique Imperatores hoc civili principatu agnito, illius fines, variis additis donationibus amplificarunt.

**494.** Hoc autem principatu, quem de jure nunquam amisit, de facto potitus est Romanus Pontifex per decem saecula, scilicet a saeculo octavo usque ad annum 1870. Die autem 20 Sept. 1870, Victor Emanuel, Sardiniae rex, patrimonium Petri occupavit atque Romam, urbem principalem atque residentialem novi regni sui Italiae declaravit.

**495.** Contra hanc invasionem et spoliationem, tum Pius IX., tum etiam Leo XIII.,[1] solemniter iterum atque iterum protestati sunt. Et merito. Nam, imprimis principatus civilis, ad Romanum Pontificem legitimis et justissimis titulis pertinet, videlicet, (*a*) decem saeculorum possessione, (*b*) libera populorum donatione, (*c*) principum munificentia et liberalitate. Insuper principatus ille mirifice tuetur dignitatem, libertatem et independentiam S. Pontificis, eamque omnibus manifestat.[2] Imo si quis historiam attente perlegerit, distincte percipiet hoc dominium temporale Pontificis, non solum bono Ecclesiae, sed etiam saecularium regnorum verti.[3] Hinc singulari divinae providentiae consilio factum est ut temporalem dominationem haberet S. Pontifex.

[1] Allocut. 23 Maii 1887.

[2] *Schema Concilii Vaticani, de Ecclesia Christi*, cap. xii. haec habet: "Singulari divinae providentiae Consilio factum est, ut Romana Ecclesia temporalem dominationem haberet: quo, Romanus Pontifex . . . *nulli principi subjectus*, supremam potestatem per universum orbem *plenissima libertate exercere posset*." (Martin, Doc. p. 42.)

[3] Phillips, Comp. § 103.

# CAPUT II.

## ADJUTORES S. PONTIFICIS.—CURIA ROMANA.

(*Assistants of the Pope.—The Roman Curia.*)

### ART. I.

#### CURIA ROMANA IN GENERE.

(*The Roman Court in General.*)

**496.** *Quaer.* Quid intelligatur per Curiam Romanam?

*Resp.* Pro exercenda sua jurisdictione, Romanus Pontifex necessario utitur variis adjutoribus et ministris tum intra tum extra locum ubi degit. Horum autem adjutorum collectio vocatur Curia Romana. Proinde Curia Romana definitur: Complexus illarum personarum quae cum Romano Pontifice et sub ipso res ecclesiasticas, politicas ac contentiosas regunt et administrant.[1] Curia Romana sic late sumpta complectitur (*a*) tum illas personas quibus utitur S. Pontifex in regenda Ecclesia *universali;* (*b*) tum illas quae sive in administranda dioecesi Romana, sive in dirigendo principatu civili, S. Pontificis vices agunt auctoritatemque exercent.[2]

**497.** Nobis agendum est solummodo de Curia Romana quae S. Pontifici auxilium praestat in regenda *universali* Ecclesia, ipsiusque vices gerit quatenus Supremi totius Ecclesiae Pastoris. Porro Curia Romana hoc modo intellecta constat (*a*) Cardinalibus Sacrae Romanae Ecclesiae; (*b*) Congregationibus eorundum Cardinalium; (*c*) Nonnullis aliis tribunalibus ecclesiasticis; (*d*) tandem legatis, nuntiis et delegatis Apostolicis, Vicariis et Praefectis Apostolicis. De omnibus his personis breviter pro more disseremus. Legati, nuntii, delegati etc. vocantur ministri Pontificis *extra Curiam,* quia extra Urbem Romae S. Pontifices vices gerunt; caeteri appellantur ministri *intra Curiam,* eo quod S. Pontificis vices in Urbe Romae agunt.[3]

[1] Nostrum *Elements,* vol. I. n. 486.
[2] De Brab. Jur. Can. Comp. n. 196.
[3] Nostrum *Elements,* vol. I. n. 486.

## ART. II.

### CARDINALES SACRAE ROMANAE ECCLESIAE.

(*Cardinals of the Holy Roman Church.*)

**498.** *Definitio.*—Cardinales sunt coadjutores immediati et intimi Consiliarii Romani Pontificis in administratione Ecclesiae universalis, ejusque senatum constituunt. De Cardinalium creatione, numero, dignitate et officiis agemus. (Nostrum *Elements,* vol. I. n. 487.)

### § 1. Creatio et Promotio Cardinalium.

(*Appointment of Cardinals.*)

**499.** *Quaer.* A quo et qua forma hodie promoveantur Cardinales?

*Resp.* 1° A solo Romano Pontifice creantur. Aliquibus tamen christianis Principibus (v.g. Imperatori Austriae, Reipublicae Galliarum) privilegium concessum est unum vel plures nominandi seu praesentandi, quo in casu creatio fit a S. Pontifice ad nominationem Principis.

**500.** 2° Duplici modo potest S. Pontifex ad creationem Cardinalium procedere: (*a*) *de plenitudine potestatis,* id est, omissis regulis et solemnitatibus mere canonicis (*the canonical rules and formalities*); (*b*) *de jure ordinario,* regulis scilicet ac solemnitatibus istis servatis. Jam vero certum est S. Pontificem posse ex plenitudine potestatis ad Cardinalatus fastigium promovere quos vult et quando vult, illumque nulla adstrictum esse necessitate exquirendi Cardinalium suffragia, vel servandi formam aliquam praecisam.

**501.** Ordinarie vero observant S. Pontifices regulas et solemnitates in jure praescriptas. Proinde quaeritur; quaenam sint illae regulae et solemnitates? Aliis verbis, quis sit modus ordinarius promovendi Cardinales? Modus hic varius fuit pro temporum varietate. Nostris temporibus obsoleverunt multa quae in Caeremoniali Romano disponuntur de promovendis ad Cardinalatum.

**502.** Modus autem ordinarius quo hodie creantur Cardinales, hic est: 1° Solet Romanus Pontifex proponere in consistorio secreto quos in Sacrum Collegium cooptare intendit, interrogando Cardinales praesentes quid ipsis videatur, hisque approbantibus, decretum promotionis edicit.[1] Aliquando unum aut plures creat Cardinales, quorum nomina in consistorio reticet, quique propterea dicuntur *reservati in pectore;* hi proclamantur ac declarantur in alio subsequenti Consistorio.

**503.** 2° Deinde si noviter promoti reperiantur Romae, eodem quo prius utebantur habitu, ad aulam Apostolicam seu aedes Vaticanas, nullo assumpto comitatu, se conferunt, ibique ab aliquo ex antiquis Cardinalibus excepti Summo Pontifici offeruntur, qui birreto rubro (*red cap or beretta*) eos insignit.

**504.** 3° Postea publicum pro certo die indicitur Consistorium, in quo promoti in Consistorio Secreto recipiunt a S. Pontifice rubrum gallerum (*the red hat with a wide brim—Cardinal's hat*). In altero consistorio, S. Pontifex claudit os novis Cardinalibus (*closing of the mouth*), eis inhibendo ne quid loqui praesumant in consistoriis aliisque consessibus. In tertio tandem Consistorio publico, S. Pontifex (*a*) os eis aperit (*opening of the mouth*), his verbis: "Aperimus vobis os," etc.; (*b*) immittit cuique in digito annulari dexterae manus annulum pretiosum (*cardinalitial ring*) et titulum illi assignat.[2]

**505.** 4° Quando noviter ad Cardinalatum promoti, non versantur in Urbe, id est Romae, per ablegatum Apostolicum, ad illos mittitur solum birretum rubrum, in cujus receptione jurare debent se infra annum ad Limina Apostolorum accessuros, ut etiam in illis compleantur caeterae promotionis solemnitates.

**506.** Notandum tamen est has caeremonias, videlicet, impositionem galleri rubri, aperitionem oris etc. nullatenus ad

[1] S. Pontifex hac utitur formula: "Decrevimus honore collegii vestri afficere N. N. Quid vobis videtur? Itaque auctoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra creamus et publicamus S. R. E. Cardinales N. N."

[2] Ferraris, v. *Cardinalis*, art. i. n. 13–18.

substantiam promotionis pertinere.[1] Nam hodie Cardinales perfecte creati censentur et omnia adipiscuntur jura Cardinalium, eo momento quo a Pontifice in secreto consistorio creantur ac publicantur.[2]

Insuper Cardinales ex omnibus mundi partibus, quantum commode fieri poterit, eligi debent.[3] Statuitur in jure ut *lectissimi* solum et *praecellentes viri* in Sacrum Collegium adscribantur.[4] (Nostrum *Elements*, vol. I. n. 490.)

### § 2. Classes et Numerus Cardinalium.

(*Grades and Number of Cardinals.*)

**507.** *Classes seu Ordines.*—Cardinales in tres classes seu ordines dividuntur: nempe Episcoporum, Presbyterorum et Diaconorum.

**508.** *Numerus Cardinalium.*—Numerus Cardinalium varius fuit pro temporum diversitate. Tandem Sixtus V., praesertim ob varias institutas Congregationes pro negotiis universalis Ecclesiae expediendis, *Septuagenarium* numerum Cardinalium constituit ad instar septuaginta seniorum quos Deus Moysi adjutores et Consiliarios dedit.[5] Nec a subsequentibus Pontificibus hic numerus immutatus est, et proinde hodie adhuc obtinet. Ex his septuaginta, *sex* debent esse Cardinales Episcopi, *quinquaginta* Cardinales presbyteri, *quatuordecim* vero Cardinales Diaconi.

Cardinales Episcopi (*Cardinal Bishops*) titulum desumunt ex sex dioecesibus vicinarum civitatum, quae etiam dioeceses suburbicariae (*suburban dioceses*) nuncupantur;[6] Cardinales presbyteri et diaconi vero titulum habent ab Ecclesiis in Urbe Romae sitis.

Notandum Cardinales presbyteros (*Cardinal priests*) saepe esse vel simplices presbyteros, vel etiam Episcopos et Archi-

[1] Nostrum *Elements*, vol. I. n. 489. [2] S. Pius V. 26 Jan. 1571.

[3] Conc. Trid. sess. 24, c. i. de Ref.

[4] Sixtus V. Const. *Postquam*, § 14. Cf. Nostrum *Elements*, l. c. n. 490.

[5] Sixtus V. Const. *Postquam*, 1586.

[6] Hi sex Cardinales proinde nullam habent in Urbe Ecclesiam titularem seu in titulum.

episcopos ex variis mundi partibus assumptos; Cardinales vero diaconos (*Cardinal deacons*) frequenter esse vel diaconos vel etiam presbyteros. Ratio est, quia Cardinales presbyteri et Cardinales diaconi ita vocantur, eo quod alicui Ecclesiae vel oratorio in Urbe Romae sito, tamquam presbyteri, vel tamquam diaconi incardinati sunt. Cardinales diaconi, qui presbyteri non sunt, possunt optare ad titulum Cardinalitium presbyteralem, si ordinem sacrum presbyteratus suscipiunt. Cardinales presbyteri et Diaconi hodie Cardinalibus Episcopis coaequantur et unum collegium simul omnes componunt.[1]

## § 3. "Dignitas," Titulus et Insignia Cardinalium.

(*Dignity, Title and Insignia of Cardinals.*)

**509.** *Quaer.* Qualis sit dignitas et praecellentia Cardinalium?

*Resp.* Dignitas cardinalitia initio inferior erat episcopali; ast hodie juxta Const. Eugenii IV. *Non Mediocri* anno 1428 editam, et Const. *Superna* Leonis X., omnem aliam dignitatem una dempta pontificia, transcendit. Unde Cardinales antecedunt Patriarchas, Archiepiscopos et Episcopos. Et jure merito. Siquidem dignitas personarum in Ecclesia non est commensuranda ex *ordine,* bene vero potius ex *jurisdictione.*

**510.** Ratio est, quia potestas ordinis proprie dirigitur ad sanctificationem animarum per sacramenta procurandam, *adeoque respicit elementum spirituale* et invisibile Ecclesiae: potestas vero jurisdictionis ordinatur ad regimen fidelium, adeoque principaliter respicit corpus Ecclesiae, id est elementum ejus visibile et externum. Jam vero ratio honoris et praeeminentiae proprie afficit regimen publicum quo Ecclesia inter homines constituta apparet ceu societas ordinata et variis gradibus distincta.[2]

**511.** Hinc licet Cardinales presbyteri et diaconi, qui episcopali charactere non sunt insigniti, ratione ordinis Episcopis sint inferiores, tamen ratione officii sunt illis superiores. Nam Cardinales lateri Summi Pontificis adhaerent, et cum eo uni-

[1] Santi, l. i. t. 31, n. 17, 19. [2] Santi, l. i. t. 31, n. 28.

versalem regunt Ecclesiam; dum Episcopi potestas intra certos territorii alicujus limites coarctatur.

**512.** *Quaer.* Quibusnam titulis et insignibus gaudeant Cardinales?

*Resp.* 1° Ex decreto Urbani VIII. diei 10 Junii 1630, tribuitur illis titulus *Eminentissimi* et *Eminentiae.* Insuper vocantur *Principes,* eo quod per cardinalitiam dignitatem evadunt principes Romani.[1]

2° Ad *insignia* quod spectat, Cardinales donantur (*a*) purpura (*the sacred purple*),[2] quae apud Romanos olim Imperatorum propria erat; (*b*) galero rubro (*red hat*); (*c*) birreto coccineo (*scarlet or red beretta*); (*d*) et capucio seu pileolo ejusdem coloris (*red skull-cap*); (*e*) In suis sigillis (*seals*) armisque gentilitiis (*coat of arms*), Cardinales habent pileum seu galerum cardinalitium (*Cardinal's hat*) superimpositum cum suis lemnicis (*tassels*), quorum tamen numerus ultra quindecim utrinque extendi non debet.[3]

## § 4. Potestas et Munus Cardinalium.

(*Rights and Duties of Cardinals.*)

**513.** Cardinalium officia et munera respiciunt vel proprias Ecclesias seu titulos, vel universalem Ecclesiam.

### I. Officium Cardinalium in Propriis Titulis.

(*Rights in their Titular Churches.*)

**514.** *Quaer.* Quae sint officia et munera Cardinalium in suis ecclesiis vel titulis?

*Resp.* 1° Cardinales Episcopi suburbicarii in suis Ecclesiis cathedralibus et propriis dioecesibus quas in titulum obtinent plena gaudent jurisdictione episcopali; sunt enim veri Episcopi harum dioecesium, quae Romam circumsedent.

**515.** 2° Cardinales presbyteri et diaconi in suis respective

[1] Nostrum *Elements,* vol. I. n. 493.

[2] Cardinales tamen ex regularibus assumpti, si excipias Patres Societatis Jesu, veste purpura non utuntur; sed vestes retinent suae religionis.

[3] Innoc. X. Const. *Militantis* 1644; De Brab. n. 202.

titulis seu ecclesiis in Urbe Roma existentibus, jurisdictione quasi episcopali olim potiebantur.[1] Ast Innocentius XII.,[2] eam ipsis ademit, illisque reliquit solum facultatem seu jurisdictionem in iis *quae servitium Ecclesiae, circa tamen disciplinam ecclesiasticam et morum correctionem dumtaxat concernunt.* Unde ipsis relicta tantum est *domestica* seu *paterna* quaedam jurisdictio in clericos ecclesiae inservientes; nulla vero in populum et parochianos.[3] Proinde merito tradunt doctores antiquam jurisdictionem Cardinalium in suis titulis hodie disparuisse, eamque in Cardinalem Urbis Vicarium transisse.[4]

**516.** Dicitur "*jurisdictionem* disparuisse." Nam quoad jus exercendi pontificalia res integra mansit. Unde hodie Cardinales, in suis titulis, licet charactere episcopali careant, Pontificalia exercent, more Episcoporum populum solemniter benedicunt, indulgentiam centum dierum impertiendo; tonsuram et minores ordines conferunt clericis qui ipsorum titulis sunt adscripti; imo nemo alius, absque eorum licentia potest ibi Pontificalia exercere.

## II. Officium Cardinalium Relate ad Ecclesiam Universam.

(*Rights relative to the Entire Church.*)

**517.** *Quaer.* Quaenam sint jura et officia Cardinalium relate ad totam Ecclesiam?

*Resp.* 1° *Sede plena,* idest, vivente Papa, Cardinales senatum constituunt S. Pontificis, eique in administratione totius Ecclesiae, consilio et opera praesto sunt,[5] praesertim in Sacris Congregationibus.

**518.** 2° *Sede vacante,* seu defuncto Pontifice, ad Cardinales pertinet (*a*) S. Pontificis electio, ut jam diximus; (*b*) Ecclesiae defensio et administratio;[6] non tamen ad ipsos transit ea juris-

[1] Cap. 11, de Major. et ob.
[2] Const. *Romanus Pontifex*, 17 Sept. 1629.
[3] De Brab. n. 205.
[4] Santi, l. c. n. 36.
[5] Conc. Trid. sess. 25, c. 1, de Ref.
[6] Cap. Ubi periculum, de Elect. in 6°.

dictio quae S. Pontificis omnino propria est;[1] (*c*) Congregationum Cardinalium facultates sunt ordinariae, et proinde perpetuae. Hinc non expirant per obitum Papae; attamen Sede vacante, debent conquiescere et dormitare. (*d*) Generatim loquendo, sede vacante Cardinales nihil innovare debent, nec aliis curis operam dare quam electioni S. Pontificis. (Nostrum *Elements*, vol. I. n. 494.)

## § 5. De Cardinalibus quatenus constituunt Collegium seu Corpus Morale.

(*Of Cardinals as forming a Corporate Body.*)

**519.** *Quaer.* Quae sit organizatio S. Collegii?

*Resp.* Cardinales constituunt unum corpus morale (*a corporate body*), quod vocatur Sacrum Collegium, seu Collegium Cardinalium. Hoc sub respectu Sacrum Collegium suos habet officiales, qui sunt: 1° *Decanus* (*Dean*) qui est caput seu praeses Sacri Collegii; officium Decani obtinet antiquior inter sex Cardinales Episcopos suburbicarios; 2° *Camerarius* (*treasurer*), qui est unus ex Cardinalibus, et habet curam redituum Sacri Collegii; est distinctus a Camerario Pontificis; 3° *Secretarius* (*Secretary*) qui inter Praelatos ex Italia eligitur a Cardinalibus per scrutinium; 4° *Secretarii Substitutus* (*assistant or sub-secretary*), qui etiam a Cardinalibus scrutinio eligitur, successive tamen e quatuor nationibus Germanica, Hispanica, Gallicana et etiam Anglicana, quique proinde clericus *nationalis* vocatur. 5° *Computista* (*bookkeeper*) qui rationes acceptorum et expensorum tenet, easque defert Cardinali Camerario.

## § 6. Consistorium.

(*General Session of the S. College.*)

**520.** *Quaer.* Quid sit Consistorium?

*Resp.* Cardinales explent officia sua, aut sustinentes munera quae ipsis singulis a Pontifice committuntur, aut distributi per diversas congregationes, aut universim in Consistorio. Jam vero, consistorium est Congregatio seu consessus gene-

[1] Cap. 3, de Elect. in 6° (I. 6); Clem. 2, de Elect. (I. 3).

ralis omnium Cardinalium (*a general meeting of all the Cardinals*), quem celebrat R. Pontifex in Collegio Cardinalium per modum senatus majoris.[1]

**521.** Duplex est: (*a*) *ordinarium* seu secretum (*ordinary or secret Consistory*) in quo adsunt soli Cardinales; (*b*) *solemne* seu publicum (*solemn, public Consistory*), ad quod accedunt cum magno apparatu singuli Cardinales, et admittuntur principum Nuntii (*ambassadors of princes*), Praelati, etc. Negotia quae in Consistorio tractari solent, sunt: Promotio Cardinalium, Episcoporum, etc.

**522.** Ut vero causae cum ea, quam rerum gravitas exposcit, maturitate discutiantur, sicque praeparata deferantur ad Consistorium, in quo definitio datur, instituta fuit Congregatio particularis quae nuncupatur Consistorialis.

## ART. III.

### CONGREGATIONES CARDINALIUM.

(*Committees of Cardinals.*)

### § 1. SS. CONGREGATIONES IN GENERE.

(*The Sacred Committees in general.*)

**523.** *Quaer.* Quid sint Sacrae Congregationes?

*Resp.* Sacrae Congregationes sunt coetus seu Commissiones Cardinalium (*Committees of Cardinals*),[2] institutae adinstar collegiorum permanentium ad negotia, ipsis a S. Pontifice demandata, expedienda, quin et absolvenda, necnon judicio definienda.[3] Hisce Congregationibus Cardinales operam suam ordinate et ex officio exhibent S. Pontifici, et sic faciliori et promptiori expeditioni negotiorum ecclesiasticorum consultum est.

**524.** Unaquaeque Congregatio componitur ex pluribus cardinalibus, et habet (*a*) *praefectum* (*prefect or chairman*), qui est aut ipse Papa, aut quidam Cardinalis; (*b*) *Secretarium* (*Secretary*), qui est aliquando Cardinalis, aliquando Episco-

[1] Huguenin, l. c. n. 352.
[2] Supra, n. 38; nostrum *Elements*, vol. I. n. 75, 76.
[3] Santi, l. i. t. 31, n. 41; De Brab. n. 209.

pus aut Archiepiscopus titularis aut Praelatus inferior; (*c*) nonnullos *subsecretarios* (*minutanti*, assistant secretaries); (*d*) *Consultores*, (*counsellors*), viros pios et doctos, qui ex clero tam saeculari quam regulari ad hoc munus ob ipso S. Pontifice ad vitam eliguntur.

**525.** *Divisio SS. Congregationum.*—S. Pontifex consideratur quatenus est, 1° Episcopus Urbis Romae; et sic habet, praeter Cardinalem Vicarium, S. Congregationem *Visitationis Apostolicae;* 2° vel temporalis Princeps principatus civilis; et hoc sub respectu, habet praeter alia tribunalia S. Congr. super consultatione negotiorum Status Ecclesiae; 3° Caput totius Ecclesiae, et sic adjuvatur a 12 Congregationibus ordinariis (*twelve standing Committees*) de quibus modo pauca dicturi sumus.

**526.** Sacrae Congregationes pro generali totius Ecclesiae gubernio ita sunt distributae, ut aliis causae fidei, aliis causae disciplinares, aliis denique res liturgicae sint commissae.

**527.** Causae autem omnes, sive fidei, sive disciplinae, etc., quae in SS. Congregationibus proponuntur, sunt: (*a*) aut *contentiosae* (*matters under litigation*), de quibus datur inter partes contestatio; (*b*) hae causae contentiosae subdistinguuntur in *civiles* et *criminales;* (*c*) *voluntariae* seu *oeconomicae*, quae spectant ad Ecclesiarum administrationem, ad indulta, gratias, etc.; (*d*) aut denique *consultivae*, quae concernunt dubia super jure, interpretationem alicujus decisionis, etc.

## § 2. SS. Congregationes pro Causis Fidei.

(*S. Congregations for Matters of Faith.*)

In fidei defensionem et propagationem institutae sunt Congregationes *Inquisitionis*, *Indicis* et de *Propaganda Fide*.

### I. S. Congregatio Supremae et Universalis Inquisitionis, seu Sanctum Officium.

(*Committee on Inquisition.*)

**528.** *Quaer.* Quae sit jurisdictio et Constitutio S. Officii?

*Resp.* 1° Haec S. Congregatio in praesens jurisdictione pollet, Pontificis nomine et auctoritate, (*a*) inquirendi, proce-

dendi et judicandi generatim in iis omnibus rebus ac causis quae ad rectam fidem bonosque mores tuendos pertinent, (*b*) in universo terrarum orbe, (*c*) super omnes fideles, clericos, Episcopos, et Archiepiscopos.

**529.** 2° Componitur (*a*) ex pluribus Cardinalibus quos S. Pontifex nominat, quique dicuntur Cardinales Inquisitores generales; (*b*) ex Praefecto, qui alius non est quam ipse Papa;[1] (*c*) ex Secretario; Cardinalis antiquior in Congregatione officium Secretarii implere solet; (*d*) ex Consultoribus, qui ex clero saeculari et regulari eliguntur ab ipso S. Pontifice.[2]

**530.** 3° His adjunguntur sequentes officiales: (*a*) *Assessor*, qui primus est inter omnes hujus S. Congregationis officiales. Eligi solet inter Praelates saeculares. Praeest sessionibus Consultorum (*meetings of the consultors*); Cardinalibus Congregatis proponit negotia peragenda et quaestiones resolvendas, una cum voto consultorum prius habito, et tandem S. Pontifici Congregationis sententiam seu resolutionem refert. (*b*) *Commissarius* (*commissioner, judge*), qui ex ordine Praedicatorum assumitur, et socium (*assistant judge*) habet ex eodem ordine. Ejus officium est praesertim processuum conficiendorum munere fungi. (*c*) *Procurator fiscalis* (*prosecuting attorney*) qui sedet inter Consultores, in eorum conventu, quique legis observantiam propugnat. (*d*) Adsunt prâeterea *advocatus reorum* (*advocate for the accused*), *notarius* (*secretary*), etc.

**531.** *Quaer.* Quis sit modus procedendi hujus S. Congregationis?

*Resp.* Ut negotia cum debita maturitate examinentur et dirimantur, haec Congregatio tres habet, in qualibet hebdomade sessiones (*meetings*): *prima*, quae est *Consultorum* (*meeting of the consultors*) locum habet singulis feriis II. (*every Monday*); conveniunt Consultores cum assessore, commissario, etc., non autem cum Cardinalibus; leguntur processus, et praeparantur negotia: *secunda*, quae est *Cardinalium*, locum habet singulis feriis IV. (*every Wednesday*) in conventu

[1] Hodie vero S. Pontifex solummodo pro gravioribus negotiis expediendis coram se Congregationem convocat, eique praeest.

[2] Santi, l. i. t. 31, n. 68.

Fratrum Praedicatorum prope Ecclesiam S. Mariae supra Minervam. Cardinalibus Congregatis Assessor S. Officii stans refert negotia, processus, aliaque jam discussa in comitiis Consultorum; *tertia,* quae est *Coram Sanctissimo,* singulis feriis V. (*every Thursday*).

**532.** Hujus Congregationis proprium est, ut in processus alicujus confectione, actorum *secretum* ab omnibus absolute servandum sit. Quare etiam huic Congregationi solet S. Pontifex committere examen certorum graviorum negotiorum, quae ad fidem non spectant, quoties qualitas personarum vel negotii non admittit ut in aliis Congregationibus, in quibus forma judicialis publica servatur, res pertractetur.[1] (Nostrum *Elements,* vol. I. n. 500.)

### II. S. Congregatio Indicis.

(*Committee on the Index or List of Forbidden Books.*)

**533.** *Quaer.* Quae sit jurisdictio et organizatio S. Congr. Indicis?

*Resp.* 1° S. Congregatio Indicis a S. Pio V. instituta est in subsidium S. C. Inquisitionis. Ejus proprium ac fere unicum officium est in examen libros vocare, de quorum proscriptione, emendatione vel permissione capienda est deliberatio.

2° Componitur (*a*) ex pluribus Cardinalibus, quorum unus est *Praefectus;* (*b*) ex Magistro S. Palatii, qui Eminentissimi Praefecti perpetuus est assessor, cuique committitur inspectio librorum qui Romae typis mandantur aut venduntur; (*c*) ex Secretario, (*d*) Consultoribus, etc.

**534.** *Quaer.* Quas regulas servet, et quam methodum sequatur haec Congregatio in prohibendis libris?

*Resp.* 1° Prae oculis habet illas regulas quae vocantur *regulae Indicis.* Proinde Regulae Indicis sunt normae juxta quas S. Congregatio prohibet lectionem librorum. Regulas has vide in nostro *Elements,* vol. I. n. 502 sq.

2° Methodus quam servat S. Congregatio in examine libro-

[1] Santi, l. c. n. 70.

rum stabilita est a Benedicto XIV., Const. *Sollicita,* 9 Julii 1753.[1]

**535.** *Quaer.* Utrum et qua ratione vigeant in his Statibus Decreta hujus S. Congregationis et regulae Indicis, praesertim regula X., quae praescribit ut libri non imprimantur absque licentia Ordinarii?

*Resp.* Vide nostrum *Elements,* vol. I. n. 504 sq.[2] Vide etiam facultates Episcopis nostris a S. Sede concessas, Fac. form. i. n. 21; Fac. Extr. c. n. 2.

### III. Sacra Congregatio de Propaganda Fide.

(*Committee on Propagating the Faith.*)

**536.** *Quaer.* Quid sit S. C. de Prop. Fide, et quae sit ejus organizatio?

*Resp.* 1° Est ea Congregatio quam Gregorius XV. anno 1621 instituit,[3] ad invigilandum propagationi necnon conservationi fidei in regionibus infidelium et haereticorum.

2° Coalescit haec Congregatio (*a*) ex Cardinalibus numero pluribus, (*b*) quorum unus Praefectus seu Praeses est; (*c*) ex Secretario, qui ex praelatis assumitur; (*d*) ex quatuor subsecretariis (*minutanti, sub-secretaries*), qui Secretario assistunt, et quorum unus negotia gerit horum Statuum Foedere junctorum; alter Angliae, Hiberniae, Scotiae negotia tractat; (*e*) ex Consultoribus numero viginti quatuor, et aliis officialibus.

3° Haec Congregatio semel in mense sessionem seu congregationem generalem habet (*general meeting of the Congregation*) in aedibus S. C. de Prop. Fide. Huic Congregationi generali adest praeter Cardinales, Secretarius qui de omnibus negotiis Cardinalibus praesentibus refert. Omnia negotia gravioris momenti, in his plenis Congregationibus pertractantur et definiuntur.

**537.** Insuper semel singulis hebdomadis, et quandoque etiam saepius, habetur coram Eminentissimo Praefecto congressus (*meeting*), cui adsunt praeter Eminentissimum Prae-

[1] Cf. De Angelis, l. i. t. 31, n. 11; Santi, l. c. n. 78.
[2] Cf. Conc. Pl. Balt. II. n. 106; Conc. Pl. Balt. III. n. 220.
[3] Const. *Inscrutabili.*

fectum, Secretarius et quatuor subsecretarii (*minutanti*). In his congressibus, omnia minoris momenti dirimuntur; res vero majoris ponderis, quae ad plenam Congregationem pertinent, praeparantur et sic ordinate ad plenam Congregationem referuntur.

**538.** *Quaer.* Qualis sit jurisdictio S. C. de Prop. Fide?

*Resp.* Haec Sacra Congregatio est *sola,* id est, ad exclusionem caeterarum SS. Congregationum—competens in regionibus Missionum sibi subjectis, ita ut ea omnia munera quae a caeteris SS. Congregationibus distributive exercentur in locis ubi viget jus commune, a sola S. C. de Prop. Fide exerceantur in locis Missionum.[1] Hinc Sacra haec Congregatio, in locis Missionum, etiam munera omnia caeterarum SS. Congregationum in se comprehendit et exercet. Proinde de illa dicitur: Caeteras Congregationes in ventre habet.[2]

**539.** Quare Episcopi, Missionarii, caeterique omnes qui in regionibus Missionum degunt, v.g. in hisce Statibus Foederatis, *in omnibus negotiis* recurrere debent ad S. C. de Prop. Fide, non vero ad alias Sacras Congregationes, cum istae nullam jurisdictionem directe habeant in regionibus Missionum. Hinc pro locis Missionum, S. C. de Prop. Fide est organum exclusivum exercitii Pontificiae jurisdictionis. Diximus *directe;* nam S. Congregatio de Prop. Fide saepe res ex locis Missionum, ad alias Sacras Congregationes, solutionis causa, refert.

**540.** *Quaer.* Quisnam sit modus procedendi hujus S. Congregationis?

*Resp.* 1° Causae et negotia *voluntaria* et *administrativa* dirimuntur a S. Congregatione *extrajudicialiter.* 2° Causas vero *contentiosas,* et praesertim causas criminales necnon disciplinares clericorum, quae per appellationem ad S. Sedem deferuntur, decidit et dijudicat S. Congregatio, *servata forma judicii summarii.*[3] Cf. nostrum *New Procedure,* n. 553 sq.

[1] Loca Missionum tamdiu S. C. de Prop. Fide subjecta manent, quamdiu res ad normas legis communis perfecte reduci non possunt.

[2] Phillips, comp. § 118.

[3] Cf. Instr. *Cum Magnopere,* Art. XXXV.; Santi, l. c. n. 100.

Pius IX., ex ipsa Congregatione de Prop. Fide, aliam specialem ac stabilem Congregationem formavit et erexit sub titulo: *De Propaganda fide pro negotiis ritus Orientalis.*

## § 3. Sacrae Congregationes in Favorem Disciplinae Constitutae.

(*Committees on Matters of Discipline.*)

**541.** Inter SS. Congregationes quae ad tuendam disciplinam ecclesiasticam sunt institutae, S. Congr. Episcoporum et Regularium, et S. Congr. Concilii principem tenent locum. De sola S. C. EE. et RR. hic loquemur.

### I. S. Congr. Episcoporum et Regularium.

(*Committee on Bishops and Regulars.*)

**542.** *Quaer.* Quid sit S. Congregatio Episcoporum et Regularium?

*Resp.* Est ea Congregatio cujus proprium officium est negotia tum Episcopos tum Regulares concernentia dirimere. Proinde ad ipsam spectant generatim (*a*) causae et negotia quae Episcopos et rectam dioecesium administrationem respiciunt; (*b*) recursus et appellationes praesertim in causis criminalibus et disciplinaribus contra Episcopos aliosve superiores ab ipsorum subditis aut regularibus institutae; (*c*) causae quaecumque ecclesiasticae, exceptis iis quae directe materiam fidei, aut formalem interpretationem Concilii Tridentini respiciunt, aut quae privative aliis Congregationibus competunt.[1]

**543.** Hinc amplissimam exercet haec S. Congregatio potestatem in Episcopos et Regulares, in toto orbe terrarum, exceptis tamen locis Missionum. Nam uti jam diximus, in regionibus Missionum, sola Congregatio de Prop. Fide functiones omnium aliarum SS. Congregationum exclusive adimplet, et proinde etiam in Episcopos et Regulares omnimodam exercet jurisdictionem.

**544.** *Quaer.* Quae sit organizatio hujus S. Congregationis?

*Resp.* Coalescit haec S. Congregatio (*a*) ex pluribus Cardinalibus, quorum unus est Praefectus; (*b*) ex Secretario inter

[1] De Brab. n. 217.

Praelatos urbanos (*Roman Prelates*) assumpto; (*c*) ex subsecretario (*assistant secretary*) qui duos aut tres alios subsecretarios minores (*minutanti*) sub se habet; (*d*) ex auditore, (*e*) judice relatore; (*f*) et pluribus Consultoribus inter clerum tum saecularem tum regularem assumptis.

**545.** *Quaer.* Quis sit modus procedendi hujus S. Congregationis?

*Resp.* 1° Cardinalis Praefectus, Secretarius ejusque substitutus, necnon auditor, et alii minores subsecretarii (*minutanti*), in privatis conventibus singulis hebdomadis adunati (*in meetings held every week*), directionem negotiorum disponunt, necnon minora et ordinaria negotia, virtute facultatum apostolicarum expediunt. Negotia vero majora ad generalem Congregationem (*full committee*) quae semel singulis mensibus locum habet, decidenda remittunt.

**546.** 2° In causis *contentiosis* quae tamen *criminales* non sunt, S. Congregatio procedit juxta regulas ab ipsa S. Congregatione praescriptas die 5 Sept. 1834.[1] Scilicet, quando ex relationibus Ordinariorum, et ex partium deductionibus videatur expedire, ut res ad viam juris reducatur, designatur unus ex Cardinalibus qui videat et referat plenae Congregationi, et qui proinde vocatur Cardinalis *Ponens* seu *Relator* (*Cardinal Referee*). Coram Eminentissimo Ponente vel ejus auditore, partes sua jura, allegationes et probationes deducere debent.[2] Finitis utrinque probationibus, res plenae Congregationi decidenda proponitur ab Eminentissimo Relatore.

**547.** 3° Si autem quaestio est, de causis *criminalibus* et *disciplinaribus* clericorum, quae a Curiis Episcopalibus ad S. Congregationem per viam appellationis deferuntur, methodus seu ratio tractandi negotium, ab ipsa S. Congregatione praescripta tum in Decreto diei 18 Dec. 1835, tum in Epistola circulari diei 1 Aug. 1851, haec est: Designatur unus ex Praelatis vel Consultoribus (non vero unus ex Cardinalibus),[3] qui videat et referat, quique proinde nuncupatur judex relator (*auditor, investigating judge*). Tum appellans, tum Curia

[1] Bizzarri, Collect. p. 11.
[2] S. C. EE. et RR. die 5 Sep. 1834, Art. II.
[3] Nostrum *New Procedure*, n. 556 sq.

Episcopalis *a qua*, debent, jura sua, id est, allegationes, probationes, etc., coram judice relatore deducere. Deinde, statuta die, de tota causa ad plenam Congregationem Cardinalium refert (*reports*) judex relator.[1] Postea S. Congregatio, re discussa, sententiam profert.

**548.** Haec autem methodus procedendi in causis criminalibus servatur hodie etiam Romae a S. Congregatione de P. F., uti satis clare constat ex Instr. *Cum Magnopere*, Articulo XXXVI., qui sic se habet:[2] "In appellatione observentur normae . . . indictae a S. C. EE. et RR., decreto diei 18 Dec. 1835 et epistola circulari diei 1 Aug. 1851."

II. S. CONGREGATIO (*a*) CONCILII (*Committee on the Council of Trent*); (*b*) IMMUNITATIS ET JURISDICTIONIS ECCLESIASTICAE (*On Ecclesiastical Immunities and Jurisdiction*); (*c*) SUPRA NEGOTIIS ECCLESIASTICIS (*On Ecclesiastical Affairs*).

De his SS. Congregationibus, vide nostrum *Elements*, vol. I. n. 506 sq.

### § 4. SS. CONGREGATIONES PRO RE LITURGICA.

(*Committees on Liturgical Matters.*)

**549.** Duae Congregationes cultus publici uniformitatem, puritatem et decentiam curant, nempe: (*a*) S. Congr. rituum, (*b*) S. Congr. Indulgentiarum et Reliquiarum. (Vide nostrum *Elements*, l. c. n. 512 sq.)

## ART. IV.

### TRIBUNALIA SEU AUDIENTIAE CURIAE ROMANAE.

(*Roman Tribunals.*)

**550.** Praeter Cardinalium Congregationes adsunt in Curia Romana tribunalia seu audientiae quibus mediantibus negotia tum contentiosa tum gratiosa expediuntur. Distinguuntur in tribunalia (*a*) *gratiae*, (*b*) *justitiae*, etc. (Vide nostrum *Elements*, vol. I. n. 515 sq.)

[1] S. C. EE. et RR. Decr. 18 Dec. 1835, Art. XI.
[2] Nostrum *New Procedure*, n. 557 sq.

## ART. V.

### LEGATI, NUNTII ET DELEGATI APOSTOLICI.

(*Papal Ambassadors, Legates, Nuncios, and Delegates.*)

**551.** Hucusque de ministris S. Pontificis qui in Curia degunt egimus. Modo breviter disseremus de ipsius adjutoribus qui extra Curiam Pontificis vices gerunt, scilicet de Legatis et Delegatis Apostolicis.

### § 1. Legati Apostolici.

(*Papal Legates and Nuncios.*)

**552.** *Quaer.* Qui dicantur legati S. Sedis?

*Resp.* Legatus Apostolicus in genere ille est qui a S. Sede in certam regionem mittitur, cum potestate administrandi negotia ecclesiastica quae sunt muneris Apostolici.[1] Nullum autem potest esse dubium S. Pontificem jus habere legatos mittendi quocunque orbe terrarum, ubi viget religio christiana. Nam pollet jurisdictione *immediata* in omnes omnino Episcopos et fideles. Proinde hanc jurisdictionem exercere potest ubique terrarum, vel per se vel per alios seu legatos.

**553.** *Quaer.* Quot sint classes legatorum S. Sedis?

*Resp.* 1° Hodie alii sunt (*a*) *legati nuntii et non judices* (*legates who are not judges*), ut illi quos saepe Papa mittit ad aliquod *nudum ministerium* exercendum.[2] Sic solet hodie S. Pontifex legatos (*ablegates*) mittere ad deferendum birretum rubrum novis electis Cardinalibus in exteris nationibus. (*b*) Alii sunt *legati judices* (*legates who are judges*) quos Papa mittens facit Ordinarios in certa provincia vel regione.

**554.** 2° Legati judices duplicis sunt generis: (*a*) *Legati a latere* (*legates from the side of the Pope*);[3] assumuntur e numero Cardinalium, et mittuntur ad graviora negotia expedienda, vel ad repraesentandum S. Pontificem in aliqua solemnitate. Caeteris omnibus legatis et Nuntiis Apostolicis antecellunt tum dignitate tum potestate. (*b*) *Nuntii Apostolici* (*legati missi*), seu legati, qui non sunt Cardinales, sed generatim Archiepiscopi titulares, et qui a Papa mittuntur ad aliquam provinciam

[1] Santi, l. i. t. 30, n. 1; De Brab. n. 253.

[2] Reiff. l. i. t. 30, n. 4.

[3] Cap. 3, de Off. legati (i. 30).

vel etiam plures provincias, ut ibi munus legationis obeant. Solent autem isti legati mitti ad Supremos principes civiles. Et quidem si commorantur apud aulas majores (*courts of the first class*) dicuntur *nuntii;* si vero apud aulas minores, *internuntii*, aut etiam *Delegati Apostolici.*

**555.** *Quaer.* Quaenam sint facultates Legatorum et Nuntiorum?

*Resp.* Duplex est officium legatorum: unum relate ad gubernium ubi resident; alterum ad clerum et fideles. I. Ad primum officium quod attinet, mittuntur ad gubernia, ut studeant pacem et concordiam conservare inter S. Sedem et Principem laicum; ut generalia negotia inter S. Pontificem et gubernium civile pertractent.

**556.** II. Alterum officium est relate ad Episcopos, clerum et fideles regni seu reipublicae, quo sub respectu sunt veri Judices et Ordinarii. Quapropter omnes legati et nuntii habent in sua Provincia jurisdictionem ordinariam, quae per mortem Papae non expirat. Caeterum, eorum potestas melius dignoscitur ex Litteris quibus ipsis a S. Pontifice officium commissum est, quam ex jure communi. (Nostrum *Elements*, vol. I. n. 519–524.)

## § 2. Vicarii, Praefecti et Commissarii Apostolici.

**(*Apostolic Vicars, Prefects, and Commissioners.*)**

**557.** *Quaer.* Quid sint Vicarii Apostolici?

*Resp.* Antiquitus Vicarii Apostolici idem fere fuerunt ac legati nati.[1] Ast hodie ab iis multum discrepant. Nunc enim Vicarius Apostolicus ille est qui ex delegatione S. Pontificis, in aliqua regione potestatem exercet ceu Episcopus, non suo, sed Papae nomine et nutu.[2]

**558.** *Quaer.* Quae sint classes horum Vicariorum?

*Resp.* 1° Alii constituuntur in regionibus in quibus hierarchia ecclesiastica vel nunquam fuit instituta, vel si fuerit aliquando instituta, tamen ob hostium Christiani nominis imperium cessavit. Tales existunt in regionibus Missionum, infidelium et haereticorum, necnon etiam adhuc in aliquibus locis

[1] Nostrum *Elements*, l. c. n. 524. [2] Santi, l. i. t. 28, n. 69.

horum Statuum. Solent Episcopali charactere decorari. Insuper ipsis solent concedi non tantum jura omnia Episcoporum, verum et quaedam aliae facultates Papales.

Ad genus horum Vicariorum pertinent *Praefecti Apostolici* (*Apostolic Prefects*). Differunt a Vicariis Apostolicis praesertim in eo quod Praefecti sunt solummodo *sacerdotes*, dum regulariter Vicarii Apostolici insigniuntur charactere episcopali.

**559.** 2° Alii deputantur a S. Pontifice ad regendam dioecesim in qua extat ordinaria hierarchia; idque fieri potest sive sede Episcopali plena, sive sede vacante: (*a*) Sede vacante mittitur Vicarius Apostolicus, v.g., cum turbae et dissidia pertimescuntur in Vicarii capitularis electione. (*b*) Sede plena solet designari Vicarius Apostolicus, quando Episcopus propter culpam ab officio suspenditur aut etiam perpetuo removetur.[1]

---

# CAPUT III.

## PATRIARCHAE, PRIMATES ET METROPOLITANI.

(*Patriarchs, Primates, and Metropolitans.*)

## ART. I.

### PATRIARCHAE ET PRIMATES.

(*Patriarchs and Primates.*)

**560.** Episcopi, jure divino, sunt omnes inter se pares ratione ordinis seu *potestatis ordinis* Episcopalis. Ratione autem *jurisdictionis*, jure humano, sive Apostolico sive mere ecclesiastico, varii honoris et potestatis gradus inter Episcopos constituti sunt. Primum autem gradum obtinent *Patriarchae;* alterum *Exarchae* et *Primates;* tertium *Metropolitae;* hos denique subsequuntur *Episcopi.* Ad Patriarchas et Primates quod attinet, vide nostrum *Elements*, vol. I. n. 527–529.

[1] Santi, l. i. t. 28. n. 70.

## ART. II.

### DE METROPOLITANIS.

(*Of Metropolitans.*)

**561.** *Quaer.* Quid sit Metropolita?

*Resp.* Metropolita est Episcopus qui uni praeest provinciae (*ecclesiastical province*) et caeteris Episcopis, qui in ea suas habent Sedes seu dioeceses.[1] Unde et Archiepiscopus appellatur. Qui vero eidem subjecti sunt Episcopi, dicuntur *suffraganei* (*suffragans*). Tria hic indaganda occurrunt, nempe erectio Sedis Archiepiscopalis; jurisdictio Metropolitae; ipsius insignia et jura honoris.

### § 1. ERECTIO NOVI ARCHIEPISCOPATUS.

(*Erection of a new Archbishopric.*)

**562.** *Quaer.* A quo et qua ratione erectio novi Archiepiscopatus sit peragenda?

*Resp.* 1° A solo Romano Pontifice, 2° praemisso, generatim loquendo, congruo examine utrum adsint causae sufficientes utilitatis vel necessitatis; 3° auditis interesse habentibus, cujusmodi sunt Metropolita a cujus jurisdictione nova Metropolis subtrahenda est, et Episcopi qui eidem subjiciendi sunt; 4° addictis saltem ordinarie novae Metropoli nonnullis Episcopis qui ejusdem sint Suffraganei.[2]

### § 2. JURISDICTIO METROPOLITANI.

(*Authority of Archbishops.*)

**563.** *Quaer.* Quaenam sint in genere, ex hodierna disciplina, jura Metropolitae, etiam in hisce Statibus?

*Resp.* 1° Archiepiscopus potest considerari (*a*) vel ut Episcopus, et qua talis habet in dioecesim sibi immediate subjectam, eadem jura, easdemque obligationes, quas habent caeteri Episcopi in propriis dioecesibus; (*b*) vel ut Archiepiscopus,

[1] Devoti, l. i. t. 3, sect. 3, n. 39; Zitelli, Appar. p. 112.
[2] Zitelli, Appar. p. 112 sq.

et qua talis duplex solet ejus distingui auctoritas, nempe: (a) in suffraganeos seu Episcopos provinciae ; (b) in horum subditos.

**564.** 2° Jurisdictio haec, sive in Suffraganeos, sive in eorum subditos, restringitur ex hodierna disciplina, ad casus in jure expressos.

**565.** 3° Archiepiscopi jurisdictio, tum in Suffraganeos, tum in horum subditos, est *ordinaria*. Nam Sedi Archiepiscopali est adnexa.[1] Insuper relate ad suffraganeos, est *immediata;* relate vero ad horum subditos est tantum *mediata*, saltem extra casum Visitationis.[2] (Nostrum *Elements*, vol. I. n. 532.)

**566.** *Quaer.* Quinam sint casus in jure expressi, in quibus Metropolita hodie possit exercere jurisdictionem *in Episcopos Suffraganeos* etiam in hac regione ?

*Resp.* Ad Metropolitam pertinet (a) Suffraganeos unoquoque triennio ad Concilium Provinciale convocare, et non obedientes poenis coercere;[3] (b) eos cogere ad sua munia episcopalia rite obeunda, praesertim vero ad legem residentiae servandam ;[4] (c) eorum negligentiam in certis casibus supplere.[5]

**567.** *Quaer.* Quinam sint praecipui casus in jure expressi, in quibus hodie Archiepiscopus potest jurisdictionem exercere etiam apud nos, *in subditos Suffraganeorum?*

*Resp.* I. *In Appellatione* (*on Appeal*).[6]—Nam regulariter quilibet potest appellare ad Metropolitam tum a gravamine extrajudiciali, tum a sententia judiciali.[7] Ad Metropolitam vero spectat appellationem recipere, cognoscere et sententia sua dirimere,[8] et quidem in sua civitate vel dioecesi,[9] et nulla mora indebita interposita.[10]

**568.** II. *In Visitatione* (*during the Visitation*).—Olim, Metropolitani, utcunque res ita postulare sibi videbantur,

[1] Santi, l. i. t. 31, n. 152. [2] Prael. S. Sulp. n. 135.

[3] Conc. Trid. sess. 24, c. 2, de Ref.

[4] Conc. Trid. sess. 23, c. 1, de Ref.

[5] Nostrum *Elements*, l. c. n. 531. [6] Conc. Pl. Balt. II. n. 81.

[7] Alex. III. cap. xi. de App. (ii. 28) ; Conc. Trid. sess. 13, c. 1, 2, 3, de Ref.

[8] Innoc. IV. cap. 3, de App. in 6° (ii. 15).

[9] Bonif. VIII. c. 5, de Off. ord. in 6° (i. 16). [10] Can. 6, c. 10, q. 3.

dioeceses Suffraganeorum lustrare poterant.[1] Hodie vero juxta dispositionem Concilii Tridentini, Metropolitani non possunt dioeceses Suffraganeorum visitare nisi ex causa prius cognita et approbata a Concilio provinciali.[2] Quae autem in specie facere potest, dum provinciam visitat,[3] vide in nostro *Elements*, vol. I. n. 531.

**569.** III. *In devolutione* (*by devolution*).—Nam ex regula generali, quando Episcopus suffraganeus est negligens in eo quod ipse facere debet ratione officii quod gerit, tunc Archiepiscopus supplere potest ejus negligentiam, sicque exercere jurisdictionem in ipsius subditos. Proinde in tali casu *devolvitur* seu *transfertur* jurisdictio Episcopi negligentis ad Archiepiscopum. Et sane ipsa ratio dictat negligentiam quorumcumque Praelatorum esse supplendam, et quidem regulariter per immediatum Superiorem, ne Ecclesiae vel subditi damnificentur temporaliter vel spiritualiter.[4]

**570.** *Quaer.* An universaliter potestas et jurisdictio Episcopi, propter ejus negligentiam, devolvatur ad Archiepiscopum?

*Resp.* Controvertitur. Sententia negativa est probabilior. Aliis verbis, probabilius est, quod propter negligentiam Episcopi, potestas ipsius et jurisdictio non devolvatur ad Archiepiscopum, *nisi dumtaxat in casibus a jure expressis.*[5]

**571.** *Quaer.* Quinam sint casus illi, in quibus jure sic disponente per Archiepiscopum suppletur negligentia Episcopi, hujusque potestas ob suam negligentiam, devolvitur ad Archiepiscopum?

*Resp.* Vide Reiff. l. i. t. 10, n. 17–44; lib. i. t. 31, n. 48 sq.; nostrum *Elements*, vol. I. n. 531.

## § 3. Insignia Metropolitae.

(*External Marks of the Dignity of Archbishops.*)

**572.** *Quaer.* Quaenam sint insignia Archiepiscopi?

*Resp.* Insignia Metropolitarum sunt *crux* (*the archiepiscopal cross or crozier*) et *Pallium* (*the pallium*). Archiepiscopus

[1] Cap. i. de Cens. in 6° (iii. 20). [2] Conc. Trid. sess. 24, c. 3, de Ref.
[3] Cf. Zitelli, l. c. p. 114. [4] Cap. 2 et ult. de Suppl. negl. (i. 10).
[5] Reiff. l. i. t. 10, n. 18.

jus habet ut crucem ante se libere portare faciat per quaevis loca, licet exempta, suae provinciae;[1] non tamen praesente Cardinali, juxta juris axioma: *Luminare majus offuscat luminare minus.*[2]

**573.** *Quaer.* Quid sit Pallium?

*Resp.* Pallium est principale ornamentum ecclesiasticum de corpore Beati Petri sumptum, et a Papa Archiepiscopis datum, conferens plenitudinem pastoralis officii.[3] Dicitur *ornamentum;* formam habet veluti stolae sacerdotalis, ex lana candida confectae, et quatuor crucibus nigris aut purpureis intextae: humeris imponitur per modum circuli, et ante pectus et in humeros dependet.

**574.** Dicitur, *conferens plenitudinem,* etc.; nam pallium non tantum *significat,* verum et insuper *confert* plenitudinem officii Archiepiscopalis.[4] Quapropter tenetur Archiepiscopus abstinere ab omnibus officiis propriis officii Archiepiscopalis, quamdiu pallium non receperit,[5] ubi videre est in nostro *Elements,* vol. I. n. 533.

**575.** *Quaer.* Ubi et quando Archiepiscopus uti possit pallio?

*Resp.* 1° Intra quamlibet Ecclesiam, etiam exemptam, provinciae suae,[6] 2° in Missarum solemniis, 3° diebus solemnioribus jure determinatis.[7] (Nostrum *Elements,* l. c. n. 533.)

[1] Clem. 2, de Priv. (v. 7).
[2] De Brab. n. 287.
[3] Reiff. l. i. t. 8, n. 2.
[4] Innoc. III. cap. 3, de Auct. et usu Pallii (i. 8); Bened. XIV. De Syn. l. 2, c. 5, n. 8.
[5] Cap. 28, de Elect. (i. 6).
[6] Conc. Pl. Balt. II. n. 81.
[7] Cap. 5, 6, de Auct. et us. Pal. (i. 8).

# CAPUT IV.

## DE EPISCOPIS, ET HORUM OFFICIO ET POTESTATE.

(*Of Bishops, their Rights and Duties.*)

## ART. I.

### DE EPISCOPORUM POTESTATE GENERATIM.

(*Powers of Bishops, in general.*)

**576.** *Quaer.* Quid sint Episcopi, et quae illorum potestas?

*Resp.* Episcopi sunt pastores qui ad plenitudinem sacerdotii evecti, praesunt clero et populo in certo alicujus provinciae districtu, qui districtus dioecesis nuncupatur. Dicitur *plenitudinem sacerdotii;* nam in Episcopo residet *potestas ordinis,* et quidem in summo gradu. Hinc sub hoc respectu omnes sunt pares tum simplices Episcopi, tum Archiepiscopi, Primates, Patriarchae et Summus Pontifex. Porro potestas ordinis respicit sacramenta et sacramentalia. Hinc relate ad *sacramenta,* potestas ordinis Episcopalis consistit in administratione Confirmationis et Ordinis; relate vero ad *sacramentalia,* in consecratione altarium, ecclesiarum, in benedictione calicum, patenarum, campanarum, ecclesiarum, vestium sacerdotalium,[1] etc.

**577.** Dicitur *praesunt clero et populo;* quae verba denotant potestatem *jurisdictionis.* Et sane Episcopus est *pastor* gregis sibi commissi. Proinde illius officium et munus est dioecesim—tum clerum tum populum—*regere* et *gubernare* in ordine ad vitam aeternam.[2] Quae quidem potestas gubernandi vocatur jurisdictio in foro externo.[3] Porro, ex ipsa sua natura, potestas gubernandi complectitur potestatem leges ferendi pro dioecesi (*legislative power*); leges illas executioni mandandi (*executive power*); inobedientes poenis a lege statutis coercendi (*judicial and coercive power*).

**578.** Jam vero non omnes Episcopi praeficiuntur actualiter regimini alicujus dioecesis. Dantur enim Episcopi titulares,

[1] De Angelis, Prael. l. i. t. 31, n. 18.
[2] Reiff. l. i. t. 31, n. 66.
[3] Cap. Cum Episcopus, de Off. ord. in 6°.

qui dioecesibus quidem praeficiuntur in regionibus infidelium, qui tamen has dioeceses non actualiter sed tantum potentialiter regere possunt.

**579.** *Quaer.* Quo jure potestas tum ordinis tum jurisdictionis competat Episcopis?

*Resp.* Ex dictis patet quod potestas Episcoporum duplex est videlicet *ordinis* et *jurisdictionis.* Jam vero potestas ordinis Episcopis confertur immediate a Deo in Consecratione. Potestas vero jurisdictionis, juxta sententiam verissimam, iisdem datur immediate a Romano Pontifice, et solum mediate—id est, mediante S. Pontifice,—a Deo.[1] (Nostrum *Elements,* vol. I. n. 540.)

**580.** *Quaer.* Utrum jurisdictio Episcoporum sit ordinaria vel solum delegata?

*Resp.* Est ordinaria; et proinde, quamvis sit Romano Pontifici subordinata, non est tamen mera delegatio, quae constituit eos simplices vicarios Romani Pontificis ad ipsius nutum revocabiles.[2] Hinc essentiale existit discrimen inter Episcopos juxta ordinariam et communem regiminis formam constitutos, et Vicarios Apostolicos. Nam Episcopi sunt pastores ordinarii et proprii: Vicarii vero Apostolici sunt pastores delegati, et proinde vicariatum non suo, sed Pontificis nomine administrant. Insuper Episcopi proprii sunt perpetui et inamovibiles; id est, non possunt, ordinarie loquendo removeri absque causa et forma canonica; dum econtra Vicarii Apostolici sunt amovibiles ad nutum Pontificis.[3]

**581.** *Quaer.* Utrum Episcopi, praeter ordinariam, habeant insuper delegatam jurisdictionem?

*Resp.* Ordinaria Episcoporum jurisdictio illa est quae ex ipsa officii et muneris episcopalis natura promanat, et proinde nullo modo sese porrigit ad exercitium potestatis quae S. Pontifici propria est. Verumtamen in pluribus casibus Episcopis a jure et praesertim a Concilio Tridentino potestas Papalis delegata est; et proinde constituuntur Episcopi hoc sub respectu Delegati S. Sedis. Hinc duplex est Episcoporum jurisdictio: una *Episcopalis,* et haec est ordinaria: altera

[1] Schmalzg. l. i. t. 31, n. 26.
[2] Prael. S. Sulp. n. 155.
[3] De Angelis, l. i. t. 31, n. 18.

*Papalis*, et haec est *delegata*, siquidem non competit Episcopis qua talibus, sed qua vices gerentibus S. Pontificis. Delegata autem haec potestas Pontificia potest aequiparari ordinariae. Nam modo stabili annexa est per legem officio episcopali.

**582.** Possunt praeterea habere potestatem Papalem *pure delegatam*, seu ex speciali indulto, quae ut plurimum erit personalis. Sic recipere solent a S. Congr. de Prop. Fide omnes Episcopi in locis Missionum facultates Apostolicas quinquennales dispensandi in impedimentis matrimonii, etc. Primo de ordinaria, et deinde de delegata Episcoporum jurisdictione sermonem instituemus. De potestate ordinis episcopalis, satis loquuntur Dogmatici.

## ART. II.

### JURISDICTIO "ORDINARIA" EPISCOPORUM.

(*Ordinary Jurisdiction of Bishops.*)

**583.** Jam ad actus singulos potestatis jurisdictionis ordinariae quae Episcopis competit ratione officii sui expendendos accedamus. Atqui jurisdictio ordinaria episcopalis in foro externo (nam de jurisdictione in foro interno hic loqui necesse non est) spectat ad externam dioecesis politiam seu administrationem (*the external government of the diocese*), et proinde nihil aliud est quam potestas regendi dioecesim in ordine ad vitam aeternam. Porro potestas regendi necessario complectitur auctoritatem leges ferendi, controversias dirimendi, dyscolos corrigendi et puniendi, et administrandi res dioecesanas. De singulis hisce actibus, pauca proferemus.

### § 1. Potestas Legifera.

(*Legislative Authority.*)

**584.** *Quaer.* Utrum Episcopus habeat potestatem legislativam?

*Resp.* 1° Cum Episcopi positi sint a Spiritu Sancto *regere* Ecclesiam Dei, nemo Catholicorum negat, et Episcopis jus esse jubendi seu ferendi leges pro suis dioecesibus, et unumquemque debere sui Episcopi legibus obtemperare. Quomodo enim posset gubernare dioecesim nisi hanc possideret auctori-

tatem?[1] Hinc Episcopus recte dicitur *legislator* in sua dioecesi.

**585.** 2° Haec potestas legislativa exerceri potest tum extra Synodum dioecesanam, tum in Synodo. Certum est leges in Synodo latas esse perpetuas. *Perpetuas,* inquam, non *immutabiles;* nam abrogari vel immutari possunt ab ipsomet legislatore vel ejus successore. Verumtamen controvertitur an leges ab Episcopo extra Synodum latae perpetuo obligent, vel potius expirent cum morte, renuntiatione, translatione aut depositione Episcopi a quo editae fuerint.[2] Assentimur iis qui affirmant eas perpetuo obligare, tum quia ea est natura legis ut sit perpetua, tum quia leges latae sive in Synodo, sive extra illam, omnem vim ab Episcopo accipiunt.

**586.** 3° Leges in Synodo latae non valent nisi condantur et publicentur cum consilio capituli cathedralis—apud nos, Consultorum dioecesanorum.[3]

**587.** *Quaer.* Quaenam sint res ad quas sese porrigit auctoritas legislativa Episcopi?

*Resp.* 1° Materia super quam Episcopus leges potest condere, est aut reformatio morum, aut conservatio et restitutio disciplinae ecclesiasticae, aut divini cultus nitor, aut conversatio honesta et officia clericorum, aut in genere,—quae pro locorum, personarum et temporum ratione, ad Dei gloriam et salutem animarum conducunt.[4]

**588.** 2° Sed minime potest ferre leges quae juri ecclesiastico communi aut consuetudini universali adversantur. Unde fit ut in usu hujus potestatis episcopalis, regulae et modi servandi sint, quos sacri canones, vel Constitutiones S. Sedis posuerunt.[5] Cavendum insuper est ne immodica et gravis nimium sit sanctio hisce legibus adnexa.[6]

## § 2. Potestas Judicandi et Puniendi.

(*Judicial and Coercive Power.*)

**589.** *Quaer.* Quaenam sit potestas judicialis et coercitiva Episcopi?

[1] Cap. 2, de Const. in 6°.
[2] Nostrum *Elements,* vol. I. n. 568.
[3] Conc. Plen. Balt. III. n. 20.
[4] Cap. 16, de Off. Jud. ord. (i. 30).
[5] De Angelis, l. i. t. 31, n. 20; Sanguineti, p. 234.
[6] Bened. XIV. De Syn. l. 10, c. 1, 2, 3.

*Resp.* 1° Regimen dioecesis quod Episcopo concreditum est, aut nihil aut certe parum valeret, si Episcopi judicandi puniendique potestate carerent. Idcirco causae omnes ad forum ecclesiasticum quoquo modo pertinentes, sive sint beneficiales (*matters relating to ecclesiastical offices*), sive sint matrimoniales, sive denique sint criminales et disciplinares clericorum, ab Ordinario loci seu Episcopo, in prima instantia, cognoscendae atque definiendae sunt.[1]

**590.** 2° In potestate jubendi judicandique penitus insita est potestas *coercitiva* (*power to punish*). Ad quid enim valerent leges, si illarum violatores poenis debitis coerceri non possent? Nonne prorsus inutilis evaderet potestas judicialis, nisi sententia poenalis post judicium prolata, etiam executioni mandari posset? Proinde Episcopus jus habet poenis seu remediis canonicis criminosos et contumaces coercendi. Remedia autem canonica alia sunt *praeventiva,* alia *repressiva.*

**591.** 3° In exercitio tum judicialis tum coercitivae suae potestatis, Episcopus servare tenetur regulas et normas a sacris canonibus, vel Instructionibus S. Sedis praescriptas.[2] Sic Episcopi horum Statuum foedere junctorum servare tenentur (*a*) in cognoscendis et definiendis causis criminalibus et disciplinaribus clericorum, Instructionem S. C. de Prop. Fide *Cum Magnopere* 1884; (*b*) in causis matrimonialibus, Instructionem ejusdem S. Congregationis *Causae Matrimoniales* 1884.

## § 3. Potestas Administrandi.
(*Administrative Power.*)

### I. Potestas Administrativa in Genere.
(*Administrative Power in General.*)

**592.** *Quaer.* In quo consistat potestas administrativa Episcopi?

*Resp.* 1° Jura jurisdictionalia Episcopi duplicem in classem dispertiuntur: (*a*) una complectitur jura quae ex *contentiosa* jurisdictione fluunt, nimirum jus leges ferendi, judicandi et puniendi; (*b*) altera constat iis juribus quae ad *voluntariam*

[1] Conc. Trid. sess. 20, c. 24, de Ref.

[2] C. Trid. sess. 13, c. i. de Ref.; Soglia, vol. I. § 57; De Brab. n. 349.

jurisdictionem spectant; tale est jus administrandi, de quo jure nunc breviter dicendum est.

**593.** 2° Administrare in casu est spiritualem curam totius dioecesis gerere, resque ad Dei cultum et pietatis opera pertinentes disponere, diligenterque curare. Patet autem Episcopum administrandi potestatem habere; secus enim nullo modo, dioecesim suam regere ac gubernare posset. Porro ex hoc jure administrandi, Episcopus (*a*) curat piarum voluntatum executionem (*sees to the execution of last wills and testaments made in favor of religious and charitable purposes*); (*b*) parochias (apud nos, missiones) erigit, dividit, et unit, servatis sacrorum canonum regulis; (*c*) Ecclesiis parochialibus (apud nos, missionibus) et aliis officiis ecclesiasticis suae dioecesis, clericos idoneos praeponit, juxta sacros canones; (*d*) Deligit eos, qui clericali militiae adscribi vel ordinibus initiari postulant; (*e*) litteras dimissorias vel ad ordinationem vel ad discessum e dioecesi concedit; (*f*) Synodum dioecesanam convocat; (*g*) Seminarium erigit, et administrat; (*h*) invigilat rectae administrationi bonorum temporalium ecclesiarum et locorum piorum; (*i*) necnon multa alia hujusmodi praestat quae suis locis notentur. De praecipuis hisce juribus, nunc pauca proferamus.

### II. Potestas Administrandi Bona Temporalia.
### (*Power to administer the Diocesan Property.*)

**594.** *Quaer.* Quid potestatis habeat Episcopus, etiam apud nos, circa bonorum temporalium suae dioecesis administrationem?

*Resp.* 1° Penes Episcopum est tutela et superior administratio bonorum Ecclesiasticorum totius dioeceseos. Hinc ad ipsius munus pertinet invigilare, ut in singulis locis suae jurisdictioni subjectis bona ecclesiastica caute sapienterque administrentur. Proinde quilibet Episcopus etiam horum Statuum debet a rectoribus Missionum, et saecularibus et regularibus (ad normam Const. *Romanos Pontifices*), locorum piorum praepositis aliisque rei ecclesiasticae curatoribus,[1] plenam et

[1] Conc. Trid. sess. 22, c. 9, de Ref.

perspicuam administrationis rationem singulis annis districte exigere.[1]

**595.** 2° Caeterum in hac administratione gerenda servare debent Praesules, etiam in his regionibus, jus commune circa ea quae fieri debent cum consilio Consultorum dioecesanorum, qui loco Capituli Cathedralis sunt,[2] potissimum quoad venditiones et hypothecas (*mortgages*) necnon ea omnia quae speciem alienationis praeseferunt.[3]

**596.** 3° Quum securitas bonorum ecclesiasticorum in hisce Statibus Unitis a dispositione legum civilium plane dependeat, debet Episcopus modum determinare a lege civili agnitum, quo hujusmodi bona, coram lege civili, tuto possideri, conservari ac ad successores in officio transmitti possunt. Quinam autem sint tales modi, videre est in Concilio Plenario Baltimorensi III. n. 267, 268.

### III. Jura quoad Seminarium.

(*Rights respecting the Diocesan Seminary.*)

**597.** *Quaer.* Quid potestatis et officii habeat Episcopus circa Seminarii administrationem?

*Resp.* 1° Seminaria (*seminaries*) sunt collegia (*colleges, schools*) in quibus pueri seu juvenes, quorum indoles et voluntas spem afferunt, eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros, aluntur et educantur.[4] Multis in dioecesibus seu provinciis, duo seminaria separatim existunt; (*a*) unum videlicet *majus,* seu theologorum, in quo theologia traditur (*theological seminary*); (*b*) alterum *parvum* seu *minus,* junioribus destinatum, ac humanioribus litteris (*classics, etc.*) inculcandis consecratum (*preparatory seminary*).[5]

**598.** 2° Supremum Seminarii regimen, tum spirituale tum temporale, spectat ad Episcopum. Verum cum ea res acrem curam diligentiamque requirat, tenetur Episcopus de jure communi duas sibi adjungere Commissiones (*committees*) quarum consilio utatur in seminarii regimine. Prima Commissio est

[1] Conc. Pl. Balt. III. n. 272.
[2] Zitelli, l. c. p. 50.
[3] Nostrum *Elements,* vol. I. pp. 486–490, *editio sexta.*
[4] Conc. Trid. sess. 23, c. 18, de Ref.
[5] Cf. Conc. Pl. Balt. II. n. 175; Conc. Pl. Balt. III. n. 139.

pro spirituali administratione. Componitur ex duobus canonicis Ecclesiae Cathedralis, qui eliguntur ad hoc ab Episcopo solo. Semel electi, perpetui seu inamovibiles sunt. Eorum Consilium exquirere debet Episcopus praecipue (*a*) in constituendis regulis generalibus seminarii;[1] (*b*) in electione magistrorum, librorum legendorum; (*c*) in admissione et expulsione alumnorum;[2] (*d*) necnon in iis quae ad alumnorum institutionem, disciplinam, vitam, moresque pertinent.[3]

**599.** 3° Secunda Commissio (*the second committee*) est pro administratione temporali Seminarii. Hanc componunt quatuor deputati, scilicet duo canonici ecclesiae cathedralis, quorum alter ab Episcopo, alter vero ab ipso capitulo eligitur; et duo de clero, quorum quidem alterius electio ad Episcopum, alterius vero ad clerum pertinet.[4] Semel deputati, perpetui seu inamovibiles sunt. Eligi autem non possunt inter professores vel directores seminarii, ne sint partes simul et judices.[5]

Opus est ut Episcopus hujus secundae commissionis consilium exquirat praesertim (*a*) circa taxationem contributionis ab ecclesiis parochialibus, aliisque officiis exigendae;[6] (*b*) circa fabricam seminarii instituendam, reparandam et augendam (*in regard to building, repairing and enlarging the seminary*); (*c*) in expensis quotidianis, salario praeceptoribus et ministris solvendo; uno verbo, in omni temporali administratione. Insuper haec secunda Commissio recognoscit (*audits or examines*) singulis annis, rationes redituum et expensarum seminarii (*annual financial statement*). Debet Episcopus harum Commissionum consilium adhibere pro valore actus; non autem tenetur illud sequi.[7]

**600.** 4° Pro hisce Statibus Unitis, statuit Concilium Plenarium Baltimorense III. n. 179, "ut pro unoquoque Seminario, sive minori, sive majori, duo saltem constituantur deputati, unus pro spiritualibus, uti est institutio, disciplina et mores clericorum, alter pro temporalibus. Ejusmodi deputati eligendi erunt pro Seminariis dioecesanis ab Episcopo de Con-

[1] Conc. Trid. sess. 23, c. 18, de Ref.
[2] Bouix, de Episc. vol. II. p. 71.
[3] De Brab. n. 861.
[4] Conc. Trid. l. c.
[5] De Brab. n. 861.
[6] Conc. Trid. sess. 23, c. 18, de Ref.
[7] Bouix, de Episc. vol. II. p. 71.

silio Consultorum, pro provincialibus ab Episcopis provinciae collegialiter."[1] (Nostrum *Elements*, vol. I. pp. 317, 319, 478, 479, *editio sexta*, 1888.)

### IV. Potestas circa Synodum Dioecesanam.

(*Power with Reference to the Diocesan Synod.*)

**601.** *Quaer.* Quid possit Episcopus circa Synodum dioecesanam?

*Resp.* 1° Synodus dioecesana est legitima congregatio (*assemblage*) ab Episcopo coacta ex Presbyteris et clericis suae dioecesis, aliisque qui accedere ad eam tenentur,[2] in qua de his quae ad curam pastoralem spectant, agendum et deliberandum est.[3]

**602.** 2° Solus Episcopus est legislator in Synodo dioecesana. Attamen, si inconsulto capitulo cathedrali—apud nos, Consultoribus dioecesanis, qui sunt loco capituli cathedralis[4]—in Synodo leges ediderit atque promulgaverit, illae profecto, utpote deficientes a norma a jure praescripta, firmitate carebunt.[5] Caeteri sacerdotes et clerici qui Synodo intersunt, nullo stricto jure voti in Synodo, etiam in hisce regionibus, potiuntur, nisi (*a*) in electione examinatorum synodalium vel prosynodalium,[6] (*b*) necnon membrorum Commissionum Investigationis, ubi istae adhuc existunt, (*c*) et Consultorum Dioecesis.[7]

**603.** 3° Juxta Concilium Plenarium Baltimorense III., sequentia negotia commemorantur inter negotia quae apud nos in Synodis sunt pertractanda: (*a*) Expensae visitationis episcopalis;[8] (*b*) Electio examinatorum synodalium;[9] (*c*) Electio Commissionis Investigationis;[10] (*d*) Sacerdotum lapsorum sustentatio;[11] (*e*) Salaria rectorum et vicariorum;[12] (*f*) Jura stolae.[13]

[1] Cf. Conc. Pl. Balt. III. n. 20.

[2] Cf. Conc. Trid. sess. 24, c. 2, de Ref.

[3] Bened. XIV. De Syn. l. i. c. i. n. 4.

[4] Conc. Pl. Balt. III. n. 20.

[5] Bened. XIV. De Syn. l. 3, c. 12, n. 7; l. 13, c. 1, n. 16; cf. De Brab. n. 379.

[6] Conc. Pl. Balt. III. n. 25.

[7] Ib. p. 289.

[8] Ib. n. 14.

[9] Ib. n. 25.

[10] Ib. p. 289.

[11] Ib. n. 72.

[12] Ib. n. 273.

[13] Ib. n. 294.

Consultores dioecesani (*diocesan consultors*) eliguntur in hac regione, ab Episcopo, ea tamen ratione, ut dimidiam partem eligat ex sese, alteram vero partem nonnisi post propositionem cleri. Haec propositio ex parte cleri tum in Synodo tum extra eam fieri potest.[1]

**604.** *Quaer.* Utrum liceat appellare, etiam apud nos, contra decreta in Synodo lata?

*Resp.* Licet cuilibet e dioecesi appellare in devolutivo contra decreta synodalia. Imo, fas est regularibus ad S. Sedem provocare in devolutivo contra decreta quae de jure communi, sive ordinario sive delegato, regulares etiam afficiunt; quo vero ad caetera decreta, etiam *in suspensivo.*[2] (Nostrum *Elements,* vol. I. n. 563–567.)

### V. Potestas Episcopi quoad Clericorum tum Excardinationem tum Incardinationem.

(*Power of Bishops to dismiss from or admit Ecclesiastics into their Diocese.*)

**605.** *Quaer.* An Episcopus sacerdotibus, aliisque clericis dioecesis suae litteras excorporationis (*exeats*) negare possit, si istas alio discessuri, vel dioecesis mutandae causa petant?

*Resp.* 1° Ante omnia praenotandum est, hujusmodi litteras excorporationis nunquam operari excorporationem a propria dioecesi *nisi excorporatus consentiat.* Nam lex Ecclesiae sic se habet: "Episcopus subjecto sibi sacerdoti vel alii clerico, *nisi ab ipso postulatus,* dimissorias non faciat, ne ovis quasi perdita aut errans inveniatur."[3] Quare dicitur in quaestione *si . . . petant.*

**606.** 2° Hisce praemissis, sic respondeo: Distinguendum est inter clericos *certo loco non adscriptos* (*ecclesiastics not attached to any particular place or church*) et inter *adscriptos aut beneficio donatos.* Jam vero clericus qui certo loco non est adscriptus non potest regulariter invitus retineri in dioecesi ab Episcopo. Hinc Episcopus tenetur hujusmodi clerico dare litteras excorporationis, si has petat. Idem dicendum est de clericis qui habent officium, sed non residentiale.[4] Talis

[1] Conc. Pl. Balt. III. n. 18.

[2] Leo XIII. Const. *Romanos Pontifices* 1881, § Proxima; cf. Bened. XIV. De Syn. l. 5, c. 12; l. 13, c. 5, n. 2.

[3] Can. 1, dist. 72.

[4] S. C. EE. et RR. 8 Maii 1716.

clericus tenetur, antequam discedit petere ab Episcopo proprio licentiam, quam ille denegare non potest. Dicitur *regulariter;* quia excipitur casus necessitatis dioecesis. Sed in hoc casu Episcopus tenetur eos providere de congrua sustentatione.[1]

**607.** 3° Si vero alicui Ecclesiae vel loco pio adscripti sunt, tunc invito Episcopo, discedere non possunt; et proinde Episcopus istis denegare potest litteras excorporationis. Attamen tales clerici habent jus ad congruam sustentationem.[2]

**608.** *Quaer.* Quid juris in hisce Statibus quoad excorporationem clericorum?

*Resp.* 1° Subdiaconi, diaconi et sacerdotes apud nos qui titulum missionis adepti sunt, non possunt ab Episcopo excardinari, nisi accedat consensus S. Congregationis de Prop. Fide, sive juramentum emiserint, sive non.[3] Ita expressis verbis declaravit S. C. de Prop. Fide, in sua Instructione de *titulo ordinationis,* 27 Aprilis 1871. Haec autem obligatio S. Sedis consensum exquirendi, apud nos neque innotescebat, neque vigebat ante annum 1871. Imo, etiam per plures annos post editam Instructionem S. Sedis de titulo ordinationis, 27 Apr. 1871, obligatio illa de consensu S. Sedis exquirendo, neque omni sub respectu intellecta, neque observata fuit, saltem plerisque in locis. Dicitur *sive juramentum emiserint sive non;* patet ex responsione S. C. de Prop. Fide, 4 Febr. 1873, ad $5^{m}$.[4]

2° Diximus *qui titulum missionis;* nam quoad caeteros clericos, v.g. illos qui habent titulum patrimonii, idem dicendum est ac de clericis in quaestione praecedenti. Quapropter ab Episcopo excardinari possunt absque S. Sedis consensu, non tamen absque proprio consensu.

Nullo autem in casu dandae sunt hae litterae dimissoriales,

[1] S. C. C. in Reat. 26 Januar. 1833; 12 Junii 1604.

[2] S. C. C. *Amerin.* 8 Maii 1756; De Angelis, l. i. t. 22, n. 5.

[3] S. C. de Prop. Fide, Inst. de tit. ord. 27 Apr. 1871, § 11; Conc. Pl. Balt. III. n. 61, 64. *Possunt* tamen hodie praedicti clerici ad aliam transire dioecesim *intra eamdem provinciam ecclesiasticam* absque S. Congregationis consensu. (Decretum S. Congr. de P. Fide 30 Nov. 1885; Conc. Pl. Balt. III. sp. civ.)

[4] Apud Conc. Pl. Balt. III. p. 211.

nisi certo constat clericum ab alio Episcopo in dioecesim fore admittendum.[1]

**609.** *Quaer.* Quid potestatis Episcopo, etiam apud nos, competat circa incardinationem (*admission into the diocese*) clericorum?

*Resp.* Diversae dioeceses ac Provinciae ecclesiasticae non sunt nisi totidem partes unius ejusdemque christianae societatis, quae per universum orbem diffusa est.[2] Hinc neque legi neque menti Ecclesiae contraria est praxis, quod aliquando justis de causis, clericus uni dioecesi vi ordinationis vel incardinationis adscriptus, ad aliam transeat.[3] Proinde Episcopus potest sacerdotem alienum in suam dioecesim cooptare. Modus autem quo id fieri potest ac debeat, etiam hac in regione, duplex est: Unus *formalis,* alter *praesumptus.*

**610.** *Quaer.* Quae sit incardinatio formalis etiam apud nos?

*Resp.* Vide Concilium Plenarium Baltimorense III. n. 63 sq.; nostrum *Elements,* vol. I. n. 589, editio 6ª.

**611.** *Quaer.* Quae sit incardinatio praesumpta?

*Resp.* Vide Concilium Plenarium Baltimorense III. n. 66 sq.

### VI. Potestas Vicarios Parochiales constituendi.
### (*Right to appoint Assistant Priests.*)

**612.** Duplex praecipue datur apud nos species horum vicariorum seu coadjutorum parochi (*assistants of rectors*): Prima est eorum qui dantur parocho, eo quod is, sive ob aliquam perennem animi aut corporis infirmitatem,[4] sive ob necessariae scientiae defectum, reperitur inhabilis ad gerendam convenienter curam animarum.[5] Secunda classis est eorum sacerdotum qui deputantur ad auxiliandum parocho (apud nos, rectori missionis), eo quod ita numerosus sit populus, ut solus parochus non possit sufficere sacramentis ministrandis et cultui divino peragendo.[6]

[1] Conc. Pl. Balt. III. n. 67.
[2] De Angelis, l. i. t. 22, n. 6.
[3] Cf. Conc. Pl. Balt. III. n. 62.
[4] Cap. 3, 4, de Cler. aegr. (iii. 6).
[5] Conc. Trid. sess. 21, c. 6, de Ref.
[6] Conc. Trid. sess. 21, c. 4, de Ref.

**613.** *Quaer.* Utrum horum adjutorum nominatio pertineat ad Episcopum?

*Resp.* 1° Ad Episcopum etiam tanquam Sedis Apostolicae Delegatum spectat rectori *illiterato et imperito,* qui alias honestae est vitae, coadjutorem aut vicarium pro tempore deputare (*appoint*).

**614.** 2° Nominatio (*the appointment*) coadjutorum, qui dantur rectori propter multitudinem parochianorum, pertinet, de jure communi, ad parochum non vero ad Episcopum.[1] Attamen ad Episcopum spectat hos vicarios a parocho electos, approbare. Ubi vero parochus, sponte sua, adjutorem sibi assumere recusat, potest ad id cogi ab Episcopo, etiam tanquam Apostolicae Sedis delegato. Si autem rector, etiam apud nos, existimat, aut vicarium, aut vicariorum numerum qui ipsi ab Episcopo imponitur, non esse necessarium, potest ab hoc gravamine appellare *in devolutivo.*[2] Cf. nostrum *Elements,* vol. I. n. 604, 670.

### VII. Potestas Episcopi quoad Congruam tum Rectorum tum Adjutorum.

(*Power of Bishops relative to the Support of Rectors and their Assistants.*)

**615.** *Quaer.* Quid possit Episcopus circa congruam (*the support*) adjutoribus assignandam?

*Resp.* Ad Episcopum pertinet adjutoribus, qui rectoribus dantur, eo quod sint imperiti et illiterati, congruam partem fructuum, redituum, emolumentorum et proventuum parochiae seu officii pro sufficienti victu seu sustentatione assignare.[3] Dicitur primo *congruam partem* (*a sufficient or proper share of the income*). Porro taxatio hujus portionis congruae relinquitur, certis sub conditionibus, arbitrio Episcopi,[4] habito respectu ad qualitatem personae, loci, temporis, et ad abundantiam, seu paupertatem fructuum et redituum Ecclesiae.[5]

[1] Conc. Trid. sess. 21, c. 4, de Ref.; Innoc. XIII. Const. *Apostolici Muneris;* Bened. XIII. Const. *In superno;* Bouix, de Par. p. 438; de Episc. t. 2, p. 328.

[2] Bened. XIV. Const. *Ad Militandis,* § 11; nostrum *New Procedure,* pp. 190, 267.

[3] Conc. Trid. sess. 21, c. 6, de Ref.

[4] Cf. De Angelis, l. i. t. 28, n. 4.

[5] Cf. Conc. Trid. sess. 7, c. 7, de Ref.

**616.** Dicitur insuper *redituum seu proventuum paroeciae* (*the income or revenues of the parish or mission*); pro hujusmodi autem reditibus non sunt intelligenda emolumenta,[1] quae omnino sunt incerta, uti sunt missarum stipendia, funeralia (*funeral dues*), jura stolae (*perquisites of baptisms and marriages*) et similia.[2]

**617.** Dicitur ultimo, *qui dantur rectoribus, eo quod sint imperiti et illiterati.* Quaeritur utrum idem dicendum sit de adjutoribus qui parochis dantur, eo quod populus ita numerosus sit, ut unus rector non sufficiat? Bouix prorsus affirmat.[3] Concilium Tridentinum de hoc casu silet.[4] Cf. nostrum *Elements*, vol. I. n. 604–606, *editio sexta.*

**618.** *Quaer.* Quaenam sit hisce in regionibus lex et consuetudo circa congruam (*proper support*) tum rectoris tum ejus adjutoris?

*Resp.* 1° Coadjutores rectorum generatim eliguntur ab Episcopo, audito tamen multoties parocho.

2° Singuli rectores et eorum adjutores recipiunt congruum salarium annuum, cujus quantitas determinatur ab Episcopo, et quidem ex fructibus seu reditibus paroeciae seu missionis. Fere ubique, apud nos, varium est in variis dioecesibus. In nonnullis dioecesibus, praecipue ad orientem vergentibus (*Eastern dioceses*) singuli rectores octingenta ($800) vel mille scutata ($1000) habent per annum; singuli vero adjutores vel quadringenta ($400) vel sexcenta ($600). In aliis vero hujus regionis dioecesibus, praecipue occidentalibus et meridionalibus (*in the Western and Southern dioceses*), ubi proventus ecclesiastici haud abundant, tum rectores tum eorum adjutores minora habent salaria annua.

3° Jura vero stolae (*perquisites*), id est, eleemosynae, quas fideles occasione administrationis baptismi et matrimonii sponte offerunt, ad rectorem spectant, et ab illo solo, non vero ab adjutoribus, administrantur.[5] Hisce emolumentis stolae tenetur

[1] De Angelis, l. c.
[2] S. C. C. in Papiens. 2 Martii 1722.
[3] Bouix, de Episc. vol. II. p. 328.
[4] Cf. Conc. Trid. sess. 21, c. 4, de Ref.
[5] Cf. Conc. Pl. Balt. II. n. 90, 94.

rector expensas domus parochialis—idest victum (*victuals, table, board*) tum parochi tum coadjutoris—ferre.[1]

4° In aliquibus dioecesibus etiam permittitur ut, quando stolae obventus ad domus expensas ferendas haud sufficiant, collectae quae fiunt diebus Nativitatis Domini aut Paschatis, adhiberi possunt ad supplendum quod deest.

5° Emolumenta funeralia (*funeral dues or offerings*), apud nos, uti in Europa, spectant ad Rectorem, dempto tamen stipendio missae celebranti tribuendo, necnon expensis candelarum, etc., ecclesiae paroeciali cedendis.

### VIII. Potestas Episcopi Taxas exigendi.

### (*Right of the Bishop to impose Assessments or Collections.*)

**619.** Quemadmodum S. Pontifex jus habet in tota Ecclesia subsidia exigendi, ita et Episcopus potestate pollet subsidia a suis subditis postulandi ad necessitates dioecesanas sublevandas. Porro hujusmodi taxae seu collectae referri possunt vel ad Cancellariam episcopalem, vel ad alias dioecesis et Episcopi necessitudines. Hinc primo de obventibus Cancellariae, deinde de aliis subsidiis breviter pro more agemus.

#### QUAESTIO I. TAXAE CANCELLARIAE EPISCOPALIS.

#### (*Taxes or Fees of the Diocesan Chancery.*)

**620.** *Quaer.* Quid sit Cancellaria Episcopalis?

*Resp.* Cancellaria Episcopalis est tribunal Episcopi per quod litterae Episcopales conficiuntur, scribuntur et expediuntur.[2] Litterae autem Episcopales duplicis sunt generis: (*a*) aliae respiciunt res gratiosas, v.g. dispensationes ab impedimentis matrimonii, facultates sacerdotales; (*b*) alia vero pertinent ad res contentiosas, seu actus judiciales. Proinde recte dici potest Episcopum, etiam apud nos, totam fere jurisdictionem—tum voluntariam tum contentiosam exercere per suam Cancellariam. Hinc, etiam hisce in regionibus, omnes petitiones pro facultatibus, dispensationibus, etc., ad Cancellarium dirigendae sunt. In unaquaque Cancellaria, etiam apud nos, archivium seu tabularium (*diocesan archives*) erigi debet

[1] Cf. Statuta Dioec. Novarc. 1878, p. 95.
[2] Cf. R. de M. Inst. vol. I. p. 301.

ab Episcopo, in quo scripturae, instrumenta, inventoria, etc., custodiantur et cujus cura Cancellario credatur.[1] Insuper scripturae et instrumenta quae conficiuntur et rogantur (*which are made out and attested or certified to*) a Cancellario Episcopi, tanquam Cancellario, servari debent in Episcopi Cancellaria, non autem debent alio transferri.[2]

**621.** Quoad hosce Status Foederatos notandum est sequens decretum Concilii Pl. Balt. II. n. 71: "Visum est Patribus valde expedire, ut in unaquaque dioecesi Cancellariam statuat Ordinarius, pro faciliore rerum ecclesiasticarum administratione, et ad stabilem in iis negotiis agendi normam consequendam."

**622.** *Quaer.* Quae sit norma sequenda quoad taxas Cancellariae?

*Resp.* Editum est auctoritate Innocentii XI. decretum,[3] quo declaratur an et quale emolumentem exigi aut acceptari possit, tum pro variis Cancellariae Episcopalis actibus et scripturis (*papers*), tum pro aliis praestandis ecclesiasticis officiis.[4] Porro die 8 Oct. 1678, S. C. C., inhaerendo mandatis Sanctitatis suae, censuit praemissam taxam ad quoscunque locorum Ordinarios transmittendam esse, ut eam in Cancellaria in loco omnibus patenti retineri faciant, eamdemque adamussim observent ac observari faciant.[5] Taxa autem haec non est nisi reassumptum (*a summary or resumé*) ordinationum sacrorum canonum et Sacrarum Congregationum Romanarum.

**623.** *Quaer.* Utrum decretum Innocentii XI. taxam constituat pro omnibus omnino scripturis et instrumentis Cancellariae Episcopalis?

*Resp.* Taxa Innocentiana ad solas pertinet causas et res *gratiosas*, non vero *contentiosas*.[6] Quamvis autem nullam generalem taxam statuat taxa Innocentiana pro causis contentiosis, sive sint criminales et disciplinares, sive civiles vel mixtae,[7] attamen aliis decretis S. Sedes saepe saepius determi-

[1] Conc. Pl. Balt. III. n. 271, 276.
[2] S. C. C. in una Civit. Cast. 19 Sept. 1625; Ferr. v. Cancellarius, n. 20.
[3] Hinc hoc decretum vocari solet *taxa Innocentiana*.
[4] Vide hoc decretum apud Ferraris v. *taxa*. [5] Craiss. Man. n. 1051.
[6] Tax. Innoc. Prooem.; Sanguineti, l. c. p. 346.
[7] Bouix, de Episc. vol. II. p. 310.

navit quid Cancellarius accipere possit pro actibus et scripturis in causis contentiosis.[1]

**624.** *Quaer.* Quaenam sint praecipuae dispositiones Decreti Innocentii XI.?

*Resp.* Hoc decretum respicit, uti jam diximus res *gratiosae* jurisdictionis, videlicet collationem ordinum (*the conferring of orders by the Bishop*), dispensationes ab impedimentis matrimonii, et alia hujusmodi. De singulis hisce actibus pauca dicemus.

**625.** *Quaer.* Quid statuat taxa Innocentiana quoad ea quae sacram ordinationem respiciunt?

*Resp.* 1° Potest ordinans recipere oblationem candelae, ut habetur in Pontificali. 2° Nihil aliud exigi aut etiam sponte oblatum recipi potest ab Episcopo, aut ab ipsius Vicario generali, aliisve officialibus, sive pro ipsa tonsurae et ordinum collatione, sive pro concessa facultate ordines recipiendi ab alio Episcopo, sive pro litteris quibus fides fit de receptis ordinibus, aut similibus qui ordinationem respiciunt actibus. 3° Ab hac tamen regula excipiendus est Cancellarius Episcopalis.[2] Nam in locis in quibus non viget laudabilis consuetudo nihil accipiendi, Cancellarii pro singulis litteris dimissorialibus, aut collatos ordines testantibus, decimam partem unius scuti romani (10 *cents*) accipere possunt.[3]

**626.** *Quaer.* Quid disponat taxa Innocentiana in materia beneficiali?

*Resp.* 1° Pro collatione beneficiorum (*for the appointment to ecclesiastical offices or to parishes and missions*), nihil exigere aut recipere possunt Episcopus aut ejus officiales, excepto Cancellario. 2° Cancellarius pro conficiendis instrumentis sive collationis sive captae possessionis (*letters of appointment or of installation*) exigere potest certam mercedem, dummodo decimam aurei partem (10 *cents*) non excedat.[4]

**627.** *Quaer.* Quid in taxa Innocentiana occurrat circa erectiones et benedictiones ecclesiarum, confraternitatum, etc.?

[1] Ferrar. v. Cancellarius, n. 16, 17; Bouix, l. c. p. 314.

[2] Taxa Innoc. § Nella materia delli ordini; Ferraris, v. *taxa.*

[3] Cf. Bouix, de Episc. vol. II. p. 307.

[4] Taxa Innoc. § Nella materia de Benefici.

*Resp.* 1° Pro novis fundationibus et erectionibus (*for canonically founding and erecting*) ecclesiarum, confraternitatum, etc., necnon pro benedictionibus, consecrationibus, visitatione et approbatione ecclesiarum et oratoriorum, nihil omnino emolumenti percipere potest Episcopus, ejusve Vicarius generalis, aut alii officiales, excepto Cancellario. 2° Cancellarius exigere potest mercedem labori impenso congruam, ita tamen ut scutum aureum ($1.00) non excedat.[1]

**628.** *Quaer.* Quid statuat taxa Innocentiana quoad ea quae matrimonium respiciunt?

*Resp.* 1° Pro executione dispensationum Apostolicarum (*dispensations from impediments granted by virtue of Papal indult*),[2] pro testimonio de statu libero, pro dispensatione publicationum (*dispensation from the banns of marriage*) et hujusmodi, nihil emolumenti percipere potest Episcopus, aliive officiales, excepto Cancellario. 2° Cancellarius pro executione dispensationum (*letters granting dispensations*) tres decimas partes scuti romani (30 *cents*), pro testimonio de statu libero decimam partem scuti romani (10 *cents*), et sic cum proportione de aliis exigere potest.[3]

**629.** *Quaer.* Quid disponat taxa Innocentiana in iis quae sacramentorum administrationem, etc., respiciunt?

*Resp.* 1° In iis quae sacramentorum respiciunt administrationem, nempe baptismi, confirmationis, poenitentiae, eucharistiae et extremae unctionis, v.g. pro examine et approbatione ad confessiones audiendas, pro licentia eadem sacramenta administrandi, pro licentia praedicandi, missam celebrandi, nihil emolumenti exigere aut etiam sponte oblatum acceptare potest Episcopus, aliive ejus officiales. 2° Nec ipsi Cancellario pro conficiendis scripturis hasce licentias continentibus, licet aliquid exigere aut recipere.

**630.** *Quaer.* Utrum taxa Innoc. liget etiam extra Italiam?

*Resp.* Controvertitur. Quidquid sit de hac controversia,

[1] Taxa cit. § Generalmente.

[2] Pro nonnullis tamen dispensationibus exigenda est eleemosyna, juxta alias S. Sedis provisiones. Cf. nostrum *Elements*, n. 600.

[3] In hisce Statibus, in aliquibus dioecesibus, exigitur a Cancellario scutum romanum ($1.00) pro singulis hujusmodi scripturis.

prae oculis habendum est, ea quae statuta sunt in hac taxa, apprime consentire tum Sacris Canonibus, tum Concilio Tridentino, tum declarationibus S. C. C. Proinde dicendum est hanc taxam optimam esse normam directivam pro omnibus Episcopis in constituendis emolumentis in sua Cancellaria Episcopali. Imo melior adhuc dici debet eorum Episcoporum praxis qui Sedis Apostolicae approbationi taxas a se constitutas subjiciunt.[1]

**631.** *Quaer.* An et quatenus Episcopus possit de proventibus Cancellariae suae disponere?

*Resp.* Episcopus non potest absque speciali S. Sedis indulto, eos ad proprios usus convertere. Hinc, post solutum Cancellario et aliis ministris Cancellariae salarium suum, ac deductis insuper expensis pro ipsa Cancellaria factis, si quid ex emolumentis remaneat, id causis piis (*charitable uses*) est impendendum.[2]

### QUAESTIO II. CAETERAE TAXAE DIOECESANAE.

(*The other Diocesan Contributions.*)

**632.** Caeterae taxae (*contributions, assessments, collections*) quas Episcopus exigere potest, duplicis sunt generis: (*a*) *ordinariae,*[3] seu illae, quae *singulis annis,* vel statis temporibus exiguntur; (*b*) *extraordinariae,* seu eae quae non singulis annis, nec aliis certis ac determinatis temporibus, sed ingruentibus extraordinariis necessitatibus solvi debent. Taxa ordinaria (*ordinary or regular contributions*) vocatur census; taxa vero extraordinaria (*special contributions*) appellatur exactio vel subsidium charitativum.

**633.** *Quaer.* Quid sit taxa ordinaria?

*Resp.* Taxa ordinaria seu census est pensio annua (*a yearly contribution*) quae ex redditibus ecclesiasticis solvitur Episcopo, vel ejusdem auctoritate et justa de causa, aliis.[4] Dicitur *vel aliis;* nam pensiones seu census, non solum Episcopis, verum etiam aliis, v.g. patronis, in agnitionem fundationis, tribuuntur. Loquimur autem solummodo de pensione quae Episcopo solvitur.

[1] Cf. Conc. Pl. Balt. III. n. 294, Sanguineti, p. 384.
[2] Nostrum *Elements,* vol. I. n. 601.
[3] Reiff. l. 3, t. 39, n. 10–18.
[4] Sanguineti, p. 343.

**634.** *Quaer.* Quotuplex sit census seu taxa ordinaria?

*Resp.* 1° Dividitur census in antiquum et novum. Census *antiquus* (*old yearly contributions*) ille dicitur, qui (*a*) ab initio, tempore fundationis aut consecrationis, ecclesiae imponitur, (*b*) vel debetur ipso jure. *Novus* (*new yearly tax*) vero ille est qui post fundationem aut consecrationem (*after the founding or consecrating of the church*), ab initio non impositus, nec ipso jure debitus (*nor due by the sacred canons*), primum imponitur.[1]

2° Census vero, sive antiquus sive novus, dividitur in temporalem et perpetuum. Perpetuus (*perpetual yearly tax*) est, quo ecclesia in perpetuum gravata et obligata manet. Temporalis (*temporary yearly tax*) vero est, qui solum ad certum tempus singulis annis ab ecclesia praestari debet.[2]

**635.** *Quaer.* Quamnam potestatem habeat Episcopus censum seu taxam ordinariam imponendi Ecclesiis?

*Resp.* 1° Episcopo licet censum antiquum (i.e. quando Ecclesiam aliquam consecrat, vel quando sacri canones censum expresse permittunt) imponere tum pro se tum pro aliis.[3] 2° Praeter hos casus, census ab Episcopo *novus* (*a new ordinary contribution*) imponi nequit, neque etiam potest antiquus *augeri*, nisi accedente Sedis Apostolicae venia. En verba legis: "Prohibemus ne ab Episcopis *novi census* imponantur ecclesiis, nec *veteres augeantur*."[4]

**636.** *Quaer.* Quinam sint census antiqui, seu taxae ordinariae, quae ex hodierna Ecclesiae disciplina exigi possunt ab Episcopis, etiam in his Statibus?

*Resp.* 1° *Cathedraticum*[5] (*the Bishop's Cathedraticum*), quod recte definitur ut certa pensio (*a certain sum of money*) singulis annis Episcopo solvenda, in signum subjectionis et reverentiae, vel etiam ad episcopalis officii munera obeunda.[6] In regionibus Catholicis ubi Episcopi congruam accipiunt sustentationem ex aliis redditibus—v.g. ubi salarium vel a civili

[1] De Angelis, l. 3, t. 39, n. 1.
[2] Reiff. l. c. n. 4.
[3] Can. 30, c. 18, q. 2.
[4] Cap. 7 (iii. 39); De Angelis, l. 3, t. 39, n. 1; Sanguineti, l. c. n. 453.
[5] Cap. 16, de Off. ord.; can. 1, c. 10, q. 3.
[6] De Angelis, l. c. n. 2; Soglia, vol. II. p. 20.

gubernio, vel ex fundationibus recipiunt—Cathedraticum datur praecipue in signum subjectionis, et proinde in modica quantitate. Apud nos vero,[1] Cathedraticum Episcopo solvitur etiam ad congruam ei sustentationem, saltem ex parte,[2] suppeditandam, et proinde in majori quantitate.

**637.** 2° *Procuratio* (*food and lodging on occasion of the episcopal visitation*), id est, victualia, vel aequipollens pecuniae summa, quae Episcopo ejusque comitatui subministranda sunt ab ecclesiis (apud nos, a singulis missionibus seu quasi-parochiis),[3] in visitatione dioecesis.[4]

**638.** 3° *Seminaristicum* (*contributions for the diocesan seminary*) seu subsidium pro seminario dioecesano. Definitur ut certa pecuniae summa ab ecclesiis (apud nos, a singulis missionibus seu quasi-paroeciis),[5] singulis annis solvenda, ad seminarii dioecesani sustentationem.[6] Dicitur *singulis annis;* et quidem non perpetuo, sed tamdiu tantum donec seminarium sufficienter sit fundatum vel provisum, vel aliunde habeat unde sustentetur. Tunc enim vel ex parte vel ex toto cessare debent portiones prius dari solitae.[7] Portio vero seu quantitas quae singulis imponitur ecclesiis determinatur ab Episcopo cum consilio (*with the advice*) deputatorum pro seminario,[8] etiam apud nos.[9]

Quoad caeteras taxas ordinarias, quae tamen hodie in desuetudinem abierunt, vide nostrum *Elements,* vol. I. n. 609.

**639.** *Quaer.* Quid sit taxa extraordinaria pro Episcopo?

*Resp.* Taxae extraordinariae sunt taxae seu collectae quas Episcopi, non singulis annis, sed extraordinarie a subditis exigunt.[10] Hujusmodi autem taxae vocantur subsidia charitativa (*charitable or voluntary contributions to the Bishop*), eo quod

[1] Conc. Pl. Balt. II. n. 100; nostrum *Elements,* vol. I. n. 609.

[2] Generatim salarium ab Ecclesia Cathedrali Episcopo solutum, alteram constituit partem congruae sustentationis, in hisce regionibus, necnon in Anglia, Hibernia, etc.

[3] Conc. Pl. Balt. III. n. 18.

[4] Conc. Trid. sess. 24, c. 3, de Ref.; nostrum *Elements,* vol. I. n. 555, 609.

[5] Cf. Conc. Pl. Balt. II. n. 171.

[6] Conc. Trid. sess. 23, c. 18, de Ref.

[7] Conc. Trid. l. c.; Reiff. l. 3, t. 39, n. 87.

[8] Conc. Trid. l. c.

[9] Conc. Pl. Balt. III. n. 178, 179.

[10] Cap. 6, de Cens. (iii. 39).

cum charitate postulari debent ab Episcopo. Hinc taxa extraordinaria seu subsidium charitativum recte definitur ut exactio seu collecta extraordinaria (*an extraordinary collection or assessment*), propter manifestam et rationabilem causam cum charitate a subditis ab Episcopo postulata.[1]

**640.** *Quaer.* Ob quas causas, et qua ratione possit Episcopus taxam extraordinariam imponere?

*Resp.* 1° Debet existere manifesta et rationabilis causa.[2] Porro de jure decretalium,[3] tales causae sunt v.g. expensae necessariae in promotione Episcopi, pro ejusdem consecratione, et plures aliae necessitates.[4] Diximus *de jure decretalium;* nam hodie, juxta constitutionem Innocentii XI.[5] statutum est, saltem pro Italia, Episcopum non posse hujusmodi taxas extraordinarias seu subsidia charitativa exigere, inconsulta S. Sede, nisi in primo suo ingressu (*when he first takes possession of his see*) et in ea quantitate quae per quadraginta ante annos exigi consuevit.[6]

2° Quanam autem ratione subsidium hoc exigere debeat Episcopus, definitum est a S. C. C. *in Gerund.* 17 Feb. 1663. (Cf. nostrum *Elements,* vol. I. n. 609, editio 6ª.)

**641.** *Quaer.* Quid decreverit Concilium Plen. Baltimorense III. quoad taxas tum ordinarias tum extraordinarias pro Episcopo in hisce Statibus Foederatis?

*Resp.* "Item (*a*) praehabito consilio Consultorum, (*b*) necessarius erit recursus ad S. Sedem (*c*) in singulis casibus, in quibus agatur de imponenda (*d*) nova taxa pro Episcopo, (*e*) quae excedat limites a canonibus constitutos."[7]

Dicitur *quae excedat limites a canonibus constitutos.* Quinam vero sint isti limites, vide in nostro *Elements,* vol. I. n. 610, ed. 6ª.

QUAESTIO III. INSIGNIA EPISCOPORUM.

(*Marks or Insignia of the Episcopal Dignity.*)

**642.** *Quaer.* Quaenam sint insignia praecipua Episcoporum?

[1] De Angelis, l. 3, t. 39, n. 3.
[2] Cap. 6, de Cens. (iii. 39).
[3] Cap. 6, de Cens. (iii. 39).
[4] Reiff. l. 3, t. 39, n. 30 sq.
[5] Vulgo *taxa Innocentiana.*
[6] Sanguineti, l. c. n. 455; De Angelis, l. c. n. 3.
[7] Conc. Pl. Balt. III. n. 20.

*Resp.* 1° Vestes Pontificales; 2° Mitra seu infula (*the mitre*); 3° Baculus pastoralis (*the crozier*); 4° Annulus (*the ring*);[1] 5° Insuper Episcopus crucem auream a collo ad pectus defluentem (*pectoral cross*) semper gestat.[2]

## ART. III.

### JURISDICTIO EPISCOPI "DELEGATA ET EXTRAORDINARIA."

(*Delegated and Extraordinary Jurisdiction of Bishops.*)

**643.** *Quaer.* Qualis sit delegata potestas Episcopi?

*Resp.* 1° Episcopi praeter ordinariam suam jurisdictionem pollent etiam jurisdictione ipsis delegata tum ab homine tum a jure.[3] Porro jurisdictio haec delegata nihil aliud est quam pars aliqua potestatis quae S. Pontifici competit, quaeque tamen Episcopis committitur seu delegatur (*a*) vel ab homine, id est a S. Pontifice seu a Sacris Congregationibus Cardinalium, (*b*) vel a jure, id est, a lege Ecclesiae. Hinc patet quod jurisdictio Episcopi delegata altioris est ordinis quam ejus jurisdictio ordinaria.

**644.** 2° Ad jurisdictionem delegatam ab homine, quoad nostros Episcopos, et alios Ordinarios in locis Missionum, pertinent facultates decennales, quinquennales vel pro certo numero casuum, quae ipsis a S. C. de Prop. Fide concedi solent.

**645.** 3° Jurisdictio Episcoporum delegata a jure illa est, quae exercetur ab iis in omnibus illis casibus in quibus a jure, praesertim autem a Concilio Tridentino Sedis Apostolicae delegati constituuntur.[4] Porro Episcopus gaudet Papali jurisdictione delegata a jure (*a*) vel pro expediendo negotio quod ex ordinaria sua potestate non valet peragere, et tunc dicitur procedere *tamquam S. Sedis delegatus;* (*b*) vel pro melius tractando negotio quod etiam jure suo ordinario tractare potest, et tunc dicitur procedere *etiam tamquam Apostolicae Sedis delegatus.*[5] Haec potestas a jure delegata Episco-

[1] Phillips, Comp. § 148.
[2] Nostrum *Elements*, vol. I. n. 611.
[3] Zitelli, l. c. p 57; De Brab. l. c. n. 331.
[4] De Brab. n. 354. [5] Ib. n. 331.

pis potissimum concessa est, ut facilius procedere valeant contra regulares ab eorum jurisdictione exemptos.[1]

**646.** Quinam vero sint, in specie, casus in quibus tum religiosi qui exemptione fruuntur, tum alii v.g. clerus saecularis, subjaceant Episcopis, tanquam Sedis Apostolicae delegatis, et proinde eorum jurisdictioni delegatae, etiam in his regionibus, vide apud Const. *Romanos Pontifices,* Leonis XIII.; Conc. Pl. Balt. III. n. 86 sq.; nostrum *Elements,* n. 426 sq.; Zitelli, pp. 60, 73.

## ART. IV.

### OBLIGATIONES EPISCOPORUM.

(*Duties of Bishops.*)

**647.** Hucusque de potestate et juribus Episcoporum actum est. Restat proinde ut brevissime de nonnullis ipsorum obligationibus disseramus.

**648.** *Quaer.* Quaenam sint praecipuae Episcoporum obligationes etiam in hisce Statibus Foederatis?

*Resp.* Tenetur Episcopus 1° in Episcopatus susceptione (*when he accepts the appointment of Bishop*) (*a*) *professionem fidei* facere juxta formulam a Pio IV. praescriptam et a Pio IX. emendatam ;[2] (*b*) *juramentum fidelitatis* erga Romanum Pontificem praestare, quod fieri solet in ipsa consecratione.[3]

**649.** 2° *Ordines* (*holy orders*) per se ipsum conferre.[4] Quod si aegritudine vel alia legitima causa impeditus sit, debet subditos, non aliter quam probatos et examinatos, alteri Episcopo ordinandos committere.

**650.** 3° *Confirmationis* sacramentum administrare;[5] et quamvis non teneatur singulis annis confirmare, tamen graviter peccat, si longo tempore, v.g. per octo vel decem annos id differat.[6]

[1] De Brab. n. 354.
[2] Nostrum *Elements*, pp. 144, 520.
[3] Gregor. XIV. Const. *Onus* Ap. 15 Maii 1595; Zitelli, p. 76.
[4] Conc. Trid. sess. 24, c. 5, de Ref.
[5] Nostrum *Elements*, vol. I. n. 576.
[6] Cf. Conc. Trid. sess. 7, can. 3, de Confirm.; De Brab. n. 341.

**651.** 4° *Verbum Dei praedicare* (*to preach*) tam in ecclesia cathedrali quam in aliis suae dioeceseos ecclesiis.[1]

**652.** 5° *Missam applicare,* etiam apud nos, pro tota dioecesi, singulis dominicis et festis diebus de praecepto.[2]

**653.** 6° In sua dioecesi *residere.*[3] Residentia autem haec ejusmodi esse debet ut *persona* Episcopi intra dioeceseos ambitum moretur; ita tamen ut in solemnioribus festis in sua adsit ecclesia cathedrali, nisi forte ratione sui muneris, v.g. visitationis, alibi in sua dioecesi versetur. Curia tamen Episcopalis semper esse debet penes ecclesiam cathedralem, etsi Episcopus in alia dioeceseos parte commoretur.[4] Quaenam autem sint causae excusantes a lege residentiae, vide apud nostrum *Elements,* vol. I. n. 545. Hic adnotat Zitelli,[5] quod S. C. de P. F. die 10 Julii 1668, decrevit Episcopos sibi subjectos, ne Romam quidem venire debere sub quovis praetextu, absque licentia S. Congregationis.

**654.** 7° *Dioecesim Visitare* (*Visitation of the Diocese*).—Cum sollicitudo Episcopi non tantum ad partem, sed ad totam dioecesim sese extendere debeat, tenetur is, statis temporibus totam visitare dioecesim. Dicitur statis temporibus; id est, *quotannis,* vel saltem quolibet *biennio,* ubi viget lex Tridentina hac de re,[6] et apud nos, saltem quolibet *triennio.*[7] Debet Episcopus visitationem per *se ipsum* peragere, nisi sit legitime impeditus. Potest etiam secum habere unum aut duos convisitatores, qui sint praesbyteri.[8] Quoad procurationem, seu expensas visitationis, hac in regione, vide Conc. Pl. Balt. III. n. 14.

**655.** 8° *Apostolorum limina visitare* (*the visit to Rome*).—Visitatio SS. Liminum (*visit to the shrine of the apostles, or to the Holy Father*) in eo consistit ut Episcopus statuto tempore Romanum Pontificem adeat, eique dioecesis suae statum aperiat. Episcopi nostrorum Statuum Foedere junctorum tenen-

[1] Conc. Trid. sess. 5, c. 2, de Ref.; sess. 23, c. i. de Ref.; sess. 24, c. 4, de Ref.; Nostrum *Elements,* vol. I. n. 607.

[2] Leo XIII. Const. *In Suprema;* De Brab. n. 340.

[3] Conc. Trid. sess. 6, c. 1, de Ref.

[4] Sanguineti, p. 238.

[5] Apparatus, pp. 85, 86.

[6] Sess. 24, c. 3, de Ref.

[7] Conc. Pl. Balt. III. n. 14.

[8] Sanguineti, p. 239; Zitelli, p. 94.

tur *decimo* quoque anno hanc visitationem peragere. Initium autem hujus decennii desumendum est pro omnibus totius orbis, et proinde etiam, pro hujus regionis Episcopis,[1] a die 20 Decembris 1585; quo die Constitutio Sixti V. primum edita est.[2]

Debent insuper Episcopi in hac regione, et generatim in omnibus locis missionum, *singulis quinquenniis*, Sacrae Congregationi de Prop. Fide relationem (*report*) de statu dioecesis transmittere.[3]

**656.** Actus Visitationis SS. LL. triplex est: (*a*) Visitatio Basilicae S. Petri (*visit to St. Peter's Church, Rome*); (*b*) aditio ipsius Romani Pontificis (*audience with the Pope*); (*c*) relatio (*report*) ore facienda eidem Romano Pontifici, et scripto tradenda S. Congregationi Concilii,[4] juxta Instructionem ipsius Sacrae Congregationis Concilii a Benedicto XIII. praescriptam. Relatio haec respicit praecipue (1) statum dioecesis materialem; (2) Episcopum ipsum; (3) Clerum tum saecularem tum regularem; (4) Moniales et sorores religiosas; (5) Seminarium ecclesiasticum, ecclesias, confraternitates, etc.[5] Quoad poenas omissae visitationis vide Sanguineti, p. 241.

**657.** Scopus hujus Visitationis est, arctius inter Episcopum et Romanum Pontificem vinculum unitatis adstringere, simulque ob relationem status dioecesis exhibitam, efficere ut S. Pontifici omnia plane perspecta existant.

[1] Instr. S. C. de P. F. 1 Junii 1877 apud Acta S. Sedis, vol. X. p. 202; Conc. Pl. Balt. III. n. 12, 13.

[2] In *Concilio Vaticano*, hoc schema editum est: "Volumus autem, ut primus hujusmodi terminus non amplius a die quo memoratae Constitutiones (Sixti V.) editae sunt, *sed a die promulgationis hujus Decreti pro omnibus* indiscriminatim Praelatis incipiat, et in perpetuum deinceps computetur." Vide Martin, Doc. p. 126.

[3] Conc. Pl. Balt. III. n. 14.

[4] Relatio haec scripto tradenda est ab Episcopis ex locis missionum et proinde etiam a nostris Episcopis, Sacrae Congregationi de Prop. Fide, juxta hujus S. C. Instructionem, quam invenies in Conc. Pl. Balt. II. p. 337.

[5] Nostrum *Elements*, vol. I. n. 556, ed. 6ª.

# CAPUT V.

## VARIAE EPISCOPORUM CLASSES.

(*Different Kinds of Bishops.*)

### ART. I.

### EPISCOPI TITULARES.

(*Titular Bishops.*)

**658.** *Quaer.* Quid sit origo Episcoporum titularium?

*Resp.* Ne illarum Episcopalium Sedium, quae antiquitus florentissimae extiterunt, sed nunc infidelium jugo premuntur memoria penitus obliteretur, solent S. Pontifices Episcopos ad earundem titulum instituere. Porro tales Episcopi olim in partibus infidelium appellari consueverunt; in praesens vero, ex decreto Leonis XIII. anno 1882, *titulares* (*Bishops with only nominal sees*) nuncupantur.[1]

**659.** *Quaer.* Quid proinde sint Episcopi titulares?

*Resp.* Tales Episcopi ii dicuntur qui ad ordinem episcopalem evecti sunt ad titulum alicujus antiquae cathedralis ab infidelibus occupatae, adeoque clero et populo carentis. Proinde hujusmodi Episcopi nulla actuali jurisdictione potiuntur.[2] Eorum opera in curia Romana, saepius utitur Romanus Pontifex, pro iis quae nonnisi Episcopis decet committere; deputantur etiam ad nuntiaturas (*Papal nuncios*); insuper assumuntur, in Curia Romana, in SS. Congregationum Secretarios; quandoque constituuntur Vicarii Apostolici, necnon Episcoporum coadjutores, sive pro solo ordinis,[3] sive pro jurisdictionis quoque exercitio, ut infra videbimus.[4]

**660.** *Quaer.* Quodnam sit officium Episcopi titularis?

*Resp.* Episcopus titularis ordinem episcopalem seu pontificalia exercere non potest, nisi de licentia Ordinarii loci et pro subditis hujus Ordinarii tantum.[5] Caret quoque jurisdictione,

[1] Cf. Zitelli, l. c. p. 104. [2] Ib.
[3] Bened. XIV. De Syn. l. 13, c. 8, n. 12.
[4] De Brab. n. 365.
[5] Conc. Trid. sess. 14, c. 2, et sess. 6, c. 5, de Ref.

cum subditos non habeat. Proinde non tenetur applicare missam pro populo, quamvis deceat ut interdum missae sacrificium offerat, ea intentione ut Deus miseram Ecclesiae illius conditionem cujus titulo et nomine ipse honestatur, respiciat.[1]

Quoad alia munera et jura Episcoporum titularium, vide Zitelli, l. c.; Bouix, de Episc. t. i. p. 493; nostrum *Elements*, vol. I. n. 613.

## ART. II.

### EPISCOPI COADJUTORES.

(*Assistant Bishops.*)

**661.** Duplex datur Vicarius seu Coadjutor Episcopalis (*assistant or coadjutor Bishop*): (*a*) pro solo *ordinis* exercitio, et hi vocantur Episcopi auxiliares, seu vicarii in pontificalibus; (*b*) vel pro jurisdictionis quoque exercitio, et hi appellantur Coadjutores. De utraque classe breviter disseremus.

### § 1. EPISCOPI AUXILIARES.

(*Auxiliary Bishops.*)

**662.** *Quaer.* Quid sit Episcopus auxiliaris, et quod ejus officium?

*Resp.* Talis Episcopus est auxiliator (*assistant*) Episcopi in sacri ordinis episcopalis ministeriis, quae ipsemet Episcopus obire aut nolit aut nequeat.[2] Dicitur *in sacri ordinis*, etc.; id est, ut Episcopi loco sacramenta confirmationis et ordinis administret, et pontificalia exerceat. Hinc necesse est ut auxiliator cum titulo alicujus Ecclesiae in partibus infidelium sitae Episcopus consecratus sit.

**663.** Illius munus et officium cessat statim ac Episcopus aut morte, aut alia ratione Episcopatum reliquerit. Quamvis autem ille assumatur ad ordinis munera tantum, nihil obstat quominus ob Episcopo adjuto in Vicarium generalem constituatur.[3] Cf. nostrum *Elements*, vol. I. n. 613.

[1] Leo XIII. Const. *In Suprema*, 28 Junii 1882; De Brab. n. 366.
[2] Soglia, vol. II. p. 29.
[3] De Brab. n. 367.

## § 2. Episcopi Coadjutores.
(*Coadjutor Bishops.*)

**664.** *Quaer.* Quid sit Episcopus Coadjutor?

*Resp.* 1° Coadjutores Episcoporum sunt illi qui a S. Pontifice constituuntur, cum officio adjuvandi Episcopos tum in exercenda ordinis, tum jurisdictionis episcopalis potestate.[1] Promoventur ad titulum alicujus dioecesis in partibus infidelium, ne duo simul unam eamdemque sedem tenere, neve duo esse unius Ecclesiae sponsi videantur.[2]

**665.** 2° Hi Coadjutores vel sunt (*a*) *cum futura successione,* (*b*) vel sine illa. Priores perpetui nuncupantur (*Coadjutors with the right of succession*), et mortuo Episcopo, vel alio modo, sede vacante, statim evadunt proprii dioecesis Episcopi. Posteriores vero amittunt suum officium seu potestatem statim ac coadjutus moritur, vel alio modo, sedes vacat. Quare temporales (*temporary coadjutors*) vocantur.[3]

**666.** *Quaer.* Quaenam sint causae, ob quas possit aut debeat Episcopo dari coadjutor?

*Resp.* 1° Si agatur de coadjutore cum futura successione, constitui non debet talis coadjutor, nisi id exposcat Ecclesiae *urgens necessitas aut evidens utilitas.*[4]

2° Si agatur de coadjutore sine futura successione, causae ob quas potest ac debet talis coadjutor Episcopo dari, sunt sequentes: (*a*) Amentia (*insanity*); (*b*) negligentia et magna remissio Episcopi in explendo munere suo; (*c*) si Episcopus merito suspectus sit de dilapidatione bonorum Ecclesiae; (*d*) corporis infirmitas (*bodily infirmities*) et senium (*old age*). Et sane interdum contingit ut Episcopus aut senio aut mala valetudine affectus, non solum ad obeunda ministeria *ordinis Episcopalis,* verum etiam ad regimen et administrationem gerendam dioecesis impotens evadat. Impotentem vero Episcopum (sicut et impotentem parochum), nisi sponte Episcopatum dimittat, invitum cogere ad illum dimittendum, inhumanum prorsus videtur. Nam afflicto non est addenda afflic-

[1] Nostrum *Elements*, vol. I. n. 614. [2] De Brab. n. 368.
[3] Nostrum *Elements*, n. 614; Soglia, vol. II. p. 219.
[4] Conc. Trid. sess. 25, cap. 7, de Ref.

tio, sed ipsius miseriae miserandum.[1] Tunc itaque Coadjutor dandus est, qui debet Episcopali charactere insigniri, ut pontificalia valeat exercere. Etenim ad solam exercendam jurisdictionem, sufficienter Episcopum juvare posset Vicarius generalis.[2]

**667.** *Quaer.* A quo et qua ratione constitui debeant, etiam apud nos, hi Coadjutores?

*Resp.* 1° A solo Romano Pontifice. 2° Ad modum electionis quod spectat distinguendum est inter Coadjutores perpetuos et temporales. In hisce Statibus Foedere junctis, si agatur de Coadjutore cum jure successionis, electio fit a S. Pontifice, per organum S. C. de Prop. Fide, ad *commendationem* tum Consultorum dioecesis et Rectorum inamovibilium ex una parte, tum Episcorum Provinciae ex altera parte.[3] Cf. nostrum *Elements*, vol. I. n. 345, 615.

**668.** *Quaer.* Quaenam sit potestas Coadjutorum Episcopis datorum?

*Resp.* 1° Imprimis attendendus est tenor Litterarum Pontificiarum, quibus coadjutor deputatus est. 2° Abstrahendo ab his litteris, coadjutorum potestatem metimur ex fine seu causa cur dati sunt. Ubi res est dubia, recurri debet ad Sedem Apostolicam ad conflictus evitandos. (Nostrum *Elements*, vol. I. n. 616.)

**669.** *Quaer.* An Coadjutor, sive temporalis sive perpetuus, datus Episcopo ob senium aut aegritudinem de ejus consensu, invito coadjuto, ea peragere valeat, quae coadjutus per seipsum potest ac vult facere?

*Resp.* Negative, etiamsi talis coadjutor constituatur *cum plena, libera*, et *omnimoda facultate in temporalibus et in spiritualibus administrandi ea omnia quae ad officium Coadjutoris pertinent.*[4]

**670.** *Quaer.* An coadjutus alteri quam coadjutori delegare possit ea, quae ipse non vult aut non potest facere, et quae coadjutor peragere vult?

*Resp.* Negative.[5]

[1] Innoc. III. cap. 5, de Cleric. aegr.
[2] Bouix, de Episc. vol. I. p. 498. [3] Conc. Plen. Balt. III. n. 16.
[4] Bouix, de Episc vol. I. p. 510.
[5] S. C. EE. et RR. in *Fulginatensi*, 28 Maii 1628; Bouix, l. c. p. 512.

## ART. III.

### EPISCOPI REGULARES.

(*Regular Bishops.*)

**671.** *Quaer.* Quaenam sint officia specialia Episcoporum regularium?

*Resp.* 1° Aliquando regulares ad Episcopatum evehuntur. Porro regularis factus Episcopus non desinit esse religiosus, et ideo obstrictus remanet triplici substantiali voto (*the vows of poverty, obedience, and chastity*), et aliis votis essentialibus, quae in ordine emittuntur, in quantum scilicet ipsorum observantia non repugnat muneri episcopali. Ratio est quod vota personalia comitentur personam, in quantum sunt compatibilia cum ejus statu.[1]

**672.** 2° Quoad *castitatem* patet. Ei enim remanet obstrictus ratione ordinis. Quoad *obedientiam,* non tenetur Praelato religionis suae obedire, sed S. Pontifici, et qua Episcopus, et qua religiosus. Quoad *paupertatem,* non magis quam antea potest ullius rei dominium (*ownership*) acquirere. Post promotionem tamen non acquirit monasterio, sed propriae mensae seu ecclesiae suae, et quidem ad proprium usum, juxta status episcopalis exigentiam ac convenientiam.

**673.** 3° Tenetur insuper religionis suae habitum retinere, (*the habit of his order*), quoad colorem (*as to color*), non quoad formam (*not as to its shape*). Excipiuntur canonici regulares S. Augustini, qui indui possunt sicut Episcopi saeculares.[2]

Quoad caeteros praelatos, vide nostrum *Elements,* vol. I. n. 618 sq.

[1] De Brab. n. 369. [2] Nostrum *Elements,* vol. I. n. 617.

# CAPUT VI.

## DE ADJUTORIBUS EPISCOPI IN EXERCENDA JURISDICTIONE EPISCOPALI.

(*Assistants of the Bishop in the Exercise of Episcopal Jurisdiction.*)

**674.** Vicarius (*agent, assistant*) in genere et vi vocis est qui vices alterius gerit (*one who acts for another*). Vicarius alius est *in divinis,* alius *in jurisdictione,* uti jam supra adnotavimus. De vicariis in jurisdictione hic loquimur.[1]

**675.** Graviora sunt et ampliora Episcopi munera, quam ut valeat per se ipsum omnia explere. Hinc omni tempore in Ecclesia fuerunt officiales, qui ope vel consilio in regenda dioecesi Episcopo praesto essent. Huc pertinent Episcopi coadjutores, de quibus jam egimus; vicarii generales; vicarii foranei; capitulum Ecclesiae Cathedralis, de quibus omnibus jam breviter dicendum est.

## TITULUS I.

## VICARIUS GENERALIS.

(*The Vicar-General.*)

### ART. I.

### NOTIO VICARII GENERALIS.

(*What is a Vicar-General?*)

**676.** Vicarius generalis (*general agent or assistant of the Bishop*) intelligitur ille, qui generalem in tota dioecesi jurisdictionem, auctoritate et nomine Episcopi exercet, ita ut ejus actus ab ipso Episcopo gesti censeantur.[2]

**677.** *Quaer.* An a lege vel ab Episcopo vicarius generalis accipiat jurisdictionem?

*Resp.* Communius et tanquam certum tenetur vicarium generalem, quamvis ab Episcopo ordinarie eligatur, jurisdictionem suam a lege seu a jure communi accipere.[3]

[1] Cf. Santi. l. i. t. 28, n. 1, 2; Sanguineti, n. 356.

[2] Nostrum *Elements*, n. 620; De Brab. n. 388.

[3] Arg. cap. 1, 2, 3, de Off. vicar. in 6° (i. 13); Bouix, de Jud. vol. I. p. 360.

**678.** *Quaer.* An jurisdictio vicarii generalis sit ordinaria vel potius delegata?

*Resp.* Olim graviter fuit controversum utrum sit ordinaria, an vero delegata. Attamen jamdudum certa evasit sententia quae tenet illam esse ordinariam. Et sane jurisdictio quae a lege, ratione officii vel dignitatis alicui confertur, et sic ipsi officio adnectitur, est proculdubio ordinaria. Atqui talis est jurisdictio vicarii generalis.[1] (Nostrum *Elements*, vol. I. n. 623.)

## ART. II.

### CONSTITUTIO ET QUALITATES VICARII GENERALIS.

*(Appointment and Qualifications of the Vicar-General.)*

**679.** *Quaer.* Quaenam debent esse qualitates praecipuae (*the principal qualifications*) vicarii generalis?

*Resp.* Requiritur: 1° Ut sit clericus; 2° ut inchoaverit annum 25; 3° Non decet ut Episcopus vicarium generalem constituat fratrem aut nepotem suum, aut alium consanguineum, ne jurisdictio ecclesiastica, jure quodam sanguinis communicari, ac veluti haereditaria fieri videatur.[2] 4° Requiritur ut sit saltem in jure canonico doctor vel licentiatus, vel alias, quantum fieri poterit, idoneus.[3] Alias qualitates vide in nostro *Elements*, l. c. n. 625.

**680.** *Quaer.* Ad quem pertineat constitutio (*appointment*) vicarii generalis?

*Resp.* 1° Ad solum Episcopum, absque consensu aut consilio Capituli Cathedralis (apud nos, Consultorum dioecesanorum). 2° Non solum potest, verum generaliter loquendo, debet Episcopus vicarium hujusmodi episcopalem assumere, propter suas occupationes multiplices.[4] Dicitur *generaliter loquendo;* siquidem controvertitur utrum semper teneatur hunc vicarium constituere.[5]

[1] De Brab. n. 393; Zitelli, l. c. p. 148.
[2] Zitelli, l. c. p. 148.
[3] Conc. Trid. sess. 24, c. 16, de Ref.
[4] Innoc. III. cap. 15, de Off. jud. ord. (i. 31).
[5] Santi, l. i. t. 28, n. 19.

## ART. III.

### POTESTAS VICARII GENERALIS.
### (*Authority of the Vicar-General.*)

**681.** *Quaer.* Quaenam sit vicarii generalis potestas?

*Resp.* Generalis est regula, posse vicarium generalem, vi generalis sui mandati[1] (*by his very appointment*),—quidquid potest ipse Episcopus, ratione jurisdictionis ordinariae episcopalis, exceptis iis quae jus excepta voluit, vel quae sibi Episcopus expresse vel implicite reservavit. Proinde eo ipso quod aliquis constituatur vicarius generalis, vi officii sui, acquirit potestatem ordinariam administrationis dioeceseos.[2]

**682.** Dicitur "quidquid potest ipse Episcopus"; nam vicarii generalis jurisdictio una eademque est ac ipsiusmet Episcopi. Hinc non datur appellatio a vicario generali ad Episcopum.[3] Absonum enim esset ab eodem ad eundem appellare.

**683.** Dicitur secundo "ratione jurisdictionis *ordinariae*"; proinde vicarii generalis potestas, per se, non comprehendit ea quae Episcopus facere potest ratione jurisdictionis suae *delegatae*, sive delegatio sit a jure,[4] sive ab homine.[5] An et quomodo Episcopi in locis missionum, et etiam apud nos, facultates a S. Sede ipsis concessas, vicariis suis generalibus et aliis sacerdotibus delegare valeant, vide in nostro *Elements*, vol. I. n. 627.[6]

**684.** Dicitur tertio, "jurisdictionis;" siquidem, uti jam supra notavimus, vicarius generalis non est vicarius *ordinis* episcopalis, sed solummodo jurisdictionis. Hinc, quamvis vicarius generalis charactere episcopali muniretur, non posset

[1] Deputatio personae ad munus vicarii generalis debet fieri per litteras (*in writing*). Litterae hae dicuntur mandatum generale. Quare generale mandatum nihil aliud est quam ipsa deputatio.

[2] Santi, l. c. n. 30.

[3] Cap. 3, in 6° (ii. 15); cap. 2, in 6° (i. 4).

[4] V.g. in casibus, ubi Episcopus a Concilio Trid. Sedis Apostolicae Delegatus constituitur.

[5] V.g. Facultates quae Episcopis nostris, et generatim omnibus Episcopis in locis missionum a S. C. de P. F. concedi solent.

[6] Facult. form. I. n. 28; Facult. extr. C. n. 6, 9, 12; Facult. extr. D. n. 8; Facult. Extr. E. n. 4, § tandem.

vi accepti mandati generalis, sacrum conficere chrisma, ordines conferre, atque alia ordinis episcopalis munera peragere.

**685.** Dicitur quarto, "exceptis iis quae jus excepta voluit." Porro quae jure communi Episcopo reservantur, possunt vicario generali committi sive per litteras expressas (*by special authorization*), sive per legitimam consuetudinem. Quoad haec erit vicarius generalis Episcopi delegatus.[1] Quaenam autem, in specie, jus canonicum excepta voluit,[2] vide apud nostrum *Elements*, vol. I. n. 627.

**686.** Dicitur quinto, "aut sibi Episcopus expresse vel implicite reservavit." Et sane Episcopus potest expresse sibi nonnulla reservare, quae vicario generali vi mandati sui generalis competunt, dummodo salva maneat *generalis* jurisdictio vicarii generalis. Implicite autem Episcopo reservantur ea omnia quae adeo gravia existimantur, ut merito praesumatur Episcopum nolle ea peragi absque sua scientia et judicio. Etenim regula juris est: "In generali concessione non veniunt ea, quae quis non esset verisimiliter in specie concessurus."[3]

**687.** *Quaer.* Quaenam, in specie, possit praecipue peragere vicarius generalis, etiam apud nos, vi jurisdictionis suae ordinariae, et mandati sui generalis?

*Resp.* 1° Jus habet cumulative concurrendi in administratione sacramentorum et Verbi Dei praedicatione cum omnibus parochis totius dioeceseos.[4] 2° Potest confessiones audire in tota dioecesi, et aliis sacerdotibus facultatem concedere confessiones excipiendi. 3° Potest dispensare in denuntiationibus matrimonii (*from the publication of the banns*).[5] 4° Potest causas matrimoniales expedire; 5° Potest etiam, circa concursum pro parochiis vel missionibus vacantibus, quae potest ipse Episcopus. 6° Potest sibi substituere delegatum ad unam aut plures causas supradictas, non autem, absque speciali mandato, ad universitatem causarum.[6] (Cf. nostrum *Elements*, vol. I. n. 628.)

**688.** *Quaer.* Quomodo (*a*) suspendatur, (*b*) expiret jurisdictio vicarii generalis?

[1] De Brab. n. 393.
[2] Cf. Santi, l. c. n. 32.
[3] Reg. jur. 81, de reg. Jur. in 6°.
[4] Leur., De Vic. gen. qu. 118.
[5] Ib. qu. 120.
[6] Conc. Trid. sess. 13, c. 1, 2, 3, de Ref.

*Resp.* 1° *Suspenditur* (*a*) omni modo quo suspenditur jurisdictio ipsius Episcopi, v.g. si Episcopus excommunicatus vel suspensus existat; (*b*) per censuram quam ipse vicarius generalis incurrit.

**689.** 2° *Expirat* variis modis, qui videri possunt apud nostrum *Elements*, vol. I. n. 629.

**690.** *Vicarii foranei.*—Hi sunt quidem vicarii Episcopi, non tamen, quemadmodum vicarii generales, pro tota dioecesi nec quoad omnes causas, sed tantum pro aliquo determinato dioeceseos districtu, et in paucis solummodo, minoris momenti, rebus.[1] De illis vide nostrum *Elements*, vol. I. n. 632.

## TITULUS II.

### CAPITULA CATHEDRALIA.

(*Cathedral Chapters.*)

**691.** Capitulum ecclesiae cathedralis ex fine suo proprio ad auxiliandum et adjuvandum Episcopum in totius dioeceseos administratione deputatum est.[2] Proinde recte vocantur hujusmodi capitula Episcopi coadjutores.

### ART. I.

#### ORIGO CAPITULI CATHEDRALIS.

(*Origin of Cathedral Chapters.*)

**692.** Ab ipsis Apostolorum temporibus, mos invaluit, ut Episcopi, praesertim in rebus gravioris momenti, presbyterorum sententiam exquirerent. Hac de causa, coetus presbyterorum ecclesiae senatus appellabatur.[3] In primis Ecclesiae temporibus, omnes dioeceseos clerici hunc senatum constituebant. At processu temporis, aucto clericorum numero, necnon dioeceseos protractis limitibus, non poterant frequenter Episcopum adire omnes dioeceseos clerici. Hinc coetus Episcopo adsistens, conflabatur ex solis clericis totius civitatis Episcopalis. Postea vero senatus Episcopi compositus est ex solis canonicis seu clericis ecclesiae cathedralis. Dicendum erit de

[1] Conc. Pl. Balt. III. n. 27-30. [2] Ib. n. 17.
[3] Santi, l. 3, t. 10, n. 1, 2.

natura atque constitutione capitulorum; de illorum erectione, statutis, juribus et obligationibus.

## ART. II.

### NATURA ET CONSTITUTIO CAPITULORUM.

(*Nature and Organization of Chapters.*)

**693.** *Quaer.* Quid sit capitulum in genere?

*Resp.* Capitulum est collegium seu societas clericorum (*an association of ecclesiastics*), qui sub praeside constituti, unum corpus morale efficiunt, et ab Ecclesia cultui divino publico addicuntur.[1]

**694.** Dicitur "1° collegium (*a society*);" quia plures clerici convenire debent ut constituatur capitulum. Requiritur ut sint saltem tres numero, juxta vulgare effatum *tres faciunt collegium*. Hoc verum est ab initio, id est, ad capitulum efformandum. Nam postea, id est, capitulo semel efformato, jus collegii etiam in uno retinetur.[2]

2° "Qui sub praeside constituti;" nam essentiale est omni communitati ut ipsi aliquis praesideat.

3° "Et ab Ecclesia cultui divino publico addicuntur;" hoc denotat munus quod est commune omni communitati clericorum quae sub nomine capituli venit.

## ART. III.

### VARIAE SPECIES CAPITULORUM.

(*Different Kinds of Chapters.*)

**695.** *Quaer.* Quaenam sint praecipuae species capitulorum?

*Resp.* Capitula dividuntur praecipue in cathedralia et collegiata. *Capitulum cathedrale* (*cathedral chapter, chapter of the cathedral church*) illud nuncupatur quod erectum est in Ecclesia Cathedrali,[3] ut officium publicum chori persolvat,[4] et Episcopo auxilietur in regimine dioeceseos, atque sede vacante, illum suppleat in hoc regimine.[5] Hisce poste-

[1] Prael. S. Sulp. vol. II. n. 380. [2] Fagn. in cap. 30, de Elect.
[3] Prael. S. Sulp. n. 381. [4] To say the office or breviary in the choir.
[5] Nostrum *Elements*, p. 466, ed. 6ª.

rioribus verbis designatur praecipuus finis horum capitulorum. Nam capitula cathedralia instituta fuere non praecise ad cantandum divinum officium (*to say or sing the breviary in choir*),[1] sed primario et praecipue *ad auxiliandum et supplendum Episcopum* in dioecesis administratione.[2]

**696.** *Capitula collegiata* (*collegiate chapters, or chapters established in churches which are not cathedrals*) sunt capitula quae in ecclesiis non cathedralibus constituuntur. Nullam habent jurisdictionem episcopalem, etiam defuncto Episcopo. Nam instituta sunt, non ad auxiliandum Episcopum in dioecesis regimine, sed tantummodo ad cultus publici decorem promovendum in aliqua ecclesia. Ecclesiae quae talia habent capitula, dicuntur ecclesiae collegiatae,[3] quae subdividuntur in *insignes* et *non insignes*.

De solis capitulis cathedralibus hic sermo erit. Haec enim solum sunt Episcopi adjutores ordinarii.

## ART. IV.

### ORGANIZATIO CAPITULI CATHEDRALIS.

(*Constitution of Cathedral Chapters.*)

**697.** *Quaer.* Quae sit organizatio capituli cathedralis?

*Resp.* 1° Capitulum cathedrale est societas,[4] et proinde corpus morale. Porro corpus morale non secus ac corpus physicum, constat tum membris, tum capite quod membris praesidet. Membra capituli vocantur canonici (*canons*), caput vero praeses (*the head, chairman, president*).

**698.** 2° Capitulum autem cathedrale duplici sub respectu considerari potest: (*a*) quatenus corpus constituit ab Episcopo separatum, proprium esse habens et regimen; et sub hac ratione caeteris capitulis quae non sunt cathedralia assimulandum est; (*b*) quatenus unum corpus efficit cum Episcopo, senatum ejus constituit, concurritque ad dioecesis gubernationem.

[1] Et sane antiquitus non quotidie sed statutis dumtaxat diebus, divinum officium a capitulis celebrabatur. [2] Bouix, de Cap. p. 41.

[3] That is, churches to which are attached colleges or bodies of ecclesiastics.

[4] A society or association of ecclesiastics.

**699.** Jam vero capitulum quatenus constituit senatum dioecesis, et consilium natum Episcopi, profecto habet pro capite ipsummet Episcopum. Nam hoc sub respectu censetur esse unum corpus morale cum Episcopo. Quatenus autem capitulum jura, interesse et officia sibi propria habet, constituit corpus ab Episcopo sejunctum; et sub hoc respectu, Episcopus non est capituli caput (*is not the president*); sed capitulum aliud habet proprium sibi caput (*has its own presiding officer*), cum quo efficit integrum aliquod corpus sociale. Hoc autem caput vocatur generatim caput numerale, praepositus,[1] prima dignitas.[2]

## ART. V.

### ERECTIO CAPITULI CATHEDRALIS ET NOMINATIO CANONICORUM.

(*Erection of Cathedral Chapters and Appointment of Canons.*)

**700.** *Quaer.* A quo erigi possint capitula cathedralia?

*Resp.* A solo Romano Pontifice, qui regulariter simul et ecclesiam cathedralem designat et in ipsa capitulum constituit. Ad rectam hujus responsi intelligentiam, observandum est quod ex jure communi, hujus capituli tum consilium tum consensus exquirendus est ab Episcopo in casibus a jure statutis relate ad dioecesis administrationem. Porro cum jus commune praescribit ut Episcopus agat cum consensu vel consilio capituli, eo ipso decernit, uti patet, ut hujusmodi capitula in unaquaque dioecesi erigantur. Proinde singuli Episcopi procurare debent ut capitulum instituatur in sua dioecesi, et ut erectio formaliter a Summo Pontifice obtineatur. Hinc etiam, ut ait Mgr. Zitelli,[3] S. C. de P. F., Episcopos suae jurisdictionis hortari nunquam destitit ad capitula in propriis dioecesibus erigenda.

**701.** *Quaer.* Quibusnam competat collatio canonicatuum (*the appointment to canonships*)?

*Resp.* De jure communi, una simul ad Episcopum et ad capitulum,[4] adeo ut vel utraque pars (*the Bishop and the*

[1] The Very Rev. Provost. [2] Bouix, de Capit. p. 60.

[3] Appar. p. 148.

[4] Cap. 31, de Elect. (i. 6); Glossa ib. v. postulavit; cap. 15 (iii. 9); Glossa, ib.

*chapter*) conjunctim canonicatus conferat; vel si simultaneitas haec sit nimis difficilis in praxi, mutuo consentiant Episcopus et capitulum ut alternis vicibus canonicatus conferantur tum ab Episcopo solo, tum a capitulo solo.[1] Primae tamen dignitatis in capitulo (*president of the chapter*) nominatio ad S. Pontificem pertinet. Cf. nostrum *Elements*, vol. I. p. 468, ed. 6ª.

## ART. VI.

### OFFICIA ET JURA CAPITULI CATHEDRALIS, QUATENUS EST CORPUS AB EPISCOPO DISTINCTUM.

(*Obligations and Rights of Cathedral Chapters, considered as Ecclesiastical Corporations distinct from the Bishop.*)

**702.** Capitulum cathedrale officia et jura habet triplici sub respectu, scilicet: 1° quatenus consideratur in se, et ut corpus morale ab Episcopo sejunctum; 2° ut senatus Episcopi, sede plena; 3° quatenus supplet Episcopum, sede vacante. De officiis capituli quae respiciunt sedem sive plenam sive vacantem in sequentibus articulis loquemur. Hic de iis solummodo officiis agemus quae ad capitulum in se spectatum pertinent.

**703.** *Quaer.* Quaenam sint officia praecipua (*chief duties*) capituli cathedralis in se spectati?

*Resp.* Canonici tenentur 1° publicam suae fidei emittere professionem, juxta formam a Pio IV. praescriptam et a Pio IX. emendatam.[2]

**704.** 2° Ad chori servitium, id est, (*a*) ad solemnem breviarii in choro quotidianam recitationem; (*b*) ad celebrationem cum cantu quotidianae missae, ut aiunt, de die, quae conventualis dicitur (*conventual, community mass*), quaeque pro benefactoribus applicari debet; (*c*) ad nonnulla alia servitia in choro,[3] quae vide apud Zitelli, l. c. p. 151.

**705.** 3° Residere penes ecclesiam cathedralem (*live near the cathedral*). Nam tenentur canonici per se, et non per substitutos, nisi exceptionaliter, officia atque munera supradicta explere: quod facere nequeunt nisi in suis ecclesiis immorentur.[4]

[1] Prael. S. Sulp. n. 388. [2] Nostrum *Elements*, vol. I. p. 520, ed. 6ª.
[3] Conc. Trid. sess. 24, cap. 12, de Ref. [4] Conc. Trid. l. c.

**706.** *Quaer.* Quaenam sint jura (*rights*) capituli cathedralis, in se spectati?

*Resp.* Jura canonicorum maxime in fructuum perceptione (*in the receiving of a certain income*) consistunt. Fructus autem canonicatus [1] duplicis sunt generis: (*a*) *fructus annui* (*yearly salary or income*), seu fructus praebendae, uti sunt proventus, redditus et emolumenta, quae procedunt ex bonis seu juribus fixe et perpetuo canonicatui annexis, quaeque dotem (*endowment*) canonicatus constituunt; [2] (*b*) *Distributiones quotidianae* (*emoluments distributed daily among the canons*), suntque ea pars beneficii, quae quotidie tribuitur iis qui divinis officiis intersunt. [3]

**707.** Jam vero fructus annui asignantur canonico propter annuam in loco canonicatus residentiam; distributiones vero quotidianae propter quotidianam in choro praesentiam. [4]

**708.** Supradicta autem officia (*duties*) et jura (*rights*) pertinent non solum ad capitula cathedralia, verum etiam ad capitula collegiata, et proinde *communia* (*rights and duties common to all chapters*) vocantur. Quae autem jura et officia *propria et exclusiva* sint capituli cathedralis, paulo inferius indicabimus.

## ART. VII.

### OFFICIALES CAPITULI CATHEDRALIS IN SE SPECTATI.

(*Officers of the Cathedral Chapter, viewed as a Corporation distinct from the Bishop.*)

**709.** Loquimur hic de capitulo cathedrali quatenus est corpus ab Episcopo sejunctum. Proinde quae dicturi sumus, ad alia etiam capitula pertinent, et hac de causa *jura communia* appellari solent.

**710.** *Quaer.* Quinam sint officiales capituli cathedralis in se spectati?

*Resp.* Capitulum hoc, etiam in se spectatum, et quatenus ab Episcopo distinctum, est corpus morale, seu societas vel

[1] That is, the income of the canonship.
[2] Cap. Licet 32, de praeb. (iii. 5); Conc. Trid. sess. 24, c. 15, de Ref.
[3] Cap. Licet cit.; Conc. Trid sess. 24, c. 12, 14, 15, de Ref.
[4] Conc. Trid. sess. 24, c. 12, de Ref.; De Brab. n. 405.

associatio. Porro omnis societas, etiam imperfecta, necessario quosdam habet officiales. Hinc et capitulum cathedrale, in se spectatum, habet praesidem seu caput (*president, chairman*), secretarium, thesaurarium, custodem,[1] etc. De singulis pauca delibare placeat.

**711.** *Praeses seu caput* (*dean, provost*).—Capitulum cathedrale, quatenus est senatus Episcopi habet Episcopum praesidem seu caput. Verum quatenus spectatur ut corpus ab Episcopo sejunctum, suum proprium possidet caput, qui vocatur decanus. Jam vero hujus decani seu primae dignitatis officium est, in omnibus rebus quae ad dioecesim, sede plena, non spectant, capitulum convocare, illique convocato praesidere; summa cura invigilare ut tum in choro tum in coetibus capitularibus, omnia secundum canones et statuta specialia debite peragantur.[2]

**712.** Praeter decanum capitulum insuper habet (*a*) *Secretarium* (*a secretary*) qui in acta redigit res in capitulo gestas; (*b*) *Thesaurarium* (*a treasurer*), *Sacristam* (*a sacristan*), necnon alios officiales. Omnes hi officiales ab ipso capitulo constituuntur. Capitulum insuper proprio sigillo utendi jure gaudet.[3]

**713.** Praeter hos officiales qui omnibus capitulis, etiam collegiatis communes sunt, duo alii in capitulis cathedralibus constituendi sunt, nempe: (*a*) *canonicus theologalis* (*the canon theologian*),[4] cujus officium est, praestitutis ab Episcopo diebus, horis et loco, sacerdotibus aliisque, vel sacras scripturas explanare, vel dogmata exponere, vel etiam quaestiones morales pertractare.

**714.** (*b*) *Poenitentiarius* (*diocesan confessor*), qui ad audiendas confessiones in tota dioecesi institutus est.[6] Eo ipso quod est institutus habet a jure et Concilio Tridentino facultatem audiendi confessiones in tota dioecesi, absque alia Ordinarii approbatione, et est veluti parochus totius dioecesis.

[1] Cf. Statuta Capit. in Syn. Westm. approb. 1852; Coll. Lac. vol. III. p. 948.
[2] De Brab. n. 415.
[3] Phillips, Comp. § 158.
[4] Cap. 4, de Mag. (v. 5).
[5] Conc. Trid. sess. v. c. 1, de Ref.
[6] Conc. Trid. sess. 24, c. 8, de Ref.

Praebendae theologalis et poenitentiaria, praevio examine et concursu, ab Episcopo sunt conferendae.[1]

## ART. VIII.

### CONGREGATIONES CAPITULARES.

(*Meetings of the Chapter.*)

**715.** *Quaer.* Quandonam et per quem capitulum cathedrale convocari debeat?

*Resp.* 1° Congregationes (*sessions, meetings*) capituli aliae sunt *ordinariae*, quae semper fixis die, hora et loco habentur; aliae *extraordinariae*. Porro in rebus quae Episcopum vel ejus dioecesim spectant, Episcopi est capitulum convocare;[2] in aliis vero negotiis convocatio spectat ad capituli decanum, et illo deficiente ad seniorem ex canonicis.[3]

**716.** 2° De ratione dandi votum in capitulo, haec observanda sunt: (*a*) Quando agitur de eligendo Episcopo, modus a Concilio Lateranensi praescriptus, servandus est.[4] (*b*) In aliis vero resolvendis negotiis, voces porrigi possunt secluso jure speciali, vel per vota secreta, vel per aperta suffragia.[5]

## ART. IX.

### OFFICIUM ET JURA CAPITULI CATHEDRALIS, QUATENUS EST EPISCOPI SENATUS, SEDE PLENA.

(*Rights and Duties of Cathedral Chapters, as forming the Diocesan Senate, while the See is filled.*)

**717.** Hactenus de capitulo cathedrali egimus praecipue quatenus spectatur uti corpus ab Episcopo sejunctum. Impraesentiarum de capitulo ecclesiae cathedralis agemus quatenus Episcopi senatum constituit, sede plena, ejusque vices supplet, sede vacante. In praesenti articulo de relatione cum Episcopo, sede plena—delibare placeat; in sequenti de ipsius relatione cum dioecesi, sede vacante.

**718.** Capitulum cathedrale, praeterquamquod sit peculiare corpus, et ab Episcopo separatum, constituit etiam, ex jure

[1] De Brab. n. 400.
[2] Conc. Trid. sess. 25, c. 6, de Ref.
[3] Bouix, de Capit. p. 193.
[4] Cap. 42, de Elect. (i. 6).
[5] Bouix, de Capit. p. 183.

communi hodierno, senatum Episcopi (*the Bishop's advisory board*), concurritque ad regimen dioecesis. Proinde, sede plena (*when the episcopal see is filled*) tenetur Episcopus, ex jure communi, hodiedum adhuc vigente, aliquando consensum (*consent*), aliquando vero solum consilium (*advice*) capituli exquirere. Quando capituli consensus et necessarius, illud sequi tenetur; quando solum consilium requiritur, tenetur quidem Episcopus illud postulare, et quidem sub poena nullitatis actus, verum illud sequi non tenetur, nisi id expressum in jure habetur.

**719.** *Quaer.* Ad quosnam actus teneatur Episcopus capituli consensum obtinere?

*Resp.* I. Generica responsio est, Episcopo necessarium esse capituli consensum, ex jure hodierno communi, in omnibus negotiis gravioribus et magis arduis (*in all matters of grave importance*).[1] Dicitur *negotiis gravioribus;* nam negotia quae sunt ordinaria, idest, quae ad quotidianam dioecesis gubernationem pertinent, Episcopus peragere potest absque capituli consensu.[2]

**720.** II. Singuli vero casus in quibus, spectato jure hodierno, tenetur Episcopus consensum hunc impetrare, sunt praecipue: 1° In alienandis et acquirendis bonis ecclesiasticis (*in alienating, selling, or buying ecclesiastical property*); sive hujusmodi bona sint ecclesiae cathedralis, sive alterius ecclesiae, paroeciae vel etiam loci pii. Praeter hunc consensum requiritur hodie etiam licentia S. Sedis.[3] Et si agatur de bonis alicujus paroeciae seu loci pii, necessarius est insuper consensus parochi vel administratoris.[4]

**721.** 2° In constituendis hypothecis (*in mortgaging ecclesiastical property*), vel alio modo obligando ecclesias seu bona ecclesiastica.[5] 3° In mutando statu seu conditione alicujus beneficii, paroeciae, sive loci pii, et proinde in uniendis, supprimendis et dividendis seu dismembrandis paroeciis.[6] 4°

[1] Alexander III. cap. 4, de his (iii. 10). [2] Santi, l. 3, t. 10, n. 6.
[3] Paulus II. cap. Ambitiosae 1, de reb. Extrav. com. (iii. 4).
[4] Innoc. IV. cap. 1, de reb. eccl. in 6° (iii. 9).
[5] Can. 52, c. 12, q. 2; Schneider, Domkapitel, p. 358.
[6] Cap. 9, de his (iii. 10); cap. 8, de Const. (i. 2).

Quando agitur de commodo vel incommodo capituli qua talis, veluti si quaestio est de augendo vel supprimendo canonicorum numero, juxta regulam 29 juris in 6° "quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari.[1] 5° In iis omnibus rebus et negotiis in quibus (*a*) capitulo, (*b*) vel ipsi dioecesi notabile praejudicium generari potest. Nam capitulum est de jure deputatus ad dioecesis jura defendenda.[2]

6° In eligendis examinatoribus prosynodalibus,[3] seu in constituendis examinatoribus extra synodum dioecesanam. 7° In imponendis novis taxis seu contributionibus dioecesanis.[4]

**722.** 8° In tradenda ecclesia parochiali alicui familiae religiosae;[5] siquidem hujusmodi actus praesefert speciem alienationis. In hoc casu requiritur insuper licentia S. Sedis.[6]

**723.** *Quaer.* In quibus praecipue casibus teneatur Episcopus, de jure hodierno capituli consilium exquirere?

*Resp.* 1° In condendis et edendis constitutionibus synodi dioecesanae.[7] Canonistae hoc etiam extendunt ex paritate rationis ad quaelibet decreta sive statuta pro tota dioecesi lata, extra synodum.[8] 2° In exercenda jurisdictione episcopali administrativa et voluntaria,[9] dummodo agitur de re gravioris momenti, v.g. in conferendis paroeciis. 3° In corrigendis et puniendis clericorum defectibus.[10] 4° In caeteris alicujus momenti negotiis; quia Episcopus cum canonicis suis unum efficit corpus, cujus ipse caput est, et illi membra.[11]

**724.** Caeterum ubi Episcopus a S. Pontifice vel a S. Congregatione ad negotium aliquod *particulare hic et nunc peragendum delegatur,* non indiget consilio Capituli (apud nos, Consultorum) vel ejus consensu, nisi tamen S. Sedes, in delegatione juberet servari de jure servandis.[12] (Appendix IV.)

[1] Cap. 8, de Const.; cap. 33, de Praeb. in 6°.

[2] Cap. 17 (i. 33); cap. 10 (iii. 10); Schneider, l. c. p. 362.

[3] Decret. Clem. VIII. 1593; Bened. XIV. De Syn. lib. 4, cap. 7, n. 9; cf. Conc. Trid. sess. 24, c. 18, de Ref.

[4] Schneider, Bish. Domkapitel, p. 366.

[5] C. 73, c. 12, qu. 2; Innoc. III. c. 8, de his (iii. 10).

[6] Conc. Trid. sess. 24, c. 13, de Ref.

[7] Cap. 5, de his (iii. 10). [8] Schneider, l. c. p. 351.

[9] Ib. p. 354. [10] Cap. 4, de his (iii. 10); Schmalzg. l. 3, t. 10, n. 9.

[11] Cap. 4, cit. Schmalzg. l. c. [12] Leur. l. 3, t. 10, q. 108.

**725.** *Quaer.* Quaenam sint capituli obligationes erga Episcopum?

*Resp.* Capitula, etiamsi exempta sint, tenentur Episcopo exhibere *primo reverentiam* seu signa honoris, scilicet (*a*) ei primum locum (*place of honor*) tribuendo;[1] (*b*) illi assistendo et inserviendo, quando pontificaliter celebrat;[2] (*c*) illum associando et deducendo (*accompanying him*). Hinc cum Episcopus ad pontificaliter celebrandum accedit, tenentur canonici illum comitari ad ecclesiam cathedralem, et post peractam rem sacram, illum recedentem associare usque ad ecclesiae portam.[3]

**726.** *Secundo* capitulum debet Episcopo *obedientiam*, quae in duobus potissimum consistit, nempe (*a*) in justis Episcopi mandatis excipiendis et observandis. Nam Episcopus potest capitulo ea omnia mandare quae ratione status clericalis, officii et beneficii praestanda sunt vel a singulis canonicis, vel a toto capitulo, juxta sacros canones. (*b*) In ejusdem judicio subeundo. Nam forum competens capituli est tribunal Episcopi.[4] Quare si legitime citatur capitulum vel capitulares ad comparendum in judicio coram Episcopi tribunali (*cited to appear for trial*), in eo tribunali comparere tenentur. Forma autem judicii (*the form of trial*), quando agitur de capitulis exemptis, habetur in Conc. Trid. sess. 25, c. 6, de Ref. Si vero agatur de capitulis non exemptis, ea forma judicii adhibenda est quae instituitur juxta sacros canones cum quolibet clerico immediate Episcopo subjecto.[5]

## ART. X.

### JURA ET OFFICIA CAPITULI CATHEDRALIS, QUANDO SEDES VACAT.

(*Rights and Duties of Chapters, during the Vacancy of the Bishopric.*)

**727.** Hactenus de iis juribus egimus quae capitulo competunt, quando sedes episcopalis plena est. Impraesentiarum pauca proferre praestat de capitulis, quando sedes vacat. Jam

[1] Conc. Trid. sess. 25, c. 6, de Ref.
[2] Ib. sess. 24, c. 12, de Ref.
[3] Zitelli, l. c. p. 161.
[4] C. Trid. sess. 6, cap. 4, de Ref.; sess. 14, cap. 4, de Ref.
[5] Zitelli, l. c. p. 163; Schneider, l. c. p. 341.

vero, quamdiu sedes vacat, capitulum Episcopi locum et vices supplet, et proinde dioecesim gubernat.

**728.** *Quaer.* Quaenam sit capituli potestas, sede vacante?

*Resp.* Cum sedes episcopalis proprie loquendo vacat,[1] nempe per Episcopi obitum, renuntiationem, translationem vel depositionem, ad capitulum cathedrale, ex jure communi, etiam hodie vigente, et non per delegationem, dioecesis administratio tum in temporalibus, tum in spiritualibus, spectat;[2] ita tamen ut potestas illa administrationis ad actus magis urgentes praecipue porrigatur, quippe quae potius *provisoria* est quam stabilis.[3] Hinc sede vacante (*while the episcopal see is vacant*), capitulum, vel vicarius a capitulo electus, succedit Episcopo in omnibus quae pertinent ad potestatem episcopalem jurisdictionis ordinariae et consuetudinariae, tum in foro interno, tum in foro externo, tam in spiritualibus quam in temporalibus, iis tantum exceptis quae vel principiis generalibus, vel a jure expresse capitulo sunt prohibita.[4]

**729.** Jam vero capitulo sunt prohibita omnia quae Episcopo competunt (*a*) vel ex potestate *ordinis*, uti per se patet; potest tamen capitulum ad exercenda pontificalia exterum advocare Episcopum; (*b*) vel ex speciali privilegio; (*c*) vel denique ex speciali S. Sedis delegatione. Nam capitulum habet Episcopi potestatem *ordinariam* non vero *delegatam* seu Papalem.

**730.** Diximus *ex speciali S. Sedis delegatione.* Proinde facultates quae a S. Sede Episcopis praesertim in locis missionum conferuntur, non transeunt ad capitulum vel vicarium capitularem. Ast, quid dicendum de iis facultatibus Papalibus quae Episcopis a jure et praesertim a Concilio Tridentino deleguntur? Conveniunt auctores capitulum in iis succedere, quae Episcopo delegantur *etiam* tamquam Apostolicae Sedis delegato. Quia in hoc casu, ut aiunt, facultatem habet utroque jure, et ordinario et delegato. Utrum idem sit tenendum quando deest particula *etiam* in delegatione a jure, controvertitur. Sed tenendum videtur ea quoque capitulo competere.[5]

[1] Cf. nostrum *Elements*, vol. I. n. 634.

[2] Bonifac. VIII. cap. 3, 4, de Suppl. in 6° (i. 8); Conc. Trid. sess. 7, c. 10, de Ref.; sess. 24, c. 16, de Ref.

[3] De Brab. n. 420.

[4] Cf. Bouix, de Capit. p. 482.

[5] De Brab. n. 420.

Nam delegationes a jure sunt perpetuo muneri episcopali adnexae, et proinde jurisdictioni Episcopi ordinariae aequiparantur.[1] Quoad caetera quae capitulo non competunt, vide nostrum *Elements,* vol. I. n. 636 sq.

**731.** *Quaer.* Utrum capitulum possit praefatam dioecesis administrationem collegialiter (*in a body*) exercere, an teneatur suam hac in re potestatem vicario a se eligendo committere?

*Resp.* Ante Tridentinum poterat per se ipsum capitulum potestatem suam exercere. Ast hodie, ex Concilio Tridentino,[2] tenetur intra octo dies a notitia vacationis, vicarium eligere, qui vacantem dioecesim nomine et vice totius capituli regat, quique proinde vicarius capituli vocatur (*agent, attorney of the chapter*). Hinc primis acto diebus post vacationem, totum capitulum dioecesim collegialiter administrare potest: statim autem post electionem suam, eam administrat solus vicarius capituli.

**732.** *Quaer.* Quaenam sit potestas capitularis vicarii?

*Resp.* Statim ac vicarius a capitulo legitime sit electus, *tota* in eum transit capituli potestas, et proinde tota dioecesis administratio. Dicitur *tota;* nam hodie certum est, capitulum nullam jurisdictionis partem sibi reservare posse.[3]

**733.** *Quaer.* Quomodo cesset munus vicarii capitularis?

*Resp.* Capitulum tenetur vicarium deputare, non ad certum et definitum tempus, sed pro toto tempore vacationis.[4] Quapropter cessat officium vicarii solum quando (*a*) libere renuntiat, moritur aut removetur a S. Congregatione, in quibus casibus tenetur capitulum, intra octo dies, novum constituere vicarium; (*b*) quando, ut ordinarie contingit, novus Episcopus fuit electus, et litteras apostolicas capitulo exhibuit,[5] vel capitulo deficiente, ei qui vacantem dioecesim legitime administrat,[6] vel ei qui legitime ejusmodi administratorem seu vicarium designavit.[7] Pro aliis quaestionibus relate ad vicarium capituli, vide nostrum *Elements,* vol. I. pp. 394 sq., 466 sq.

[1] Zitelli, Appar. p. 167.
[2] Sess. 24, c. 16, de Ref.
[3] Pius IX. Const. *Romanus Pontifex,* 1873.
[4] Ib.
[5] Ib.
[6] De Brab. p. 425.
[7] Zitelli, l. c. p. 167.

## ART. XI.

### CAPITULA CATHEDRALIA IN LOCIS MISSIONUM.

(*Cathedral Chapters in Missionary Countries.*)

**734.** Praecipuus finis capituli cathedralis ecclesiae, non est praecise officium divinum recitare, uti jam diximus, verum Episcopo auxilium ferre in dioecesis regimine, idque tum consilio tum opere (*by advice and deed*). Jam vero hic capituli usus ubique terrarum existit, et proinde etiam in regionibus missionum. Hac de causa S. C. de Prop. Fide Episcopos illarum regionum semper adhortata est ut capitula instituant, vel saltem ubi id omnino impossibile est, viros ecclesiasticos sibi adsciscant, qui ipsis coadjutores et consiliarii sint in dioeceseos regimine.[1]

**735.** *Quaer.* Quaenam sit generaliter organizatio capitulorum in regionibus missionum?

*Resp.* Plerumque in hisce locis, non adsunt praebendae canonicales (*revenues or endowments for canonships*). Deest etiam generatim sufficiens sacerdotum ad chori servitium numerus. Quapropter S. C. de Prop. Fide, quando in locis missionum capitula cathedralia instituit, regulariter etiam illa a chori servitio dispensat, id est, (*a*) a recitatione quotidiana breviarii seu officii in choro; (*b*) a residentia prope ecclesiam cathedralem, (*c*) et permittit S. Congregatio ut canonici sint parochi seu missionarii, qui per dioecesim dispersi, prope suas parochias seu missiones resideant; (*d*) generatim autem praescribit S. Congregatio ut hi canonici semel singulis mensibus apud cathedralem conveniant, ibique *Tertiam* (*Tierce*) recitent, et missam celebrent, ut hoc modo saltem quoddam vestigium habeatur servitii in choro.

**736.** Verum in omnibus aliis rebus, S. C. in his capitulis conservat, in quantum est possibile, tum *formam* seu *organizationem* tum *jura*, capituli proprie dicti, relate ad Episcopum sede plena, et ad diocesim sede vacante.

**737.** Proinde capitula haec, sicut capitula proprie dicta cathedralia, sunt corpora moralia (*ecclesiastical corporations*

[1] Zitelli, Appar. p. 148.

*or bodies corporate*). Jam vero quatenus efformant Episcopi senatum, habent Episcopum uti praesidem. Quatenus vero constituunt corpora moralia cum propriis juribus, et ab Episcopo distincta, suum proprium habent praesidem (*chairman, the Very Rev. Provost*). Quapropter, in rebus quae proprie ad capitulum pertinent, convocantur a suo praeside seu decano, qui etiam conventui praeest. Assensus tamen Episcopi regulariter obtinendus est ad hanc convocationem. In rebus vero quae ad dioecesim spectant, ab Episcopo vel de ejus mandato, a vicario generali convocantur, qui etiam coetui praeest.

**738.** Talia autem capitula, locis missionum accommodata, hodie in Anglia, Hibernia, Hollandia, etc., existunt, et maximo quidem cum Ecclesiae bono. S. C. de Prop. Fide, in collationibus Romae, anno 1883, inter Cardinales S. C. de P. F. et Archiepiscopos nostros habitis, existimabat expedire institutionem hujusmodi capitulorum in Statibus hisce Foedere junctis. Ast reclamantibus nostris Praelatis, res dilata est, et institutio consultorum dioecesanorum ad interim substituta est.

**739.** *Quaer.* Quaenam sint officia et jura hujusmodi capitulorum, *sede plena?*

*Resp.* Generatim loquendo Episcopus tenetur vel consilium vel consensum a suo capitulo exquirere in casibus in quibus alterutrum ex jure communi a capitulis proprie dictis exquirendum est. Hoc patet tum ex forma, tum ex fine horum capitulorum: tum ex eo quod S. Pontifex contrarium non expresserit.

**740.** *Quaer.* Quaenam sint jura horum capitulorum, *sede vacante?*

*Resp.* Eadem prorsus ac illa quae competunt capitulis cathedralibus proprie dictis. Hinc tota Episcopi potestas ordinaria transit ad illa capitula,[1] quae tamen tenentur, eodem modo ac alia capitula cathedralia, intra octo dies a notitia vacationis, vicarium eligere, in quem statim transit tota capituli potestas dioecesim regendi.

[1] Cf. Statuta capit. pro Anglia in Coll. Lac. vol. III. p. 949.

## ART. XII.

### CONSULTORES DIOECESANI IN HISCE STATIBUS.

(*Diocesan Consultors in the United States.*)

**741.** *Quaer.* Quid notandum sit quoad consultores nostros?

*Resp.* Quamdiu in praesenti rerum statu capitula cathedralia erigi nequeant, instituantur necesse est Consultores Dioecesani, qui sint loco capitulorum.[1] Ejusmodi consultores, in unaquaque dioecesi, numero debent esse sex, vel saltem quatuor; ubi vero nullo modo tot haberi poterunt, sint saltem duo. Eligendi erunt ab Episcopo, ea tamen ratione, ut dimidiam eorum partem eligat ex sese, alteram vero partem nonnisi post propositionem cleri.[2] Eliguntur ad *triennium.*

**742.** *Quaer.* Quaenam sint attributiones seu jura horum Consultorum?

*Resp.* 1° Sede plena, consilium Consultorum exquirendum est ab Episcopo in casibus determinatis a Concilio Pl. Balt. III. n. 20, 33, 37, 38–vii. 273, 294.[3]

**743.** 2° Sede vacante, administrator dioecesis Consultorum Consilium adhibere tenetur in iisdem casibus. Tum Episcopus tum administrator Consilium hoc exquirere debet, et quidem sub nullitate actus, verum illud sequi non tenetur, nisi ubi jus id expresse statuit.[4]

**744.** 2° De modo hoc consilium praebendi, Conc. Pl. Balt. III. n. 21, haec habet: "Consilium Consultorum praestabitur *collegialiter.*" Opus est proinde 1° ut in sessione Consultorum, Episcopus vel alius ab illo ad hoc deputatus negotia discutienda proponat; 2° ut habeatur tractatus seu consultatio,[5] id est ut unusquisque consultor, si velit, explicet quid sibi dicendum videatur; 3° denique ut votum suum singuli conferant (*give their vote*); votum hoc seu suffragium potest esse vel apertum (*open vote*), vel si Consultoribus ita videatur, secretum.[6]

[1] Conc. Pl. Balt. III. n. 18. [2] Ib. n. 19, 20.
[3] Cf. nostrum *Elements*, pp. 470 sq. editio 6ª.
[4] Conc. Plen. Balt. III. n. 22. [5] Schneider, Domkapitel, p. 268 sq.
[6] Conc. Plen. Balt. III. n. 22.

**745.** *Quaer.* Utrum Consultores nostri facultatem habeant eligendi dioecesis vacantis administratorem?

*Resp.* Negative. Nam Consultores isti capitulum cathedrale non constituunt. Hinc nec possident jura quae in lege capitulis proprie dictis conferuntur. Proinde administratio dioecesis vacantis non devolvitur ad Consultores, et hac de causa nec deputare possunt administratorem, nisi id expresse cautum sit in jure. At vero in jure—id est, in Concilio Pl. Balt. III., id non habetur expressum. Quapropter, administrator hodie deputatur, ut antea, vel ab ipso Episcopo, vel a Metropolitano, usque dum S. Sedes certiorata, vel illum confirmaverit, vel alium elegerit. Expirat autem munus administratoris, statim ac novus Episcopus ipsi litteras apostolicas suae promotionis exhibuerit.

**746.** *Quaer.* Quid dicendum de vacantis dioecesis administratore, in aliis locis missionum?

*Resp.* Observandae sunt constitutiones Benedicti XIV *Ex Sublimi,* 26 Januar. 1753; *Quam ex sublimi,* 8 Aug. 1755.

**747.** Hae constitutiones immortalis Pontificis decernunt 1° Unumquemque Vicarium Apostolicum teneri vicarium generalem deputare, qui ipso facto erit administrator, sede vacante. Ille habeat omnem jurisdictionem qua gaudet ipse Vicarius Apostolicus. 2° In locis ubi adsunt Episcopi cum jurisdictione ordinaria, modus hic est: Ubi adsunt capitula, illa vicarium capitularem eligunt; ubi vero nulla habentur capitula, verum ubi consuetudo id fert, administrator eligatur a parochis seu missionariis; quando autem hi Ordinarii neque Capitula Cathedralia, neque parochos in suis civitatibus et dioecesibus habent, sed dumtaxat sacerdotes aliquot, et missionarii reperiuntur per terras et oppida dispersi, ita ut insimul convenire minime valeant, tunc Vicarius Generalis jam a defuncto Episcopo constitutus, ipso facto, fit Vicarius capitularis, cum omnibus facultatibus quae Vicarius capitularibus, sede vacante, de jure competere dignoscuntur. (Nostrum *Elements,* vol. I. p. 400, ed. 7ª.)

# CAPUT VII.

## DE PAROCHIS, ET RECTORIBUS MISSIONUM.

***(Parish Priests, and Missionary Rectors.)***

## ART. I.

### QUID SIT PAROCHUS?

***(What is meant by a Parish Priest?)***

**748.** *Quaer.* Quid sint Parochi proprie dicti?

*Resp.* Parochi sunt Presbyteri quibus intra certos dioecesis limites assidua et perpetua animarum cura tradita est.[1] Dicitur 1° *intra certos limites:* nam mandat Concilium Tridentinum Episcopis, ut in locis ubi ecclesiae parochiales certos non habent fines (*where parochial churches have no fixed boundaries*), "distincto populo in certas propriasque parochias, unicuique (parochiae) suum rectorem assignent."[2]

**749.** Dicitur 2° *perpetua,* etc.; etenim Conc. Trid. l. c. mandat Episcopis ut unicuique parochiae *perpetuum,* id est, *inamovibilem* parochum assignent. Aliis verbis jubet Conc. Trid. l. c., ut ii qui animarum curae praeficiuntur, sint perpetui seu inamovibiles.[3] Quia sic tutiori modo aeternae saluti parochianorum consulitur. Et sane, melius prospicitur saluti animarum per rectores qui sunt inamovibiles—quique hac de causa spirituale matrimonium cum parochia contraxisse censentur,[4] et qui proinde recte in jure reputantur *sponsi, patres, pastores* gregis sibi commissi,—quam per rectores qui sunt amovibiles, et qui propterea in jure non censentur esse *sponsi* et *patres* gregis.[5] Quapropter S. Congregatio, statim ac dignoscit alicubi curam animarum per rectores amovibiles exer-

[1] Conc Trid. sess. 24, c. 13, de Ref.; Soglia, vol. II. p. 44.

[2] Conc. Trid. sess. 24, c. 13, de Ref.; sess. 14, c. 9, de Ref.; cap. 9, de his (iii. 10).

[3] Immo non solum parochus, verum et ipsa parochia debet esse perpetua, idest, non dividi absque causa in jure designata. De Angelis, Prael. l. 3, t. 29, n. 3.

[4] Conc. Trid. sess. 24, c. 13, de Ref.

[5] Nostrum *Elements,* vol. I. n. 643, ed. 6ª, 1888.

ceri, rectores seu vicarios perpetuos ad formam juris constitui praecipit.[1]

**750.** Dicitur 3° *Cura animarum;* porro cura haec est officium (seu jus et obligatio) aeternam procurandi salutem parochianorum, per media in foro interno propria, nempe per sacramentorum administrationem, verbi Dei praedicationem, et aliorum officiorum praestationem.[2] Haec vero potestas parocho competit, vi officii sui, et proinde est ordinaria. Nam ex lege generali Ecclesiae officio parochi annexa est. Proinde eo ipso quod quis parochus constituatur, potestatem suam a lege accipit; unde nulla alia indiget deputatione, approbatione aut delegatione.[3]

**751.** Quamvis nullam proprie dictam jurisdictionem in foro externo habeat parochus, tamen gaudet quadam potestate oeconomica in foro externo, qua veluti pater familias subditis invigilat, quaque utitur ad parochiam recte administrandam quoad spiritualia ac temporalia, tum quoad bonum ordinem in ea tuendum.[4]

**752.** *Quaer.* Quid sit parochia canonica?

*Resp.* Est certa alicujus dioeceseos ecclesia, quae populum certis limitibus distinctum et rectorem inamovibilem habet,[5] qui ordinaria pollet auctoritate eidem populo sacramenta et alia officia spiritualia administrandi et a quo solo licite parochiani sacramenta suscipiunt.[6]

**753.** *Quaer.* Quinam sint et dicantur proprie parochiani?

*Resp.* Omnes et soli illi qui intra limites alicujus parochiae verum, vel saltem quasi-domicilium habeant, sive dein sint laici, sive clerici.[7]

**754.** Pluribus vero in locis, extant paroeciae seu missiones, quae non distinguuntur *per territorium*, seu per determinatos districtus locorum, sed per familias et populos.[8] Hoc videre est in omnibus horum Statuum Foederatorum dioecesibus, quando nempe, idem territorium incolunt populi diversarum nationum et linguarum.[9]

[1] Zitelli, Appar. p. 171.
[2] Santi, l. c. l. 3, t. 29, n. 3.
[3] De Brab. n. 483.
[4] Ib. n. 437.
[5] Conc. Trid. sess. 24, c. 13, de Ref.
[6] Santi, l. 3, t. 29, n. 3.
[7] Reiff. l. 3. t. 29, n. 10.
[8] Cf. Ferrari, v. Parochia, n. 17.
[9] Cf. De Angelis, l. 3, t. 29, n. 2.

## ART. II.

### NOMINATIO PAROCHI, ETIAM APUD NOS.

(*Appointment of Rectors, also with us.*)

### § 1. NOMINATIO PAROCHI PROPRIE DICTI EXTRA LOCA MISSIONUM.

(*Appointment of Parish Priests in Non-missionary Countries.*)

**755.** *Quaer.* A quo, et qua forma constituendus sit Parochus, in locis ubi viget jus commune?

*Resp.* 1° Collatio parochiarum (*the appointment to parishes*) spectat, generatim loquendo, ad Episcopum.[1]

**756.** 2° De jure communi hodierno, regulariter nemo parochiae praeponendus est ab Episcopo, nisi praevio concursu seu examine. Aliis verbis, cum parochialis ecclesia vacare contigerit, instituendus est concursus (*competitive examination*), in quo competitores examinandi sunt, coram Episcopo vel ejus vicario generali et tribus saltem examinatoribus in synodo dioecesana electis, et parochia illi conferenda est competitori qui, examine peracto, dignior repertus est.[2]

**757.** *Quaer.* Qua forma concursus sit peragendus?

*Resp.* Summatim hic praecipuas juris dispositiones hac de re exponemus.[3] Itaque 1° Episcopus, habita notitia vacationis (*as soon as he knows that a parish has become vacant*), deputat statim, si opus fuerit, vicarium (*administrator of the parish*), cum congrua sustentatione ex fructibus parochiae. Hic vicarius paroeciam vacantem administrat usquedum de novo rectore sit provisa.

**758.** 2° Deinde per edictum publicum (*v.g. by notice in a newspaper*) indicitur concursus, et praefigitur terminus decem vel ad summum viginti dierum, intra quem Episcopi cancellario vel alteri ad id deputato, a singulis concurrentibus exhibeantur suarum qualitatum (*qualifications*) meritorum (*merits*)

[1] Nostrum *Elements*, vol. I. n. 360, 362.

[2] Conc. Trid. sess. 24, c. 18, de Ref.

[3] Conc. Trid. sess. 24, c. 18, de Ref.; Pius V. Const. *In conferendis* 16 Maii 1567; S. C. C. 10 Jan. 1721; Bened. XIV. Const. *cum illud*, 14 Dec. 1742.

et munerum (*offices*) probationes et attestationes, tam judiciales quam extrajudiciales. Dicto termino elapso, documenta hujusmodi nullatenus recipiantur. Harum autem qualitatum rationem habere debent examinatores, ita ut non solum de scientia (*learning*), verum etiam de vita, moribus, etc., judicium ferre debeant.

**759.** 3° Die ad examen constituto, omnes concurrentes (*competitors for the parish*) simul idem conclave (*the same room*) ingrediuntur, et intra idem tempus assignatum exhibeant responsa in scriptis, ad quaestiones tum e theologia dogmatica et morali, tum e jure canonico, etc., ab examinatoribus propositas. Responsa subscribuntur tum a concurrente, tum ab Episcopo aut ejus vicario generali, tum ab examinatoribus et cancellario concursus, ut sic in casu litis, eorum authenticitas probari facile possit.[1]

**760.** 4° Peracto examine, debent examinatores, et quidem priusquam e loco examinis discedant, aequo judicio librare tum responsiones a concurrentibus scripto datas, tum eorum prudentiam, vitam, etc. Hisce omnibus conjunctis perpensis, inhabiles et indignos, per sua suffragia (*votes*) rejiciunt, idoneos autem Episcopo renuntiant.

**761.** 5° Ex his (et solum ex his) qui ab examinatoribus idonei renuntiati sunt, Episcopus illum ad vacantem paroeciam eligere tenetur, quem ipse digniorem judicat.

**762.** 6° Ab hoc autem Episcopi judicio, necnon a mala relatione examinatorum (*adverse report of the examiners rejecting a candidate*), possunt concurrentes appellare. Haec autem appellatio (*a*) effectum habet solum devolutivum; (*b*) fieri debet intra decem dies a collatione (*ten days from the appointment to the parish*); (*c*) proponi potest coram metropolitano, vel si eligens fuerit ipse metropolita, coram viciniore Ordinario tanquam Apostolicae Sedis delegato, vel alias etiam directe coram Apostolica Sede; (*d*) ut judex appellationis pronuntiet juxta *acta* concursus jam habiti, nullo admisso novo documento scientiae.[2]

[1] Nostrum *Elements*, vol. I. n. 647 sq., edit. 6ª.
[2] Cf. Santi, l. 3 t. 5, n. 60; Prael. S. Sulp. n. 236.

Sunt autem nonnulli casus, ubi concursus non adhibetur, quos vide in nostro *Elements*, vol. I. n. 647, edit. 5ª.

## § 2. Nominatio Rectorum apud Nos.

(*Appointment of Rectors in the United States.*)

**763.** *Quaer*. Qua forma constituendi sint rectores apud nos?

*Resp*. I. Duplex hodie habetur in nostris Statibus rectorum classis: alii sunt inamovibiles; alii vero amovibiles. Rectores qui dicuntur *amovibiles* ab Episcopo eliguntur absque concursu, sed tamen (*a*) juxta regulas a Conc. Pl. Baltimorensi II. n. 126, statutas, (*b*) et legem tum naturalem, tum positivam Ecclesiae, quae requirit ut nonnisi digniores curae animarum praeponantur.[1]

**764.** II. Quoad rectores vero nostros *inamovibiles*, regulae quae sequuntur observari oportet: 1° "Pro nunc instituantur in singulis dioecesibus rectores missionarii *inamovibiles* tali numero ut inter omnes dioeceseos rectores *decimus quisque* sit inamovibilis."[2] 2° Ut quis sacerdos missioni inamovibili praefici valeat, opus erit, ut *concursum* faciat.[3] 3° "Volumus tamen ut Episcopi facultate gaudeant *pro prima vice* (*to appoint the first irremovable rectors*) omisso concursu, rectores inamovibiles designandi, praehabito consilio consultorum suorum."[4]

**765.** 4° Praedictus concursus, salva Episcoporum facultate pro prima vice rectores instituendi absque concursu, in posterum ab omnibus aspirantibus ad missionem inamovibilem, subeundus erit, *nisi in casu quo Ordinarius, audita examinatorum sententia,* quempiam eximendum censuerit, de cujus scientia, abundans testimonium habeat.[5]

**766.** 5° Proinde vacante missione inamovibili, Episcopus vacationem dioeceseos clero annuntiabit, concursum indicendo; et decem dies assignabit ad concurrentes adscribendos;[6] hunc

[1] Nostrum *Elements*, vol. I. n. 362.
[2] Conc. Pl. Balt. III. n. 35.
[3] Ib. n. 36.
[4] Conc. Pl. Balt. III. n. 37.
[5] Ib. n. 57.
[6] Ib. n. 42.

vero terminum prorogare poterit ad viginti imo ad *triginta dies.*[1]

**767.** 6° Ad subeundum examen, admittuntur tantum sacerdotes, qui (*a*) per *decennium* saltem sacrum ministerium laudabiliter exercuerint in dioecesi, (*b*) et intra idem tempus per tres saltem annos alicujus Ecclesiae curam habuerint tanquam simplices rectores, aut aliter specimen dederint suae habilitatis ad missionem administrandam, tam in spiritualibus quam in temporalibus.[2] 7° Examen seu concursus eo modo perficitur quo id a lege communi est praescriptum,[3] uti supra explicavimus. 8° Peracto examine, et prolato ab examinatoribus judicio, missio ab Episcopo digniori ex approbatis ab examinatoribus erit conferenda.[4] 9° Concurrentes qui paroeciam seu missionem non obtinuerunt, jus habent appellandi in devolutivo,[5] ut in jure statuitur, tum contra malam relationem examinatorum, tum contra irrationabile Episcopi judicium.[6]

**768.** 10° Quando autem et qua ratione liceat aliquando examen de doctrina separare ab examine de caeteris canonicis requisitis, et semel in anno *examen generale* de scientia pro missionibus in futurum vacaturis instituere, vide Conc. Pl. Balt. III. n. 59.

**769.** *Quaer.* Quisnam debeat esse apud nos numerus examinatorum prosynodalium, tum in genere, tum pro unoquoque concursu?

*Resp.* Vide Conc. Pl. Balt. III. n. 25, 41, 49; nostrum *Elements*, vol. I. p. 484, ed. 6ª.

**770.** *Quaer.* Quomodo eligantur apud nos examinatores synodales?

*Resp.* Vide Conc. Pl. Balt. III. n. 24, 25; nostrum *Elements*, vol. I. p. 484, ed. 6ª.

**771.** *Quaer.* Quomodo rectores constituantur in Hibernia et in Anglia?

*Resp.* 1° In Hibernia omnes rectores sunt inamovibiles.

[1] S. C. de Prop. Fide, 30 Sep. 1885; Conc. Pl. Balt. III. p. ciii.
[2] Conc. Pl. Balt. III. n. 43.
[3] Ib. n. 44–57.
[4] Ib. n. 55.
[5] Ib. n. 36.
[6] Nostrum *Elements*, vol. I. p. 485.

In Anglia duae sunt classes: alii sunt inamovibiles; caeteri vero amovibiles.

2° Porro tum in Hibernia tum in Anglia concursus nondum est introductus.[1] Verumtamen vix dubitari potest, etiam in istis regionibus S. C. de Prop. Fide concursum esse inducturam, ut hoc modo, Ecclesiae lex generalis observetur, ac uniformitas habeatur in locis missionum quae aequalis fere sunt conditionis. Cf. nostrum *Elements of Ecclesiastical Law,* vol. I. n. 647, sq. ed. 6ª.

## ART. III.

### JURA PAROCHORUM, ETIAM IN HAC REGIONE.

*(Rights of Rectors, also in the United States.)*

**772.** Omne autem officium sua habet adnexa tum jura (*rights*), tum munera (*duties*). In praesenti articulo, de juribus, in sequenti, de muneribus rectorum, etiam apud nos, loquemur. Jura rectorum versantur praecipue circa (*a*) inamovibilitatem seu stabilitatem in officio; (*b*) sacramenta; (*c*) oblationes; (*d*) funeralia; (*e*) functiones sacras peragendas; (*f*) administrationem temporalium rerum.

### § 1. Jus Inamovibilitatis.

*(The Right of Irremovability.)*

**773.** *Quaer.* Utrum rectores, seu sacerdotes qui curae praeficiuntur animarum, debeant esse inamovibiles?

*Resp.* Juxta legem ecclesiae generalem, a Concilio Tridentino firmatam et hodie vigentem,[2] cura animarum seu officium rectoris conferri debet *ad vitam,* non vero ad beneplacitum vel nutum conferentis seu collatoris. Quapropter vetitum est jure communi hodierno, ut animarum cura exerceatur per rectores qui sunt amovibiles. Haec autem lex ipsi officio rectoris optime congruit. Hoc enim officium nihil aliud est quam munus aeternam procurandi salutem parochianorum. Rectoris proinde est moribus gregis sibi communi assidue invigilare; ver-

[1] Nostrum *Elements,* vol. I. p. 422.
[2] Conc. Trid. sess. 24, c. 18, de Ref.

bum Dei praedicare; sacramenta administrare. Hinc rector vere est et dicitur *pater spiritualis, sponsus, pastor* suorum parochianorum. Non decet autem patrem esse temporalem seu amovibilem. Insuper rector melius et sollicitius suas oves dignoscet et curabit, si perpetuus sit, et non amovibilis.

**774.** Diximus *lege generali;* nam certum est curam animarum posse aliquando, per modum exceptionis a regula generali, et ex lege speciali, nempe ex dispensatione seu licentia, sive tacita sive expressa, Sanctae Sedis, seu ex peculiari conditione in locis missionum, vel etiam vi conditionis in fundatione appositae, committi rectoribus qui ad nutum amoveri valent.

## § 2. JURA QUOAD SACRAMENTA.

*(Rights relative to the Sacraments.)*

**775.** *Quaer.* Quaenam parochis competat potestas circa sacramenta administranda et recipienda?

*Resp.* Rector habet curam animarum; id est, ipsi officium incumbit salutem aeternam populi sibi commissi procurandi. Salutem autem hanc procurat praecipue eo quod sacramenta illis administrat. Proinde, in genere, ad parochum, non vero ad alios sacerdotes spectat sacramenta parochianis administrare. In specie autem, ex hodierna disciplina generali, parocho reservatur administratio baptismi, matrimonii, Viatici, Extremae Unctionis,[1] Communionis paschalis, et primae communionis puerorum. Quapropter (*a*) sacerdotes sacramenta haec administrare non debent parochianis alienis, nisi de licentia parochi aut Episcopi;[2] (*b*) ipsi parochiani vero illa tenentur a propriis suis parochis recipere.[3]

**776.** *Quaer.* Utrum etiam apud nos rectoribus reservetur supradictorum sacramentorum administratio?

*Resp.* Quamvis rectores nostri nondum veri sint parochi, et ideo de jure communi, illis non sint reservata praedicta sacramenta, attamen tum ex aequitate canonica, tum ex consuetudine, tum ex decretis Conciliorum, sive Plenariorum Baltimorensium, sive Provincialium, sive dioecesanorum, illis

[1] Cf. nostrum *Elements*, vol. I. n. 653.
[2] Santi, l. 3, t. 29, n. 10–14; Prael. S. Sulp. n. 241; De Brab. n. 467.
[3] Conc. Trid. sess. 24, c. 13, de Ref.

reservatur sacramentorum praedictorum administratio, eodem ferme modo, ac parochis proprie dictis,[1] excepta tamen, saltem plerumque, communione paschali. Et recte quidem. Habent enim rectores nostri, sive amovibiles sint, sive inamovibiles, onera (*duties*) omnia parochorum; aequum proinde etiam est ut eorum possideant jura (*rights*).

### § 3. JURA QUOAD OBLATIONES.

(*Right to receive Offerings and Perquisites.*)

**777.** *Quaer.* Quaenam oblationes pertineant ad rectores, etiam apud nos?

*Resp.* Praenotandum: Bona clericorum (*ecclesiastics*) etiam hac in regione, triplicis sunt generis: 1° Bona patrimonialia, nempe quae illis titulo civili seu saeculari obveniunt—v.g. ex haereditate, donatione, adquisitione per artem; 2° quasi-patrimonialia, seu quae a clericis acquiruntur intuitu ministerii ecclesiastici, v.g. stipendia missarum, reditus stolae, funeralia; huc revocantur etiam bona patrimonialia, quae clericus parce vivendo, de congrua sustentatione sibi subtrahit;[2] 3° Bona beneficialia, scilicet, quae ex ipso officio seu beneficio (apud nos, salarium annuum ex reditibus missionis) proveniunt, et quae clerico congruam sustentationem praebent.

**778.** Hisce praenotatis, sic respondeo: 1° Rectores, etiam apud nos, jus habent percipiendi salarium annuum, seu reditus qui illis obveniunt ratione officii ceu beneficii sui, uti liquet. 2° De jure communi ad parochum pertinent exclusive oblationes (*offerings, perquisites*) quae fiunt (*a*) in exequiis vel anniversariis defunctorum, de quibus tamen uberius infra; (*b*) in administratione baptismi, matrimonii; (*c*) in benedictione mulierum post partum (*churching women after child-birth*). Hac occasione, apud nos, candela generatim offertur, quam tamen rectores regulariter ecclesiae suae cedunt. (*d*) Et nonnullis aliis sacris functionibus, etiamsi ab alio sacerdote, et non ab ipso parocho, in ecclesia parochiali peragantur.[3]

**779.** Diximus, *de jure communi.* Quoad rectores nostros,

[1] Nostrum *Elements,* vol. I. n. 649 sq. edit. 6ª.

[2] Huguenin, n. 776.

[3] De Brab. n. 475.

etiam illos, qui sunt amovibiles, dicendum foret idem jus illis competere ex aequitate tum naturali tum canonica. Quomodo autem, hac in regione, propter speciales circumstantias, inter rectorem et suos adjutores, dividantur oblationes quae fiunt occasione baptismi et matrimonii, vide apud nostrum *Elements*, vol. I. p. 606, edit. 6ª.

### § 4. JURA CIRCA FUNERALIA.

(*Rights relative to Funerals.*)

**780.** *Quaer.* Quid juris, in genere, competat Parocho, circa funeralia?

*Resp.* Jus parochi tria haec complectitur: 1. Jus sepeliendi, seu coemeterium habendi et cadavera parochianorum ibi sepeliendi; 2. jus peragendi exequias seu solemnitates funeris (*funeral services, requiem mass,* etc.); 3. jus ad emolumenta ex funeribus (*funeral offerings*) provenientia percipienda.

**781.** *Quaer.* Quod sit jus parochi quoad coemeterium, seu locum sepulturae?

*Resp.* Praenotandum: 1° Coemeterium (*cemetery, burying-ground*) est locus auctoritate Episcopi benedictus, in quo cadavera Catholicorum pie decedentium sepeliuntur;[1] 2° Unaquaeque ecclesia parochialis potest habere suum proprium coemeterium.[2]

**782.** Hisce praemissis, sic respondeo: Exceptis certis casibus a jure determinatis, omnes parochiani in coemeterio suo parochiali sepeliri debent.[3] Et sane religioni necnon naturae consentaneum est, fideles ab eo tumulari, et ultimum quasi vale (*the last farewell*) recipere, qui eos, dum vivebant, ceu pater in Christo genuit et aluit, et ceu pastor, divinis imbuit.[4]

**783.** Diximus, *exceptis certis casibus:* nam, juxta sacros canones, parochianus potest legitime sepeliri alibi quam in coemeterio suae parochiae, duplici in casu, scilicet: 1° Quando sibi sepulturam alibi *elegit;* siquidem omnibus, exceptis so-

[1] Santi, l. 3, t. 28, n. 1.
[2] Cap. 2. 4. 8, de Sepult. (iii. 28).
[3] Cap. 1. 2, de Sep. in 6° (iii. 12): Phillips, Comp. § 288.
[4] Cap. 1, de Sep. (iii. 28): Zitelli, p. 184.

lum *impuberibus*[1] et *religiosis,* licet sibi sepulturam eligere in quocumque coemeterio Catholico; 2° quando habet sepulchrum gentilitium seu majorum (*family or ancestral burial-plot*) alibi quam in coemeterio suo parochiali.[2] Quoniam autem parochus fundatam in jure habet intentionem, seu jus parochianos tumulandi, hinc non praesumitur, sed *probari* debet sepultura tum electiva, tum gentilitia.[3]

**784.** *Quaer.* Quid juris competat parocho circa officium funebre, seu jus spirituale in funeribus?

*Resp.* 1° Si parochianus in coemeterio parochiali humo traditur, ad parochum spectat functiones omnes sacras peragere, id est, corpus e domo levare et ad ecclesiam parochialem deducere,[4] et ibi missam exequialem celebrare, et corpus humo tradere cum precibus consuetis.

**785.** 2° Si autem parochianus, extra coemeterium parochiale sepelitur, nempe in alio coemeterio legitime electo, vel in sepulchro majorum, tunc, juxta sacros canones, spectat quidem ad proprium parochum corpus e domo levare et funus ad limites parochiae alienae ubi tumulatio fit deducere,[5] sed caeterae functiones exequiales, id est, totum officium funebre, v.g. missa de requiem, etc., fiunt in ecclesia ad quam pertinet coemeterium in quo inhumatio locum habet.[6]

**786.** Dicitur *juxta sacros canones:* nam aliter dicendum foret, si defunctus vel duplex funus et duplices exequias celebrari jussit, nempe tum in ecclesia parochiali, tum in ecclesia tumulante; vel contra juris ordinem, funus et exequias in ecclesia sua paroeciali, et solam humationem in aliena peragi voluit. Ultima enim defunctorum voluntas debet servari.[1] Unde habet consuetudo, etiam hac in regione, ut

[1] Cap. 4, de Sep. in 6° (iii. 12). [2] Cap. 1, de Sep. (iii. 28).

[3] Santi, l. c. n. 2; Zitelli, l. c. p. 184.

[4] This applies to Catholic countries, where it is the custom for the priest to go to the house of the deceased and conduct the remains to the church, and after the funeral services from the church to the cemetery. This custom does not exist with us.

[5] Caeremonia haec, in Rituali Romano praescripta, in regionibus Catholicis observatur, non vero apud nos.

[6] Santi, l. 3, t. 28, n. 6; De Brab. n. 477.

[7] Cap. 3, de Sep. (iii. 28).

dum quis extra parochiam sepelitur, et utrobique (*in both churches*) exequiae non fiunt, celebrentur in ecclesia parochiali defuncti.[1]

**787.** *Quaer.* Quid juris retineat rector, etiam apud nos, in locis ubi unum tantum existit coemeterium pro pluribus paroeciis?

*Resp.* 1. Praenotandum est, quod hodiernis temporibus, fere ubique, etiam apud nos, in civitatibus, unum tantum habeatur coemeterium Catholicum, etiamsi plures ibi adsint paroeciae. Hujusmodi autem coemeterium, quod aliquando ad particularem pertinet parochiam, aliquando vero collective ad omnes parochias loci, quandoque etiam ad municipium, uti in Europa, commune est coemeterium pro omnibus Catholicis illius loci.

**788.** 2° Hisce praemissis, sic respondeo: Hujusmodi coemeterium commune nihil omnino detrahit rectoribus, etiam apud nos, de pristinis juribus. Nam per fictionem juris, hoc unum coemeterium habetur, in quantum spectat jura parochialia, uti coemeterium proprium unicujusque parochiae quae suos parochianos ibi sepelit. Proinde, quamvis inhumatio in hoc coemeterio communi fiat, tamen caeterae omnes functiones exequiales—v.g. missa de requiem—in propria ecclesia parochiali et a proprio parocho fieri debent.[2]

**789.** *Quaer.* Quod sit jus rectorum, etiam apud nos, circa emolumenta funeralia?

*Resp.* 1° Emolumenta haec (*funeral dues, honorary*) sunt vel pro loco sepulturae (*for the grave or plot*), vel pro functionibus exequialibus. Si defunctus in coemeterio ecclesiae suae parochialis vel coemeterio communi, uti supra, sepelitur, omnia emolumenta seu oblationes, quae pro istis functionibus dantur, ad parochum spectant, et *jura stolae nigrae* appellantur. Ubi parochus est impeditus quominus ipse exequias celebret, vicario suo vel alteri sacerdoti, id muneris committere potest, quin tamen emolumenta praedicta cedere teneatur. Non enim funeris et laboris pretium est, saltem unice, quod ab amicis seu

[1] De Brab. n. 479.

[2] S. C. C. 16 Feb. 1867; 21 Martii 1871; 25 Aug. 1877; Santi, l. c. n. 5, 10; Zitelli, l. c. p. 183.

haeredibus defuncti solvitur, sed liberalitas et elemosyna in grati animi pignus illius qui spiritualia et divina a suo rectore, vivens et moribundus recepit. Consuetum ergo tantum stipendum v.g. pro missa, vices suas gerenti praebere tenetur parochus. Et hoc, in praxi, etiam apud nos, servatur.

**790.** 2° Si vero parochianus legitime in coemeterio alieno sepelitur, nempe in sepulchro electivo vel majorum, tunc parochus proprius defuncti jus habet ad *portionem canonicam* (*a share of the offering as defined by the sacred canons*) omnium emolumentorum quae occasione funeris ab Ecclesia tumulante percipiuntur.[1] Non enim decet ut rector a quo fidelis vivens pabula salutis accepit, careat emolumentis, in morte.[2]

**791.** 3° Pretium autem pro loco sepulturae (*grave, plot*) ad ecclesiam pertinet cujus est coemeterium. Utrum autem et qua ratione liceat pretium exigere pro loco sepulturae etiam in hac regione, vide nostrum *Elements*, vol. I. n. 662.

### § 5. Jura quoad Bona Temporalia Parochiae.

*(Rights of Rectors, also with us, respecting the Temporalities of the Parish or Mission.)*

**792.** *Quaer.* Cui competat bonorum alicujus paroeciae administratio?

*Resp.* 1° Jure naturali, administratio rei cujuscunque in arbitrio est illius, qui habet rei dominium aut usumfructum.[3] Porro juxta sententiam communiorem et probabiliorem canonistarum, dominium in casu est penes ipsas ecclesias vel instituta in quorum usum sunt respective tradita et applicata.[4]

**793.** Quapropter, juxta sacros canones, parochus seu rector, etiam apud nos,—sive sit amovibilis sive inamovibilis[5]— est ex ipso suo officio administrator bonorum parochialium.[6] Apud Episcopum tamen manet tutela et *eminens* seu *superior*

[1] That is, the rector is entitled to a share in all the funeral dues.

[2] Cap. 1, 4, 8, 10, de Sep. (iii. 28); Santi, l. c. n. 6; Sanguineti, n. 428.

[3] Prael. S. Sulp. n. 616.

[4] Can. 68, c. 16, q. 1; Can. 16, c. 12, q. 1; Conc. Trid. sess. 22, c. 11, de Ref.; Craiss. n. 5274.

[5] Conc. Pl. Balt. III. n. 275.

[6] Nostrum *Elements*, n. 668; Prael. S. Sulp. n. 616.

administratio horum bonorum. Hinc rectores, etiam in his Statibus Unitis,[1] tenentur Ordinario singulis annis rationem suae administrationis (*annual financial statement*) reddere.[2]

**794.** *Quaer.* Quaenam sint rectorum, etiam apud nos, obligationes circa hanc administrationem?

*Resp.* Administratio haec, ex ipsa rei natura, complectitur actus necessarios ad (*a*) bonorum conservationem, (*b*) curam providendi decentiae cultus, ministrorum sustentationi, necnon aliis paroeciae seu missionis oneribus. Proinde tenentur rectores nostri sedulo observare quae a Concilio Plenario Baltimorensi III. notantur circa (*a*) libros computus (*cash-books*) habendos,[3] (*b*) inventaria conficienda,[4] (*c*) archivium parochiale,[5] (*d*) aes alienum (*debts*) non contrahendum,[6] (*e*) morem deponendi pecuniam apud rectorem (*depositing money*),[7] (*f*) et nonnulla alia.[8]

## § 6. Jura Rectoris circa Fabricas.

(*Rights relative to Trustees.*)

**795.** *Quaer.* Quae sit origo et finis fabricarum?

*Resp.* Fabricae (*trustees of churches, committees on financial matters*) sunt corpora administratorum, quibus cura demandatur administrandi bona temporalia parochiae aut loci pii. Ideo sic vocantur, quia institutae fuere praecipue ad *fabricandas* (*to build*) et reficiendas (*repair*) sacras aedes.[9] Fabricarum origo repetenda non est ultra saeculum XIII. In hoc enim saeculo usus invaluit, nonnullis in locis, ut praeter parochum, alii ex viris laicis admitterentur in fabricam sub titulo *aedituorum* (*trustees, managers*), quia sunt sacrarum *aedium* tutores et curatores.[10] Fabricae proinde institutae sunt ut ex concessione Ecclesiae *juvent* parochum in administratione temporali parochiae. Paulatim vero a suo fine deflecti visae sunt. Siquidem in pluribus locis, etiam apud nos, laici *sibi solis* curam temporalium rerum reservare praesumebant.

[1] Conc. Pl. Balt. III. n. 273.
[2] Conc. Trid. sess. 22, c. 9, de Ref.
[3] Conc. Pl. Balt. III. n. 275.
[4] Ib. n. 276.
[5] Conc. Pl. Balt. III. n. 278.
[6] Ib. n. 279.
[7] Ib.
[8] Ib. n. 280–283.
[9] Craiss. n. 5308.
[10] Prael. S. Sulp. n. 616, 617, 619.

Quamobrem a lege ecclesiae generali, duo haec statuta sunt: 1° Ut aeditui eligerentur de consensu parochi; 2° Ut simul cum parocho, non vero independenter ab illo, rebus temporalibus providerent.[1]

**796.** *Quaer.* Quid de fabricis apud nos?

*Resp.* In quibusdam Statibus hujus regionis habentur hujusmodi corpora administrativa, quae regulariter constant ex rectore et duobus viris laicis. His adjungitur tum Episcopus, vel dioecesis administrator, tum vicarius generalis, qui ex officio membra sunt fabricae uniuscujusque parochiae seu missionis. Hujusmodi fabricae, generatim, incorporari possunt civiliter et ita bona temporalia coram lege civili tuto possidere. Quoad regulas ab his aedituis servandas, vide Conc. Pl. Balt. III. n. 284–288; cf. Conc. Trid. sess. 22, c. 9, de Ref.; nostrum *Elements*, vol. I. n. 668.

**797.** *Quaer.* Quid de fabricis vel quasi-fabricis in Hibernia, Anglia et Scotia?

*Resp.* 1° Relate ad Hiberniam, Synodus Plenaria Episcoporum Hiberniae apud Thurles anno 1850, Decr. XXII. n. 5, haec habet: "Ne ob legis defectum bona ecclesiastica in alienas manus transeant, cura erit Episcopo ut eorum tituli (*deeds of property*) aut instrumenta accurate juxta legem civilem, *et in nomine trium aut quatuor curatorum* (*trustees*) *conficiantur.* Hi vero curatores sint Episcopus dioecesis, parochus seu alius sacerdos cui bona sunt commissa, vicarius generalis, aut alius vir prudens."

Synodus vero plenaria apud Maynutiam, anno 1875, supradictum decretum confirmans (n. 274), insuper in Decr. XXI. n. 193, statuit: "Hujusmodi collectae (*collections taken up among the people*) non penes se retineat parochus, sed infra mensem deponat in aliquo publico aerario (*bank*), *in nomine trium curatorum, quorum unus sit Episcopus, alius ipse parochus, et tertius quidam de parochia, vir pius et peritus.*"

**798.** 2° Quoad Angliam, existentia similis fabricae in singulis paroecis seu missionibus, arguitur ex Synodo Prov. Westmonasteriensi II. an. 1855, Decr. VIII. n. 1; et quoad Canadam, ex Conç. Prov. Quebecensi II. an. 1854 Decr. XV. § 2.

[1] Prael. S. Sulp. n. 619.

## ART. IV.

### OFFICIA PAROCHORUM, ETIAM IN HAC REGIONE.

(*Duties of Rectors, also with us.*)

**799.** *Quaer.* Quaenam sint praecipuae parochorum obligationes, etiam in hac regione?

*Resp.* 1° Omnes hae obligationes spectant vel ad curam spiritualem, vel ad regimen bonorum temporalium parochiae. De obligationibus quoad curam temporalium jam egimus. Remanet proinde ut pauca de cura spirituali disseramus.

**800.** 2° Praecipua officia circa hanc spiritualem curam, sic enumerantur a Concilio Tridentino:[1] "Quum praecepto divino mandatum sit omnibus quibus animarum cura commissa est, (*a*) oves suas agnoscere, (*b*) pro his quoque sacrificium offerre, (*c*) verbique divini praedicatione, (*d*) sacramentorum administratione . . pascere, (*e*) et in caetera munia pastoralia incumbere."

**801.** Haec autem officia sponte fluunt ex ipsa natura officii parochi. Consistit enim hoc officium in procuranda salute aeterna parochianorum. Ad salutem hanc procurandam requiritur 1° ut rector parochianos suos *doceat* viam salutis, et proinde (*a*) *sermones, praedicationes* ad populum habeat, (*b*) pueros rudesque rudimenta fidei per catechesim edoceat (*catechetical instructions, Sunday school*), (*c*) scholas parochiales erigat, erectas vero foveat. 2° Ut media salutis, id est sacramenta, illis administret; 3° pro illis oret, 4° et generatim invigilet in eos, 5° et resideat. De his omnibus autem officiis, vide Theologiam moralem, et nostrum *Elements*, vol. I. n. 664–670.

[1] Sess. 23, c. 1. de Ref.

# CAPUT VIII.

## VICARII, CAPELLANI, ET CONFESSARII.

(*Assistants of Rectors, Chaplains and Confessors.*)

## ART. I.

### ADJUTORES PAROCHI, ETIAM APUD NOS.

(*Assistant Priests, also in the United States.*)

**802.** *Quaer.* Quot sint classes vicariorum parochialium?

*Resp.* Potissimum illae quae sequuntur: 1° Prima classis est eorum qui deputantur ad regendam parochiam (apud nos, missionem) *vacantem,* donec novus rector instituatur. Hi persaepe vocantur administratores. Eorum deputatio (*appointment*) pertinet ad Episcopum.[1]

**803.** 2° Altera classis est eorum, qui rectore absente, deputantur ad parochiam regendam, donec revertatur parochus. Appellantur substituti. Eorum nominatio (*appointment*) spectat de jure communi ad parochum legitime absentem; approbatio vero ad Episcopum.[2]

**804.** 3° Tertia classis est eorum qui ad adjuvandum rectorem in paroecia *degentem* et eam *administrantem* advocantur, quando nimirum populus ita est numerosus ut unus rector non sufficiat. Horum vicariorum nominatio, inspecto jure communi,[3] pertinet ad parochum; approbatio vero ad Episcopum. Non constat autem utrum parochus, de jure communi, hos vicarios removere possit absque causa ab Episcopo approbata.[4] Diximus, *inspecto jure communi;* nam ex consuetudine, Episcopi soli, in nonnullis locis, et etiam in hac regione, hos vicarios nominant et removent, frequenter audito tamen rectore, uti aequum est. Cf. nostrum *Elements,* vol. I. n. 670.

[1] Conc. Trid. sess. 24, c. 18, de Ref.; Conc. Pl. Balt. III. n. 42.
[2] Conc. Trid. sess. 23, c. 1, de Ref.
[3] Conc. Trid. sess. 21, c. 4, de Ref. [4] Craiss. Man. n. 1345.

**805.** 4° Quarta classis est illorum qui deputantur ad adjuvandum parochum qui ob *imperitiam* vel *defectum scientiae* minus aptus est ad curam animarum gerendam.[1] Hi vicarii ab Episcopo et non a parocho nominantur.

**806.** 5° Quinta classis est eorum qui parochis assignantur, qui ob *perennem infirmitatem* (*constant, permanent ill-health*) parochiam seu missionem suam regere nequeunt. Infirmitas enim non est causa cur parochus amoveri possit.[2] Nam omnia jura clamant afflicto non esse afflictionem addendam.[3] Nominatio vicarii in hoc casu pertinet ad Episcopum non autem ad parochum.[4]

**807.** 6° Sexta classis illorum est, qui deputantur ad parochiam seu missionem regendam (*a*) quando cura animarum residet penes *personam moralem*, id est, capitulum, monasterium aut aliud collegium ecclesiasticum.[5] Et sane, ne cura in communi existens, a nullo ceu propria efficaciter exerceatur, inductum est, ut vel unus de gremio capituli, etc., vel extraneus assumatur qui curam *actualem* gerat. (*b*) Quando Episcopus sibi aliquam parochiam v.g. cathedralem reservavit.[6] Quo in casu, jure provisum est, ut alteri vices suas committat Episcopus. (*c*) Quando parochia nimia amplitudine locorum extenditur, ac numeroso populo constat: quo in casu, Ecclesia filialis erigitur, in qua vicarius curatus constituitur, qui vices parochi gerit.[7] In his tribus casibus remanet quidem cura habitualis penes rectorem principalem, id est, Episcopum, capitulum, monasterium, etc., ast cura actualis, eaque tota pertinet ad vicarios, non vero ad rectorem principalem.[8] Hi vicarii nominantur a rectore principali, et instituuntur ab Episcopo.[9] Proinde non adhibetur concursus pro his vicariis constituendis, etiam in locis, ubi inamovibiles existunt.

[1] Conc. Trid. sess. 21, c. 6, de Ref.; Santi, l. i. t. 28, n. 5.
[2] Cap. 5, 6, de cleric. aequ. (iii. 6).
[3] Cf. Conc. Trid. sess. 24, c. 1, de Ref.
[4] Cf. Conc. Plen. Balt. III. n. 38–vii.
[5] Conc. Trid. sess. 7, c. 7, de Ref.
[6] Ib.; cf. Santi, l. i. t. 28, n. 4.
[7] Cap. 3, de Eccl. aedif. (iii. 48).
[8] De Brab. n. 500.
[9] Pius V. Const. *Ad exequendum.*

## ART. II.

### CAPELLANI.

(*Chaplains.*)

### § 1. JURA ET OFFICIA CAPELLANORUM, IN GENERE.

(*Rights and Duties of Chaplains, in General.*)

**808.** *Quaer.* Quid sint capellani, et quotuplicis sint generis?

*Resp.* 1° Capellani sunt sacerdotes qui deputantur ad sacrum ministerium exercendum in sacellis (*chapels, oratories*), hospitalibus (*hospitals*), orphanotrophiis (*orphan asylums*), aliisque locis hujus generis. 2° Multiplicis sunt generis, videlicet capellani (*a*) monialium, (*b*) collegiorum aut aliorum institutorum, (*c*) hospitalium aut carcerum, (*d*) militum et navium.

**809.** *Quaer.* Quaenam sit in genere potestas capellanorum?

*Resp.* 1° Concilium Tridentinum [1] jubet Episcopis ut unicuique parochiae proprius assignetur parochus, *a quo solo* parochiani licite sanctamenta recipiant. Quapropter, omnes parochiani, id est, omnes qui intra fines seu territorium parochiae domicilium seu quasi-domicilium habent, tenentur Extremam Unctionem, Viaticum, etc., a suo parocho recipere, nisi vel a jure, vel a consuetudine, vel a legitima auctoritate eximantur ab hac parochi jurisdictione.[2] Nam ut ait Card. De Luca,[3] jus parochiale consistit in hoc quod parochus teneatur subministrare sacramenta et funera parochianis, qui illa, licet inviti, ab eo recipere tenentur.

**810.** 2° Dicitur (*a*) *nisi vel a jure;* nam communitates quaedam, v.g. monasteria, ipso jure communi eximuntur. Dicitur (*b*) *a legitima auctoritate;* jam vero exemptio a jurisdictione parochi, quoad communitates ipso jure non exemptas, v.g. hospitalia, etc., concedi potest a Sede Apostolica. Utrum id etiam fieri possit ab Episcopo, controvertitur.[4]

**811.** Dicitur, (*c*) *vel a consuetudine;* siquidem, quidquid sit de controversa Episcopi potestate, ex consuetudine fere generali, constituuntur communitates monialium non exempta-

[1] Sess. 24, cap. 13, de Ref.
[2] De Paroch. Disc. 28, n. 8.
[3] De Brab. n. 441.
[4] De Brab. n. 529; Prael. S. Sulp. n. 260.

rum, seminaria, collegia (*boarding schools*), hospitalia, orphanotrophia, et alia hujus generis instituta, cum suo proprio capellano independenter a parochi loci.[1] Hinc in multis statutis synodalibus haec vel similia decreta habentur: "Sacerdotes qui capellanorum nomine, monasteriis, collegiis, hospitiis, carceribus, aliisque hujus generis domibus praeficiuntur, intra domum cujus spiritualem curam gerunt, iisdem gaudent facultatibus, et eadem exercent officia, quae parochis in sua cuique parochia competunt."[2]

**812.** 4° Si tamen parocho videatur exemptionem in casu fuisse ab Episcopo concessam, sine ratione sufficiente, et detrimentum afferri juribus parochialibus, potest ad metropolitam vel etiam directe ad S. Sedem appellare, eo quod talis exemptio dismembrationi parochiae aequiparatur.[3] (Nostrum *Elements*, vol. I. n. 671.)

## § 2. Capellani Monialium.

(*Chaplains of Nuns and Sisters.*)

**813.** *Quaer.* Quaenam sint horum capellanorum jura?

*Resp.* 1° Capellanus monialium *exemptarum* fruitur omnibus juribus parochi quoad illas. Proinde omnia sacramenta, etiam in articulo mortis, ipsis administrat, ita ut loco parochi habeatur.[4] 2° Capellanus monialium *non exemptarum*, et nullae sunt exemptae in hac regione, per se tali potestate non gaudent. Dicitur *per se;* nam videtur quod Episcopus, ex consuetudine, eam illis conferre potest.[5] (Nostrum *Elements*, vol. I. n. 431.)

## § 3. Capellani Militum.

(*Chaplains of Soldiers or Military Chaplains.*)

**814.** *Quaer.* An hi capellani militibus ubique sacramenta administrare possint, sine approbatione Ordinarii loci?

*Resp.* 1° Affirmative, si specialiter a S. Pontifice sunt delegati ad curam spiritualem militum.

2° Si vero hac speciali delegatione careant, possunt quidem

[1] De Brab. n. 529.
[2] Apud Prael. S. Sulp. n. 260.
[3] Prael. S. Sulp. l. c.
[4] Craiss. n. 1538.
[5] Ferrar. v. Capellanus Mon. Addit. n. 1, 2, 5.

confessiones audire, aliaque sacramenta administrare (etiam matrimonium, saltem in locis ubi decretum *Tametsi* non viget), in dioecesi Episcopi approbantis, *et etiam extra illam, in itinere et in castris,* ex tacito consensu Episcoporum, uti patet ex consuetudine universali. Non tamen valide eos possunt absolvere in stationibus et praesidiis (*in stationary camps, in forts*), sine speciali licentia Episcopi loci.[1]

### § 4. Capellani Navium.

(*Chaplains of Ships or Navy Chaplains.*)

**815.** *Quaer.* A quo Episcopo obtinenda sit approbatio ut capellanus vel alius sacerdos qui per mare iter agit, possit absolvere navigantes?

*Resp.* Requiritur et sufficit approbatio Episcopi unde navis solvit (*whence the ship sails*), et perdurat facultas usquedum perveniat ad locum, ubi superior ecclesiasticus jurisdictione pollens est constitutus.[2] (Nostrum *Elements,* vol. I. n. 671.)

### § 5. Capellani Hospitalium.

(*Chaplains of Hospitals.*)

**816.** *Quaer.* Quae sint jura horum capellanorum?

*Resp.* 1° Infirmi qui ex variis parochiis in hospitali recipiuntur, ex hac accidentali et transitoria domicilii mutatione, non cessant esse suis respective parochis subditi.[3] Nam temporarie solummodo in hospitali degunt, curandae scilicet valetudinis causa, adeoque proprium parochum non amittunt. Hinc solo jure communi inspecto, nullum potest esse dubium, quin sacramenta Extremae Unctionis, etc., a proprio parocho, non vero a capellano hospitalis non exempti, recipere debent.[4]

**817.** 2° Diximus, *inspecto solo jure communi;* nam, ex consuetudine fere universali, res aliter sese habet. Et sane, si jus parochorum permaneret quoad infirmos in hospitali degentes, pro administratione Viatici et Extremae Unctionis, vocandi forent pro singulis infirmis respectivi eorum parochi

[1] Konings, n. 1394, q. 15. [2] Konings, n. 1394, q. 14.
[3] Card. De Luca, De Paroch. Disc. 23, n. 8.
[4] S. C. C. *Apuana* funerum, 19 Maii 1888; Acta S. S. vol. 21, p. 201 sq.

Id autem non tantum magnam confusionem pareret, sed insuper in detrimentum animarum vergeret. Hinc ex quadam veluti necessitate, inductum est, et quidem vel ex consuetudine, vel licentia S. Sedis, ut hospitalia a dicta parochorum jurisdictione eximerentur, et capellanus, quoad infirmos caeterosque ipsis inservientes, proprius veluti parochus constitueretur.[1]

**818.** 3° Nec conqueri possunt hac de re parochi. Quia, licet hoc modo nonnulli eorum subditi ab ipsorum jurisdictione subducantur, vicissim ipsi a gravi onere eximuntur eisdem sacramenta ministrandi.[2]

**819.** 4° Quoad funera hujusmodi infirmorum, qui in hospitali, non exempto, supremum obeunt diem, notandum est, jus funerandi in casu, ad proprium parochum, non vero ad capellanum hospitalis pertinere.[3] Ideoque eorum corpora ad ecclesiam propriam parochialem sunt asportanda, et funus a proprio parocho est peragendum.[4]

---

# CAPUT IX.

## DE REGULARIBUS ET MONIALIBUS.

(*Religious Communities of Men and Women.*)

**820.** Personis ecclesiasticis accensentur familiae religiosae, quamvis sensu tantum latiori. Disseremus (*a*) de natura status religiosi; (*b*) de officiis regularium; (*c*) de eorum juribus. Quae dicuntur de regularibus, monialibus quoque sunt applicanda, modo materia sit ipsis adaptabilis. Quae monialibus propria sunt, notantur suis locis.

## ART. I.

### NATURA STATUS RELIGIOSI.

(*Correct Idea of the Religious State.*)

**821.** *Quaer.* Quid sit status religiosus?

*Resp.* Est vitae genus, stabile et permanens, fidelium ad

[1] De Luca, l. c. n. 11.
[2] Bouix, de Par. p. 651.
[3] Cap. *Is qui*, 3, de sepult. in 6°.
[4] S. C. C. 19 Maii 1888; Acta S. Sedis, l. c.

charitatis perfectionem tendentium, editis votis perpetuae paupertatis, obedientiae et castitatis, sub obsequio regulae communis, ab Ecclesia approbatum.[1] Dicitur 1° *fidelium;* siquidem religiosi non ad hierarchiam sive ordinis sive jurisdictionis necessario pertinent; sed sunt, vel possunt esse dumtaxat fideles in Ecclesia.[2] Dicitur 2° *sub obsequio regulae communis.* Notandum est, quod ex hodierna ecclesiae disciplina, requiritur vita communis (*community life*), et non sola regula communis.[3]

**822.** Dicitur 3° *ab Ecclesia approbatum.* Approbatio haec a solo Romano Pontifice concedi potest, de jure communi. Consuetudine tamen introductum est ut sola Episcopi approbatione instituantur variae congregationes religiosae, sive virorum, sive mulierum, quae simplicia tantum, vel nulla vota emittunt.[4]

**823.** Dicitur 4° *votis perpetuis* (*perpetual vows*). Et sane perpetuitas votorum est de essentia status religiosi. Non additur *solemnibus;* nam ut quis sit *vere* et *stricte* religiosus sufficiunt vota *simplicia* (dummodo sint perpetua), facta in aliquo ordine stricte religioso, scilicet approbato ab Ecclesia ut tali, et cum concessione, pro aliquibus saltem, emittendi vota solemnia.

**824.** Quapropter etiamsi aliqua congregatio religiosa approbata aut laudata fuerit a Sede Apostolica, tam quoad regulam, quam institutum, cum concessione emittendi in ea vota perpetua, sed simplicia tantum, nequeunt dici qui illum amplectuntur, religiosi *proprie et stricte dicti.* A fortiori variae Congregationes religiosae sive virorum sive piarum foeminarum, ab uno vel etiam a pluribus Episcopis approbatae non constituunt Ordines proprie dictos.[5]

**825.** Ratione igitur votorum, variae distinguuntur Institutorum species, videlicet: (*a*) *ordines religiosi proprie*

[1] Huguenin, l. c. n. 532. [2] Craiss. n. 2456.
[3] The *schema* of the *Vatican Council, super perfecta vita communi,* says: "Nulla in posterum nova domus religiosa erigatur . . sine expressa conditione ac lege *in perpetuum servandae vitae perfectae communis.*" (Martin. Doc. p. 232.)
[4] Bouix, de Regular. t. i. p. 209 sq. [5] Sabetti, Comp. n. 609.

*dicti,* nempe instituta quae solemnia habent vota; eorum membra, ex jure communi, soli sunt veri regulares in sensu canonico, solique subjacent juri regularium; (*b*) *Congregationes religiosae,* seu instituta cum votis simplicibus quidem, sed perpetuis et a S. Sede acceptis, v.g. Congregatio SS. Redemptoris; (*c*) *Congregationes improprie religiosae,* sive instituta quae aut nulla, aut vota simplicia quidem, sed tantum temporaria habent, v. g. *Puellae Caritatis.*[1]

**826.** *Quaer.* Quaenam sint media ad finem status religiosi, seu ad perfectionem acquirendam in statu religioso?

*Resp.* Sunt: 1° Triplex votum perpetuum, scilicet paupertatis, obedientiae et castitatis; 2° Regula in vita communi servanda, atque unicuique religioni propria. Nomine autem *regulae* (*the Rule*) intelliguntur statuta a fundatore data, quibus continentur omnia quae necessaria sunt ad disciplinam regularem servandam. Statutis hujusmodi addi deinceps possunt a legitima auctoritate praescriptiones sub nomine *constitutionum,* vel sub alio titulo.[2]

## ART. II.

### NORMA NOVUM ORDINEM RELIGIOSUM INSTITUENDI.

(*Manner of Establishing a new Order.*)

**827.** *Quaer.* Utrum sit prohibitum novum erigere ordinem?

*Resp.* 1° Non licet novum constituere Ordinem absque S. Sedis auctoritate. En lex Ecclesiae: "Ne nimia religionum diversitas gravem in Ecclesia confusionem inducat, firmiter prohibemus ne quis de caetero novam religionem (*a new order or religious institute*) inveniat; sed quicunque ad religionem converti voluerit, unam de approbatis assumat. Similiter qui voluerit religiosam domum de novo fundare, regulam et institutionem accipiat de approbatis."[3]

**828.** 2° Haec autem prohibitio intelligenda est non tantum de religionibus *proprie* et *stricte* dictis, verum etiam de con-

[1] Huguenin, n. 541. [2] De Brab. n. 578.
[3] Innoc. III. cap. 9, de Statu Mon. (iii. 36); cf. cap. 17, de Relig. dom. in 6°.

gregationibus quae aut nulla aut solum simplicia vota emittunt.[1] Attamen hodie ex parte abrogata videtur haec prohibitio. Nam, uti jam diximus, consuetudine inductum est, ut novae congregationes, sive virorum sive mulierum, cum sola Episcopi licentia, inchoarentur, quae, si Ecclesiae utiles comprobentur, canonicam approbationem a S. Sede obtinere possunt.

## ART. III.

### NORMA CANONICA NOVOS ERIGENDI CONVENTUS.

(*Canonical Manner of Erecting a new Monastery.*)

In praecedenti articulo de novi alicujus *ordinis* religiosi egimus; in praesenti de erectione loquimur *aedium* (*buildings*), ubi regulares morantur.

**829.** *Quaer.* Quae conditiones hodie requirantur ut novum monasterium alicubi erigi valeat, etiam apud nos?

*Resp.* 1° Necessaria est licentia S. Sedis pro monasteriis proprie dictis, sive virorum,[2] sive mulierum, idque, tam intra quam extra Italiam.[3] Diximus *monasteriis proprie dictis;* talia autem sunt illa solum, in quibus vota emittuntur solemnia. Proinde licentia Papalis non videtur necessaria quoad Congregationes sive virorum sive mulierum, quae aut nulla, aut simplicia tantum habent vota. (Infra, Appendix V.)

**830.** 2° Praeter beneplacitum Apostolicum, requiritur etiam licentia Episcopi loci, et quidem non solum pro domibus regularium proprie dictorum, verum etiam pro conventibus cujuscunque congregationis etiam improprie dictae.[4]

**831.** 3° Episcopus, antequam hanc licentiam concedat, debet vocare et audire (*a*) superiores vel procuratores aliorum conventuum qui jam erecti sunt, tum in civitate vel loco, ubi novum monasterium est erigendum, tum in aliis per quatuor millia passuum circumvicinis locis; (*b*) necnon alios interesse

[1] Craiss. n. 2526.

[2] Innoc. X. Const. *Instaur.* 1652.

[3] Cf. Bened. XIV. De Syn. l. 9, c. 1, n. 9; Santi, l. 3, t. 36, n. 2, 3; Konings, n. 1197.

[4] Conc. Trid. sess. 26, c. 3, de Regular.

habentes, v.g. parochum loci. Nam tum regulares, tum parochi in loco degentes sese opponere valent erectioni. Ubi vero, ab Ordinarii, in hisce causis, sententia ad S. Sedem provocatur vel appellatur, ipse Ordinarius tamdiu erectionem novi conventus suspendere debet, quousque a Sede Apostolica in eadem causa fuerit pronuntiatum.[1]

**832.** 4° Episcopus antequam consentiat, tenetur perpendere an saltem *duodecim* religiosi sustentari possint in monasterio novo, sive ex reditibus, sive ex oblationibus et elemosynis fidelium. Siquidem novus conventus virorum ordinis religiosi proprie dicti, erigi non potest, nisi in eo saltem 12 religiosi sodales degant, et sustentari valeant.[2] Possunt quidem hodie conventus absque 12 religiosis erigi, sed tunc non sunt exempti extra loca missionum, a jurisdictione Episcopi, nisi saltem sex sodales habeant.[3] Dicitur *extra loca missionum;* siquidem in hisce locis, et proinde etiam in hac regione, domus religiosae sunt exemptae etiamsi sex sodales non capiant.[4]

**833.** *Quaer.* Quid notandum sit quoad novos conventus erigendos, et jam erectos derelinquendi, in hisce Statibus Foedere junctis?

*Resp.* Vide Conc. Pl. Balt. II. n. 407–411.

## ART. IV.

### NORMA CANONICA STATUM RELIGIOSUM INGREDIENDI.

(*Canonical Manner of Entering or Becoming a Member of a Religious Community.*)

**834.** Agemus (*a*) de admissione in statum religiosum; (*b*) de novitiatu; (*c*) de professione.

[1] Clemens VIII. Const. *Quoniam* 1603; Gregor. XV. Const. *Cum alias*, 17 Aug. 1622.

[2] *Schema* 5m *Concilii Vaticani*, de Regular. proponebat quod omnes virorum conventus, sive sint jam erecti, sive in posterum erigendi, etiam extra Italiam, in quibus *saltem sex* religiosi non degant, Episcopi jurisdictioni essent subjectae, ita tamen ut Superior regularis concurrentem cum Episcopo haberet jurisdictionem. (Martin, *die Arbeiten*, p. 122.)

[3] Craiss. Man. n. 2564.

[4] Leo XIII. Const. *Romanos Pontifices*, 8 Maii 1881.

### § 1. Quinam admitti possint.

(*Admission of Members.*)

**835.** *Quaer.* Quaenam praecipue requirantur ut quis admitti possit ad novitiatum in ordine religioso?

*Resp.* I. *Exemptio a vinculo* (*absence of impediments*).—Sub hoc respectu prohibentur religionem ingredi (*a*) servi (*slaves*); (*b*) conjugati (*married people*); (*c*) gravati magno aere alieno; (*d*) obnoxii reddendis rationibus, sive publicis sive privatis (*administrators or executors of estates*); (*e*) criminosi, infames, notabiliter deformes, infirmi, etc.; (*f*) ligati ex officio, puta 1° Episcopus, nisi habeat licentiam S. Pontificis;[1] 2° Clericus seu presbyter, casu quo ecclesia quaedam grave damnum pateretur ex transitu ejus ad religionem, vel ipse peculiari titulo v.g. pacto, vel titulo missionis ordinatus, juramentum emiserit non ingrediendi religionem. Nam hujusmodi pacto aut juramento, libertatem suam abdicavit.[2]

**836.** II. *Aetas competens* (*proper age*).—Neque pro masculis neque pro feminis in jure est aetas determinata. Sed convenientius est ut non admittantur, nisi in ea circiter aetate, qua possint, finito novitiatu, professionem emittere. Attamen S. C. Ep. et Reg. 23 Maii 1689 statuit, ut puellae ad habitum non recipiantur, nisi annum aetatis 15 compleverint.

**837.** III. *Litterae testimoniales Ordinarii* (*testimonial letters of the Bishop*).—Ex auctoritate Pii IX., decreto 25 Januarii 1848, S. Congr. *super Statu Regular.* ubique locorum servando statutum est: "*In quocunque ordine, congregatione ... sive in iis emittantur vota solemnia, sive simplicia, nemo ad habitum admittatur absque testimonialibus litteris, tum Ordinarii originis, tum etiam Ordinarii, loci in quo postulans, post expletum decimumquintum annum aetatis suae, ultra annum moratus fuerit. Ordinarii postquam diligenter exquisiverint de postulantis qualitatibus, referre debeant de ejus natalibus, aetate, moribus, vita, fama, conditione, educatione. ... Sciant Ordinarii ... ipsis nunquam liberum esse hujusmodi testimoniales litteras denegare.*"

**838.** Circa hujus decreti applicationem, eadem S. Congre-

[1] Huguenin, l. c. n. 559. [2] De Brab. 593.

gatio, 1 Maii 1851, declaravit: (*a*) sufficere testimoniales privatas; (*b*) sufficere eas quae in genere tantum testantur de qualitatibus postulantis, dummodo ipsi superiores inquirant de reliquis requisitis.[1] Notari etiam debet, dictas litteras testimoniales non praescribi pro admissione *monialium.*

## § 2. De Novitiatu.

(*On the Novitiate.*)

**839.** I. *Natura et obligatio.*—In monasterium ingressi antequam possint ad vota in religiosa professione nuncupanda admitti, debent novitiatum peragere. Porro novitiatus est probatio seu competens experimentum, quo religio qualitates novitii, et novitius austeritatem ordinis experitur.[2]

**840.** II. *Tempus, locus, habitus.*—In congregationibus stricte religiosis, i.e. cum votis solemnibus, tam virorum, quam mulierum, novitiatus, de jure communi, peragi debet (*a*) per annum integrum et continuum, et quidem sub poena nullitatis professionis,[3] (*b*) in ipso conventu ab Apostolica Sede designato tamquam domo novitiatus,[4] (*c*) in habitu ordinis.

*Nota.*—Omnia hic tradita intelliguntur de ordinibus stricte religiosis seu vota solemnia habentibus. Pro institutis votorum simplicium, consulantur eorum statuta approbata.

## § 3. Professio Religiosa.

(*Religious Profession.*)

**841.** I. *Definitio.*—Professio est emissio votorum, quibus novitius in statum religiosum admittitur.[5] Professio stricte sumpta ea est, in qua emittuntur vota solemnia (*solemn profession*). Professio vero late sumpta ea dicitur in qua simplicia tantum vota emittuntur.

**842.** *Quaer.* Quandonam professio fieri possit?

*Resp.* 1° In quacunque religione proprie dicta, tam virorum quam mulierum, professio non fiat ante *decimum sextum annum expletum.*[6]

[1] Cf. de Brab. n. 594.
[2] Huguenin, n. 561.
[3] Conc. Trid. sess. 25, c. 15, de Reg. et Mon.
[4] Clem. VIII. 19 Mart. 1603; Urbanus VIII. 21 Sep. 1624.
[5] Huguenin, l. c. n. 566.
[6] Conc. Trid. sess. 25, c. 15, de Reg.

**843.** 2° Pius IX. in decreto S. Congr. *super statu Reg.* 19 Martii 1857, ubique terrarum observando, statuit: "Peracta probatione et novitiatu, (*a*) novitii *vota simplicia* emittant, postquam expleverint aetatem annorum sexdecim; . . . et quoad laicos (*lay-brothers*) et conversos (*religious appointed to attend to the temporalities and out-door business of the order*), postquam ad eam pervenerint aetatem (ad annum 21) quae in Const. Clem. VIII. *In supremo* praefinita est. (*b*) Professi, post *triennium* a die quo vota simplicia emiserunt computandum, ad professionem *votorum solemnium* admittantur."[1] Hoc decretum induxit disciplinae mutationem magni momenti.

**844.** 3° Hoc decretum S. C. 19 Martii 1857 respicit tantum ordines *virorum* vota solemnia habentium.[2] Attamen in nonnullis locis, ex decretis particularibus S. Sedis, *moniales* simili legi subjiciuntur. Sic S. Sedes, quoad moniales quorundam locorum, in hisce Statibus Foederatis, quae solemnia emittunt vota, decrevit:[3] "In posterum ab iisdem Monialibus Visitationis post expletum novitiatum, emittenda esse *vota simplicia;* exactisque *decem annis* a votorum simplicium professione,[4] admitti eas posse ad *vota solemnia* nuncupanda."[5]

## ART. V.

### OFFICIA ET ONERA REGULARIUM ET MONIALIUM.

(*Duties of Regulars and Nuns.*)

### § 1. In Genere.

(*In General.*)

**845.** Regulares et moniales tenentur 1° ad observantiam votorum, scilicet paupertatis, obedientiae et castitatis, necnon

[1] In *Concilio Vaticano* postulatum est a Congregatione helveto benedictina, ut lex de professione votorum simplicium modificetur ita ut expleto anno novitiatus et impleto anno 19, statim ad solemnem votorum professionem religiosi admittantur. (Martin, Doc. p. 242.)

[2] *Schema* 15$^{m}$ *Concilii Vaticani,* de Regular. statuebat etiam moniales nonnisi expleto *quinquennio* post vota simplicia emissa, ad vota solemnia admittendas esse. (Martin, Arb. p. 126.)

[3] S. C. Ep. et Reg. 3 Sep. 1864. [4] S. C. de P. F. 16 Sep. 1867.

[5] Conc. Pl. Balt. II. n. 419, iii.; ib. p. cli.

specialium votorum, si quae adsint in religione ad quam pertinent; 2° ad observantiam regulae et constitutionum;[1] 3° ad divini officii in choro recitationem (*saying the breviary in choir*). Ad hanc recitationem autem obligantur solum regulares utriusque sexus solemniter professi et choro addicti, non autem religiosi, sive sint viri, sive feminae, vota simplicia tantum emittentes; 4° Ad clausuram; 5° ad perseverantiam in religione. De hisce duabus ultimis obligationibus tantum pauca subjiciemus.

## § 2. Clausura.

(*Enclosure.*)

**846.** *Quaer.* Quid sit clausura?

*Resp.* Clausura formaliter sumpta est lex canonica qua liber ingressus externorum in monasterium, et vice versa egressus regularium e monasterio prohibetur. Dicitur *lex canonica,* quia clausura stricte dicta, de qua hic loquimur, ab ipso jure communi imponitur et determinatur,[2] et proinde distinguitur a clausura improprie dicta, quae ab Episcopis aliquando religiosis qui vota solemnia non habent, imponitur. Clausura canonica seu papalis omnes et solos proprie dictos religiosos plus minusve afficit, et praesertim moniales.

**847.** *Clausura canonica quoad viros.*—1° Prohibetur regularibus proprie dictis egressus e monasterio absque licentia superioris;[3] 2° ingressus mulierum in monasterium, idque sub poena excommunicationis ipso facto incurrendae, et hodie Romano Pontifici simpliciter reservatae;[4] 3° ingressus virorum non prohibetur jure communi.[5]

**848.** *Clausura monialium.*—1° Sub poena excommunicationis latae sententiae, S. Pontifici reservatae, nulli moniali li-

[1] Clem. cap. 1, de V. S. (v. 11); Conc. Trid. sess. 25, c. 1, de Reg.

[2] Cap. 3, 4, de Cleric. (iii. 50); Clem. cap. 1, § 5, de statu Mon. (iii. 10); Conc. Trid. sess. 25, c. 4, de Reg.

[3] Conc. Trid. sess. 25, c. 4, de Reg.

[4] Pius IX. Const. Ap. Sedis, sect. 2ª, n. 7.

[5] *Schema* 4 *de clausura Concilii Vaticani* decernebat: "Facultatem impertimur moderatoribus generalibus clausuram (papalem) in institutis *virorum, in quibus vota tantum simplicia emittuntur,* constituendi." (Martin, Doc. p. 237.)

cet e conventu exire, etiam ad breve tempus, nisi ex aliqua legitima causa ab Episcopo approbanda.[1] Jam vero causae legitimae sunt: Magnum incendium, lepra, et epidemia;[2] quibus adjungi debent inundatio, ruina domus, et aliae aeque graves.[3]

2° Sub eadem poena prohibetur *quibuslibet* personis cujuscunque sexus vel aetatis, ne monialium monasteria ingrediantur, sine manifesta et legitima causa ab Episcopo in scriptis probanda.[4]

3° Quae diximus, de sola clausura papali sunt intelligenda, quae de jure communi, nonnisi pro monialibus vota solemnia emittentibus, statuitur.[5]

**849.** *Quaer.* Quid dicendum de clausura monialium in hisce Statibus foedere junctis?

*Resp.* 1° Moniales a Visitatione B. M. V. nuncupatae, in monasteriis locorum Georgetown, Mobile, Kaskaskia, St. Aloysii, et Baltimorae emittunt vota solemnia, et proinde habent clausuram papalem.[6] Quoad hanc clausuram, possunt tamen, uti facultatibus sibi in variis S. Sedis rescriptis concessis.[7]

2° Caeterae moniales hujus regionis, v.g. sorores S. Benedicti, S. Dominici, secluso speciali S. Sedis rescripto, vota solum simplicia emittunt, et proinde clausurae papali non subjiciuntur.[8] Debent tamen clausuram, tum passivam tum activam, quantum fieri potest, sedulo servare.[9] Cf. Conc. Pl. Balt. III. n. 94, 95.

[1] Conc. Trid. sess. 25. c. 5, de Reg.

[2] S. Pius V. Const. *Decori;* Bened. XIV. De Syn. l. 13, c. 12.

[3] Cf. Pius IX. Const. *Ap. Sedis*, Sect. 2ª, n. 6.

[4] Pius IX. Const. *Ap. Sedis*, sect. 2ª, n. 6; Conc. Trid. sess. 25, c. 5, de Reg.; cap. 8, de vita et hon. Cler. (iii. 1).

[5] *Schema* 4 *de clausura*, cap. 6, Concilii *Vaticani*, episcopalem clausurum in institutis introduci volebat, in quibus sorores vota tantum simplicia emittunt. (Martin, Doc. p. 238.)

[6] Conc. Pl. Balt. II. n. 419.

[7] In *Americ. votorum*, apud Bizzarri, Collect. p. 778 sq.

[8] Conc. Pl. Balt. II. n. 419.

[9] Cf. nostram dissertationem *On religious Communities*, apud *The Am. Cath. Quart. Review*, p. 235 sq. Apr. 1878.

## § 3. Perseverantia in Religione.

(*Duty of Remaining in a Religious Community.*)

**850.** *Quaer.* Utrum religiosus teneatur in suo religioso ordine permanere ?

*Resp.* Affirmative. Obligatio haec oritur ex natura ipsius status religiosi, necnon ex votis perpetuis. Duo complectitur: (*a*) perseverantiam in statu religioso ; (*b*) in ordine professionis. Hinc effatum: *semel monachus, semper monachus.* Caeterum haec obligatio afficit, de jure communi, omnes et solos religiosos, proprie dictos, sive viros sive foeminas, non vero illos religiosos qui simplicia solum aut nulla vota emittunt.

**851.** *Quaer.* Quibus modis possitne religiosus a suo religione recedere ?

*Resp.* Nonobstante obligatione permanendi in religione, contingere quandoque potest ut religiosus sive licite sive illicite a suo ordine recedat. Hoc autem fit sequentibus modis: (*a*) per transitum ad alium ordinem ; (*b*) per ejectionem; (*c*) per apostasiam et fugam; (*d*) per dispensationem; (*e*) per indultum saecularizationis. De transitu ad alium ordinem, vide alios auctores. De caeteris pauca subjiciemus.

**852.** I. *Ejectio ex ordine* (*expulsion or dismissal from the religious community*).—Ejectus ille est qui post emissa vota solemnia, et proinde perpetua, ex sua culpa, expellitur ab instituto religioso. Proinde qui dimittitur a religione post professionem votorum simplicium, non computatur inter ejectos.[1] Religiosus incorrigibilis expelli potest, nonobstante professione votorum solemnium.[2] Moniales solemniter professae ejici non possunt, nisi auctoritate S. Sedis.

**853.** Conditio religiosi ejecti haec est: 1° Remanet religiosus: unde tenetur se emendare, ut iterum admitti mereatur; 2° Religiosi ejecti, quoadusque extra religionem degunt, sunt ipso facto suspensi ab exercitio ordinum, suspensione hodie S. Sedi reservata, ex Const. *Apostolicae Sedis,* Pii IX. Susp. V.

**854.** II. *Apostasia et fuga* (*total abandonment of, and temporary flight from the order*).—Apostasia (*total abandon-*

[1] Santi, l. 3, t. 31, n. 41.

[2] Cap. ult. de Statu Mon.; cap. 7, 24, ne cleric.; S. C. 21 Sep. 1624.

*ment*) est criminosa discessio a religioso instituto animo non revertendi. Differt autem a fuga eo quod haec fit absque tali animo, et potius cum animo redeundi. Porro fugitivi et apostatae habitum dimittentes sunt ex jure antiquo, ipso facto, excommunicati.[1] De hac autem excommunicatione silet Const. *Apostolicae Sedis* Pii IX. Hinc ex jure communi non amplius viget.[2] Vigere autem potest in peculiaribus ordinibus religiosis, si de eadem caveant regulae a S. Sede probatae. Pius IX. enim integras voluit permanere poenas in regularium ordinum constitutionibus descriptas.[3] Haec de viris regularibus. Nam moniales solemniter professae quae vel per apostasiam vel fugam, conventum suum deserunt, hodie incurrunt ipso facto, excommunicationem R. Pontifici simpliciter reservatam,[4] uti supra ostendimus.

**855.** III. *Dispensatio in votis* (*dispensation from the vows*).—Hodie indubitatum est potestatem in votis *solemnibus* dispensandi S. Pontifici competere. Ipsi etiam soli potestas est dispensandi in votis simplicibus in instituto emissis a S. Sede approbato.

**856.** Quoad vota vero *simplicia*, etiam in his Statibus Unitis, *ad tempus* emissa in institutis dioecesanis—i.e. institutis quorum constitutiones ab ordinario tantum approbatae sunt, licet sequantur regulam a S. Sede approbatam—Episcopi facultate ordinaria dispensant; quoad eorum vero vota *perpetua* (ratione voti perpetuae castitatis S. Sedi reservati) nonnisi potestate delegata, quae, quoad nostros praelatos, continetur in facultatibus a S. Congr. de Prop. Fide concedi solitis, Form. I. n. 4, dispensare possunt, si ipsi (Episcopi) graves rationes ita exigere coram Deo judicaverint, praehabita tamen petitione superioris vel superiorissae consentientibus ejus consiliariis, ne scilicet dispensatio forte sit in praejudicium tertii.[5]

**857.** IV. *Indultum saecularizationis.*—Est licentia in saeculo degendi. Est vel ad tempus vel in perpetuum. A S.

[1] Cap. 2, ne cleric. in 6°. [2] Santi, l. c. n. 46.
[3] Const. *Ap. Sedis*, § *Interdicta* II. *quae vero.*
[4] Const. *Ap. Sedis*, sect. 2ª, n. 6.
[5] Conc. Pl. Balt. III. n. 93.

Sede sola concedi potest, et locum habet tantum in religiosis proprie dictis. Remanent autem votis obstricti, quamvis cum aliquo temperamento.[1]

## ART. VI.

### DE REGIMINE REGULARIUM.

(*The Direction or Government of Regulars.*)

**858.** Regularium regimen vel ipsos regulares vel personas extraneas respicit. Hinc agemus 1° de regimine regularium ad extra; 2° de eodem regimine ad intra.

### § 1. De Regimine Regularium ad Extra.

(*The Government of Regulars in their Relation with Outsiders.*)

**859.** Expendenda sunt 1° Regularium habilitas ad munia ecclesiastica; 2° Episcoporum jurisdictio in regulares.

#### I. Habilitas ad Munia Clericorum.

(*Are Regulars capable of Performing the Ecclesiastical Functions of Secular Clerics?*)

**860.** *Quaer.* Utrum jure ecclesiastico hodierno regulares promoveri possint ad paroecias?

*Resp.* Affirmative, quando illae paroeciae seu missiones, etiam apud nos, pleno jure monasteriis sunt unitae.[2] Patet ex lege Ecclesiae, necnon ex ratione. Nam regulares non sunt ex natura status religiosi incapaces muniorum clericorum. Dicitur *pleno jure;* idest, quando sunt unitae, non solum quoad jus percipiendi reditus temporales, sed etiam quoad curam animarum. Idem tenendum est, quando sunt unitae solum quoad temporalia.[3]

**861.** *Quaer.* Quomodo apud nos missiones seu paroeciae pleno jure monasteriis uniri possint?

*Resp.* Concilium Plenarium Baltimorense III. n. 20, sic respondit: "Consultorum requiretur Consilium quando id agitur, ut missio seu parochia tradatur alicui familiae religiosae; quo in casu necessaria erit etiam venia S. Sedis." In hoc decreto sermo est, non solum de familia religiosa stricte

[1] De Brab. n. 612. [2] Conc. Trid. sess. 7, c. 7, de Ref. [3] Ib.

dicta, verum de *omnibus*, et proinde etiam de iis quae aut vota tantum simplicia aut nulla emittunt.[1]

**862.** *Quaer.* An regulares eligi valeant 1° in examinatores synodales, 2° in vicarios generales aut capitulares; 3° in canonicos; 4° in Episcopos; 5° ad S. Pontificatum?

*Resp.* Ad 1m affirmative;[2] ad 2m et 3m negative, nisi obtinent indultum S. Pontificis; ad 4m et 5m affirmative. Regulares possunt etiam esse professores in publicis universitatibus, nisi proprium ipsorum institutum obstet.

**863.** *Quaer.* Utrum in hisce Statibus Foedere junctis, regulares possint eligi in Consultores dioecesanos?

*Resp.* Duplex adest sententia. Prima affirmat, (*a*) quia consultores non sunt canonici, ad chorum non tenentur, neque ullum beneficium saeculare seu canonicale possident; (*b*) quia in ipsa Curia Romana, regulares Consultorum munere funguntur apud varias SS. Congregationes. Praxis in aliquibus dioecesibus huic favet sententiae. Secunda sententia negat (*a*) eo quod Consultores nostri sunt loco canonicorum, (*b*) quia ex Ecclesiae mente, solus clerus saecularis Episcopo adjumento esse debet, sive opera, sive consilio, in dioeceseos administratione.

## II. Jurisdictio Episcopi in Regulares.

*(Authority of Bishops over Regulars.)*

**864.** Familiae religiosae sunt duplicis generis: (*a*) aliae exemptae sunt ab Episcopi jurisdictione; (*b*) aliae non sunt exemptae. Proinde dicemus 1° quae sit Episcopi jurisdictio in exemptas; 2° in congregationes non exemptas.

### A. Congregationes exemptae.

*(Religious Communities which enjoy Exemption.)*

**865.** *Quaer.* Quae sit Episcopi auctoritas in congregationes exemptas virorum, quoad erectionem Conventuum, ordinationes, et exercitium sacri ministerii?

*Resp.* 1° Quoad erectionem Conventuum et sacras ordinationes, vide supra, n. 453 sq.

[1] Cf. Huguenin, l. c. n. 584.
[2] Conc. Trid. sess. 24, c. 18, de Ref.

**866.** 2° Quoad *officium parochiale,* quando parochia seu missio, etiam in hac regione unita est monasterio, regularis quem superior deputat ad munus parochiale, non potest curam animarum assumere absque praevia Episcopi approbatione. Est praeterea ejusdem Episcopi jurisdictioni subjectus in omnibus causis et negotiis quae spectant ad regimen missionis seu parochiae.[1] Et Episcopus, ubi muneri suo defuisse illum compererit, opportuna decreta condere, ac meritas in eumdem poenas statuere valet.[2]

Hujusmodi parochi regulares (in hac regione, regulares qui nostris missionibus seu quasi-parochiis praeficiuntur) tam ab Episcopo, quam a superiore regulari, aequo jure, non requisito alterius consensu, ab animarum cura amoveri possunt; nec unus alteri causas remotionis aperire tenetur.[3]

**867.** 3° Quoad *sacrum ministerium extra officium parochiale,* sufficiat hic annotare, quod nullus regularis possit confessiones *saecularium,* etiam sacerdotum audire, nisi ab Episcopo per examen, si illi videbitur, aut alias idoneus judicetur, et approbationem obtinuerit.[4] Cf. Leo XIII. Const. *Romanos Pontifices* an. 1881 § *Praeterquam;* Conc. Plen. Balt. II. n. 411, 412.

**868.** *Quaer.* Quae sit Episcopi auctoritas in *moniales* exemptas?

*Resp.* Vide Prael. S. Sulpitii, n. 498.

B. IN INSTITUTA NON EXEMPTA.

(*Religious Communities, which are not exempted.*)

**869.** *Quaer.* Quae sit jurisdictio Episcopi in congregationes non exemptas, sive virorum, sive mulierum, etiam apud nos?

*Resp.* 1° Vide supra, n. 457 sq.

[1] Excipiuntur tamen Parochi regulares, qui curam animarum exercent in ecclesiis parochialibus quae sunt adnexae monasteriis seu locis, in quibus abbates generales aut superiores generales sedem (*residence*) ordinariam principalem habent. (Conc. Trid. sess. 25, cap. 11, de Reg.; Benef. XIV. Const. *Firmandis,* §§ 2, 13, 14.)

[2] Bened. XIV. Const. *Firmandis,* § 10; Prael. S. Sulp. n. 496.

[3] Bened. XIV. Const *Firmandis,* § 11.

[4] Conc. Trid. sess. v. c. 2, de Ref.; Clemens X. Const. *Superna,* 1670.

Sufficiat hic notare, quod superiores congregationum virorum qui ad clerum pertinent, non habent jure communi jurisdictionem spiritualem utriusque fori.[1]

2° Seclusis specialibus constitutionibus, Episcopus nullam habet potestatem dominativam etiam quoad congregationes mulierum. Proinde, religiosa communitas, etsi in ea nulla vota aut solum simplicia emittantur, ex seipsa jus habet, absque ulla concessione ab Ecclesia facta, sua administrandi bona.[2] Cf. nostrum *Elements,* vol. I. n. 428 sq.

### § 2. De Regimine Regularium ad Intra.

(*Internal Government of Religious.*)

Dicemus hic de potestate superiorum regularium in ordinem quem regunt et in religiosos qui sibi subduntur.

**870.** *Quaer.* Qui sint superiores ordinum religiosorum?

*Resp.* Superiores religionum sunt, qui commissam habent curam religionis vel ordinis, vel alicujus provinciae, monasterii aut domus. Appellantur abbates (*abbots*), priores (*priors*), praepositi generales (*superiors-general*), provinciales (*provincials*), guardiani, etc., pro diverso munere quod gerunt. Variis titulis superioritatis in monasteriis virorum, respondent tituli conventuum *monialium,* quae et ipsae habent suas abbatissas, priorissas, etc.

**871.** *Quaer.* Quomodo eligantur superiores regularium?

*Resp.* I. Supremi superiores, v.g. abbates et superiores generales—nominantur communiter 1° per electionem capituli, ad quod omnes sunt vocandi, qui jus habent eligendi, et non sunt impediti. 2° Ut quis eligi possit in praelatum, necesse est (*a*) ut sit professus in eodem ordine; (*b*) aetatem competentem habeat, id est 25$^{m}$ annum completum; 3° Jus eligendi pertinet ad capitulum seu ad communitatem cujus praelatus est eligendus.[3] 4° Electio ipsa fieri debet per *vota secreta.* In electione abbatis, qui in perpetuum eligitur, necessario servanda est forma scrutinii quae in capite *Quia propter* 42, *de Elect.,* praescribitur.[4]

**872.** II. Superiorissae monialium, etiam cum votis tantum

[1] Prael. S. Sulp. n. 499.
[2] Craiss. Man. n. 2905.
[3] Reiff. l. i. t. 6. n. 159.
[4] Ib. n. 110, 111.

simplicibus, nominantur per electionem, juxta regulas quae statutis peculiaribus uniuscujusque instituti seu congregationis, praescribuntur ad electionem. Electio semper facienda est per vota *secreta*.[1]

**873.** *Quaer*. Quae auctoritas competat superioribus regularium?

*Resp*. I. Duplex distinguitur potestas in superiore religioso: (*a*) potestas *administrationis* (*administrative, paternal, domestic authority*), quae directe emanat ex statutis ordinis seu congregationis, et voto obedientiae, (*b*) potestas *jurisdictionis,* quae est participatio potestatis clavium.

**874.** II. Jam vero potestas dominativa necessario adest in quolibet instituto religioso, tam virorum, quam foeminarum, sive hujusmodi instituta sint exempta sive non. Porro vi potestatis dominativae vel gubernativae, superiores, ac pari jure, superiorissae regulares, jus habent (*a*) admittendi ad novitiatum et professionum; (*b*) regendi congregationem vel conventum in spirituali ac temporali, juxta regulas instituti; (*c*) condendi statuta; (*d*) conferendi officia inferiora; (*e*) invigilandi observantiae disciplinae regularis; (*f*) administrandi bona temporalia; (*g*) coercendi delinquentes monitionibus et remediis paternis; (*h*) incorrigibiles ejiciendi e conventu.[2]

**875.** III. Potestas vero jurisdictionis adest solummodo in institutis religiosis virorum, quae exemptione gaudent. Porro exemptio competit ordinibus stricte dictis, de jure communi; aliis vero potest competere ex speciali indulto S. Pontificis. Eorum praelati et superiores gaudent jurisdictione ordinaria etiam in foro externo, et possunt generaliter erga suos subditos quod Episcopi erga dioecesanos. Unde dicuntur habere jurisdictionem quasi-episcopalem.[3]

**876.** Vi hujus jurisdictionis, praelati et superiores regulares possunt (*a*) edicere decreta quae obligant in foro interno et externo, non secus ac decreta lata ab Episcopis; (*b*) approbare presbyteros sibi subjectos ad audiendas confessiones sacramen-

[1] Conc. Trid. sess. 25, cap. 6, de Reg.
[2] Prael. S. Sulp. n. 491.
[3] Cap. 3, de Priv. in 6 (v. 7).

tales suorum subditorum,[1] et eisdem alia sacramenta conferenda; (*c*) casus reservare, sicut consueverunt Ep scopi; (*d*) ferre censuras excommunicationis, suspensionis et interdicti, eodem prorsus modo quo id Episcopis competit.

## § 3. Capitula Regularium.

(*Chapters of Regulars.*)

**877.** *Quaer.* Quid et quotuplex sit capitulum regularium?

*Resp.* 1° Quemadmodum Episcopus in regimine dioeceseos, indiget interdum consilio, interdum etiam consensu sui capituli cathedralis,[2] ita et praelatus regularis in gubernando monasterio, aliquando consilio, aliquando vero consensu indiget sui capituli. Capitulum hoc recte proinde vocatur senatus superioris.

**878.** 2° Capitula regularium sunt vel *conventualia* (*the chapter of an individual monastery*) vel *generalia* (*the general chapter of the whole order*). Ad capitulum conventuale convocandi sunt hodie omnes conventus professi in sacris constituti.[3] In quibus autem negotiis *consensum* vel *consilium* capituli praelatus regularis adhibere teneatur, partim expressum est in jure,[4] partim pendet a variis ordinum constitutionibus.

Loco capituli, quidam superiores, praesertim ordinum recentiorum, utuntur consiliariis, qui *seniores, definitores, consultores, assistentes* audiunt.

**879.** 3° Ad capitulum generale convocandi sunt ex toto ordine abbates, superiores, et caeteri omnes, quibus ex consuetudine aut constitutionibus id juris competit. In his capitulis, quae quolibet triennio celebranda sunt, tractantur negotia quae totam religionem concernunt.[5]

[1] Nomine subditorum hic veniunt non solum ipsi regulares, verum etiam eorum famuli (*servants*) qui in conventu resident, sub obedientia superioris. Conc. Trid. sess. 24, c. 11, de Ref.

[2] Apud nos, uti superius vidimus, Episcopus indiget tantummodo *consilio* consultorum.

[3] Conc. Trid. sess. 22, c. 4, de Ref.

[4] Lib. III. Decr. tit. 22, c. 4; tit. 23, c. 2; tit. 10, c. 6.

[5] De Brab. n. 639.

## § 4. Processus Canonici Criminales intra Religiosos Ordines.

(*Canonical Trial in Religious Communities.*)

**880.** *Quaer.* Quandonam processui criminali locus sit apud religiosos ordines?

*Resp.* 1° Locus non est processui criminali quoties poena imponenda non excedit *dominativam* (*paternal, domestic*) praelati postestatem.[1] 2° Atvero si tale sit delictum, ut imponenda veniat gravis poena, quae dominativam excedit potestatem (v.g. excommunicatio, suspensio, ejectio ab ordine, carceratio, flagellatio, privatio vocis activae et passivae), tunc locus est processui criminali. 3° Sufficit autem servare formam *judicii seu processus summarii.*[2] Quaenam necessario servanda sunt etiam in *judicio summario*, jam dixi in meo tractatu *Elements of Ecclesiastical Law*, vol. II.; et in altero meo opusculo *The New Procedure*, etc.; infra, n. 1047 sq.

**881.** *Quaer.* An et quatenus religiosus a superioris sui sententia valeat appellare?

*Resp.* 1° Non potest appellare, sed tantum recursum instituere ad superiorem praelatum legitimum a communibus correctionibus, quae nec infamiam, nec gravem poenam inducunt.[3]

**882.** 2° In gravioribus vero causis, in quibus agitur de poena gravi infligenda, potest religiosus non tantum recursum, sed proprie dictam appellationem interponere, in suspensivo. Appellatio haec fieri debet ab uno praelato ad proximum superiorem, et a generali ad protectorem, et a protectore ad S. Congregationem.[4]

[1] Bouix, de jure regular. vol. 2, p. 441. [2] Cap. 24, 26 (v. i).

[3] Arg. Cap. 3, 26, de App. (ii. 28). The *schema* de obed. of the *Vatican Council* proposed: "Statuimus *religiosorum recursus*, qui fieri solent . . . *haudquaquam obedientiae obligationem suspendere.*" (Martin, Doc. p. 231.) [4] Bouix. de jure reg. vol. 2, p. 446.

# Liber Tertius.

## DE REBUS ECCLESIASTICIS.

### (*OF ECCLESIASTICAL THINGS.*)

**883.** Absoluta tractatione de *personis* (*ecclesiastical persons*), quibus christiana constat societas, jum disserendum est de *rebus ecclesiasticis.* Appellatio hæc latissime hic patet, et significat res omnes, quae praeter personas et judicia, ad hominum sanctificationem quacunque ratione ordinantur.

**884.** Res ecclesiasticae potissimum distinguuntur in *spirituales* et *temporales.* Priores illae sunt, quibus *spiritualis* animae vita fovetur, uti sacramenta, sacramentalia, preces, ritus,[1] etc.; temporales vero res illae dicuntur quibus *corporalis* clericorum *vita* sustinetur, et divini cultus necessitatibus providetur, uti sunt templa (*churches*), praedia (*lands*), domus (*houses*), beneficiorum reditus (*income of ecclesiastical offices*), oblationes (*offerings of the faithful*), etc.

**885.** Tractationem hic omittimus de rebus ecclesiasticis quae directe et proxime ad salutem animae referuntur. Proinde silemus de sacramentis, indulgentiis, divino officio, etc. Nam haec omnia tum in theologia morali et dogmatica, tum in sacra liturgia dilucide explanantur. Hoc valet etiam de sacramento matrimonii, quod tamen, prout est *materia judicii ecclesiastici* (*as matter of ecclesiastical trials*), in quarto hujus opellae libro, explicabitur.[2]

**886.** Remanet proinde ut de rebus ecclesiasticis temporalibus hic breviter pro instituto disseramus. Praesens autem liber duplici constabit parte: prior erit de rebus ecclesiasticis in genere; secunda de hisce rebus in specie.

[1] Rebus spiritualibus communiter accensentur a canonistis etiam (*a*) *res sacrae* (*sacred things*), quae scilicet Deo et religioni sunt consecratae, ut divinus cultus exerceatur, veluti Ecclesiae, sacraque vasa et ornamenta; (*b*) itemque *res religiosae*, domus scilicet et loci in quibus vel regulares vitam ducunt, vel pauperes et aegroti curantur, vel fidelium cadavera sepeliuntur. Cf. Devoti, l. 2, t. 1, § 1.

Verumtamen de hisce rebus sacris et religiosis agemus cum sermo erit de bonis temporalibus. Recte enim illis accensentur, uti patet.

[2] Sanguineti, n. 399.

# Pars Prima.

## RES ECCLESIAE TEMPORALES, IN GENERE.

*(Ecclesiastical Things or Property in General.)*

Agemus 1° de jure acquirendi ecclesiae proprio; 2° de subjecto in quo residet dominium bonorum ecclesiasticorum; 3° de eorumdem bonorum administratione et alienatione.

---

## CAPUT I.

### DE ECCLESIAE JURE ACQUIRENDI BONA TEMPORALIA.

*(Right of the Church to acquire and possess Property.)*

### ART. I.

#### UTRUM ECCLESIA JUS HABEAT ACQUIRENDI BONA TEMPORALIA?

*(Has the Church a Right to acquire Worldly Goods?)*

**887.** *Quaer.* Quid sint bona ecclesiastica temporalia?

*Resp.* 1° Res temporales seu bona temporalia Ecclesiae sunt res corporales et jura incorporalia, ad ipsam pertinentia, quibus cultui divino, clericorum educationi et sustentationi, necnon pauperum sublevamini providetur.

2° Duplicis generis sunt haec bona: (*a*) alia sunt *mobilia* (*personal or movable property*), uti calix, patena, campanae, vestes sacrae, statuae, picturae, etc.; (*b*) alia *immobilia* (*real estate, immovable property*), uti templa, domus episcopalis et presbyteralis, etc.

**888.** *Quaer.* Utrum Ecclesia habeat jus acquirendi et possidendi bona temporalia?

*Resp.* Ecclesia legitime res temporales, sive mobiles sive immobiles, potest acquirere et possidere, et quidem jure naturali et divino, et independenter a potestate saeculari. Constat ex ipsa ratione.[1] Nam Ecclesia instituta fuit a Christo ut societas suprema et indepens, externa et visibilis. Porro nulla societas externa sine bonis communibus stare potest. Necessario enim multae faciendae sunt expensae, ut ministri stipendium habeant, ut agantur conventus, et omnia societati necessaria comparentur.[2] Quapropter Ecclesia, tum Christi exemplo et dictis,[3] tum Apostolorum mandato et consuetudine suffulta,[4] ab omni tempore bona sibi adquisivit.

## ART. II.

### IN QUONAM RESIDEAT DOMINIUM BONORUM ECCLESIASTICORUM.

*(In what Particular Persons the Ownership of Ecclesiastical Property is vested.)*

**889.** *Quaer.* In quonam subjecto resideat dominium ecclesiasticum?

*Resp.* 1° Dominium (*the ownership*) bonorum ecclesiasticorum esse penes Ecclesiam, non vero penes saecularem potestatem, nullus vere Catholicus dubitare potest. Ast nomen Ecclesiae multiplex subjectum comportat. Unde controversia inter catholicos doctores enata est in determinando quisnam sit in Ecclesia vere et proprie bonorum ecclesiasticorum dominus.

**890.** 2° Tres extant sententiae: *Prima* dicit dominium in casu apud nullum hominem sive privatum sive publicum existere, sed solum apud Deum seu Christum, sola administratione apud Dei ministros consistente. In probationem afferunt varios juris canonici textus, in quibus bona ecclesiastica nuncupantur *res Dei, bona Deo dicata,* etc.

**891.** *Secunda* tenet dominium praefatum penes S. Pontificem residere.

[1] Pius IX. Syllab. 26.
[2] Cf. Devoti, l. 2, t. 13, § 1.
[3] Io. XIII. 29; Luc. X. 7.
[4] I. Cor. ix. 13; I. Tim. v. 18; Acta Apost. ii. 44; iv. 34.

**892.** *Tertia* denique sententia docet dominium, de quo agitur esse penes singulas ecclesias, communitates et instituta, quibus sunt data vel tradita. Haec sententia, quam Schmalzgrueber[1] vocat communem canonistarum probatur tum ex jure positivo,[2] tum ex sensu fidelium et ipsarum ecclesiarum.

**893.** Neque in contrarium valet argumentum primae sententiae. Nam locutiones *res Dei*, etc., indicant tantum *finem* bonorum; dum hic non quaeritur cujus servitio res Ecclesiae sint consecratae, sed quis in commercio humano ut earum dominus sit habendus. Insuper non obstat secunda sententia. Nam Romanus Pontifex in bona ecclesiastica habet quidem jus supremae dispensationis seu altum dominium (*right of eminent domain*), sed non proprie dictum dominium directum.

**894.** *Quaer.* Quonam in sensu singulis ecclesiis et institutis dominium ecclesiasticum competat?

*Resp.* 1° Notandum per ecclesias, communitates et instituta non intelligi personas quibus componuntur, sed corpus morale, cujus existentia et bona diversa sunt et independentia a vita et bonis illarum personarum.[3] Inde colligitur singula instituta tamquam personas dominii capaces considerari.[4] Aliis verbis, juxta sacros canones, quaelibet ecclesia, paroecia et institutum, in foro externo, sicut in aliis causis, ita etiam circa bona temporalia *personam juridicam seu personam moralem* (*a moral person, a corporation sole*) praesefert,[5] et subsistentiam seu personalitatem religiosam quodammodo habet.

**895.** 2° Ast haec proprietas, singulis ecclesiis et institutis attributa, non est illimitata, sed quasi divisa inter ecclesias particulares et Ecclesiam universalem. Ratio est quod ecclesiae particulares sunt in Ecclesia universali, sicut membra in corpore. Unde subjectum immediatum et proximum dominii ecclesiastici, est ecclesia vel institutum locale; subjectum vero remotum et mediatum est Ecclesia universalis, quae mediante

[1] Lib. 3, t. 25, n. 4.

[2] Can. 16, c. 12, q. 1; can. 68, c. 16, q. 1; Conc. Trid. sess. 22, c. 11, de Ref.

[3] De Brab. n. 877.

[4] Huguenin, n. 728; Craiss. Man. n. 5274.

[5] Phillips, Comp. § 208. Cf. Huguenin, n. 630.

isto instituto illa bona possidet, sicut corpus humanum mediantibus membris operatur.[1]

**896.** 3° Jam vero Ecclesia universalis, per Petrum ejusque successores, Romanos scilicet Pontifices, et caeteros Apostolos eorumque successores, id est, Episcopos, repraesentatur. Proinde Romanus Pontifex jure pollet supremae dispensationis, seu *alti dominii* quoad omnia bona ecclesiastica totius mundi;[2] Episcopus vero possidet quoad suam dioecesim tutelam seu superiorem administrationem bonorum ecclesiasticorum.[3]

---

# CAPUT I.

## ADMINISTRATIO ET ALIENATIO BONORUM ECCLESIASTICORUM.

(*The Administration and Alienation of Church Property.*)

## ART. I.

### ADMINISTRATIO.

(*Administration.*)

**897.** *Quaer.* Quid sit administratio bonorum ecclesiasticorum, et ad quos pertineat?

*Resp.* 1° Vocamus jus *administrandi* illud quod et rei conservationem, et ejusdem usum, ac dispositionem complectitur.

2° Bonorum administratio est accessorium dominii, et proinde spectat ad dominum vel ejus vices gerentem. Quapropter, si generatim administratio bonorum ecclesiasticorum spectatur, profecto ea ita ad Ecclesiam pertinet, ut nulla ratione laicis sit permittenda.

3° Si vero ad peculiares personas gradum facimus quibus in Ecclesia bonorum temporalium administratio competit, haec brevissime veniunt notanda: (*a*) Romanus Pontifex est supremus administrator bonorum totius Ecclesiae. Hinc Romani Pontifices edere possunt, sicut et reapse variis temporibus edi-

[1] Huguenin, l. c.

[2] De Brab. l. c.

[3] Conc. Pl. Balt. III. n. 267, 272.

derunt, Constitutiones circa bona ecclesiastica recte administranda vel non alienanda. (*b*) Episcopi invigilant bonorum ecclesiasticorum suae dioecesis administrationi. (*c*) Bona vero alicujus beneficii, parochiae vel instituti, a beneficiato, parocho vel rectore administrantur, adscitis quandoque nonnullis laicis. Hi tamen administratores Episcopo singulis annis suae administrationis rationem reddere tenentur.

## ART. II.

### ALIENATIO BONORUM ECCLESIASTICORUM.

(*The Alienation of Church Property.*)

**898.** *Quaer.* Utrum prohibita sit alienatio bonorum ecclesiasticorum, etiam in hac regione?

*Resp.* 1° Affirmative, nisi id fiat justa de causa, et adhibitis solemnitatibus a jure praescriptis (*the formalities prescribed by the law of the Church*). Constat ex Const. *ambitiosae* 2, de reb. eccl. al. in Extr. Com.; Conc. Trid. sess. 22, cap. 11, de Ref.; Const. *Ap. Sedis* Pii IX. n. 3, inter excom. nemini res.

2° Legem autem hanc etiam in hac regione vigere, constat ex Concilio Plenario Baltimorensi III. n. 20.[1]

**899.** *Quaer.* Quaenam bona ecclesiastica comprehendantur in hac lege alienationem prohibente?

*Resp.* 1° Non solum templa, capellae et oratoria, sed insuper alia quaevis loca pia et religiosa auctoritate ecclesiastica constituta, uti sunt monasteria, conventus, hospitalia, etc.

2° Lex prohibens alienationem ad omnes res aliquo modo pretiosas, tum immobiles tum mobiles sese extendit, non vero ad res sive mobiles sive immobiles, quae sunt exigui valoris.[2]

**900.** *Quaer.* Quid prohibitio alienandi compehendat?

*Resp.* 1° Actus per quos transfertur jus in re, quales sunt donatio, venditio, permutatio. 2° Actus qui alienationes speciem praeseferunt, uti sunt hypotheca (*a mortgage*), locatio

[1] Cf. nostrum *Elements*, vol. I. n. 668; ib, p. 486, edit. 7ª.

[2] Can. 53, c. 12, q. 2; Sanguineti, n. 440.

ultra triennium (*a lease for more than three years*), impositio novi oneris, etc.[1]

**901.** *Quaer.* Utrum aliquando bona ecclesiastica pretiosa, sive mobilia sint sive immobilia, alienari possint?

*Resp.* Affirmative, uti jam diximus, modo id fiat (*a*) justa de causa, (*b*) et juris solemnitatibus adhibitis. Ad justas causas revocantur *necessitas, et evidens utilitas.* Solemnitates (*the formalities*) vero a jure praescriptae sunt (*a*) venia S. Sedis,[2] (*b*) consensus eorum quorum interest.

**902.** *Quaer.* Utrum hae conditiones requirantur etiam apud nos?

*Resp.* Affirmative, uti patet ex his verbis Concilii Plenarii Baltimorensis III.:[3] "Quando agitur de bonis et fundis dioecesis vel missionum permutandis, aliisque agendis, quae speciem alienationis prae se ferunt, ubi summa pecuniae non excedat valorem quinque millium scutatorum, Episcopi liberi erunt; ubi vero negotium eam summam superat, tunc requiritur consilium consultorum (*the advice of the diocesan consultors*), eoque praehabito necessaria est S. Sedis permissio. Verum cum peculiares circumstantiae in quibus Ecclesia in Statibus Foederatis inpraesentiarum versatur, non permittant habere in singulis casibus recursum ad S. Sedem, Sanctissimus D. N. Leo XIII., ad preces Patrum benigne indulget, ut interim per S. Congr. de prop. Fide, speciales et extraordinariae facultates hac super re tribuantur."[4]

## ART. III.

### DE BONORUM ECCLESIASTICORUM IMMUNITATE REALI.

(*Exemption of Ecclesiastical Property from Taxes and Assessments imposed by the Secular Power.*)

**903.** *Quaer.* Quid sit immunitas realis; quousque se extendat, et utrum hodie ubique vigeat?

[1] Extrav. *Ambitiosae*, et cap. 5, de reb. eccl. alien.

[2] Pius IX. Const. Ap. Sedis, Excom. nem. res. n. 3.

[3] N. 20.

[4] Ex decreto S. C. de P. F. 25 Sep. 1885, facultas nostris Episcopis *ad decennium* concessa est alienationes peragendi absque speciali venia S. Sedis. (C. Pl. Balt. III. p. ciii.)

*Resp.* 1° Est privilegium, tum a jure divino tum a jure canonico concessum, quo bona ecclesiastica ab exactionibus, taxis seu tributis quibuslibet (*taxes and assessments*) saecularis potestatis libera sunt et exempta.[1] Exemptio haec nuncupatur immunitas *realis,* eo quod *rebus* seu bonis ecclesiasticis inhaeret.

2° Nomine bonorum ecclesiasticorum hic veniunt non solum templa et coemeteria, sed et quaevis loca pia et religiosa, v.g. monasteria, scholae parochiales, hospitalia, etc. Quoad bona quae clericis sunt propria, distinguendum est inter ea quae ex titulo sunt profano v.g. ex haereditate paterna, et ea quae ex titulo ecclesiastico acquiruntur, uti sunt salarium seu reditus officii ecclesiastici, stipendia missarum etc. Bona secundi generis eximuntur a taxis, non vero bona primi generis.[2]

3° Hodie immunitas a taxis in multis regionibus per saecularem potestatem de medio est sublata.[3] Verum apud nos fere ubique obtinet, ita disponente lege a singulis lata Statibus. Hinc ab omnibus saecularis potestatis taxis, eximuntur, in omnibus ferme hisce Statibus Foederatis, templa, coemeteria, scholae parochiales, collegia, universitates, hospitalia, orphanotrophia, etc., sive ad Catholicos, sive ad Protestantes pertinent.[4]

**904.** Cum igitur ex dictis civilis potestas bona ecclesiastica taxis gravare non debeat, multo minus eidem potestati vel aliis laicis competit jus illa bona usurpandi, aut in suos usus convertendi, vel proprietatem nationalem, ut aiunt, declarandi.[5]

Ast postremis hisce temporibus, etiam in hac regione opinio jam excrevit apud multos qui infidelitate laborant, ut omnia bona ecclesiastica taxis civilibus subjicerentur; et reapse in nonnullis Statibus nostris, jam hujusmodi taxas solvere coguntur tum templa, tum coemeteria, etc.

[1] Cap. *Quamquam*, de Cens. in 6° (iii. 20); cap. 4, 7, de Im. Eccl. (iii. 49); cf. Conc. Trid. sess. 25, c. 20, de Ref.

[2] Schmalzg. l. 3, t. 49, n. 1.

[3] Phillips, Comp. § 205.

[4] Revision laws of New Jersey, pp. 102, 1152.

[5] Pius IX. Const. *Ap. Sedis,* tit. i. n. 11, 12; tit. ii. n. 13; tit. iv. n. 3.

# Pars Secunda.

## BONA TEMPORALIA ECCLESIASTICA IN SPECIE.

(*Ecclesiastical Property, in Particular.*)

**905.** Res seu bona ecclesiastica temporalia dividuntur (*a*) in *sacra, religiosa et pia* (*sacred, religious, charitable*), scilicet ea quae cultui, religioni, vel piis operibus directe destinata sunt; (*b*) in ea quibus clericorum sustentationi providetur; (*c*) in bona fabricae, id est, ea quae templi seu aedificii sacri decori, reparationi, etc., inserviunt. De triplici hac rerum seu bonorum ecclesiasticorum classe brevem instituemus sermonem.

---

## CAPUT I.

### BONA ECCLESIASTICA QUAE DIRECTE USUI SACRO, RELIGIOSO, AC PIO INSERVIUNT.

(*Ecclesiastical Property of a Sacred, Religious and Charitable Character.*)

### ART. I.

#### IN GENERE.

(*In General.*)

**906.** *Quaer.* Quid sint res sacrae, religiosae et piae?

*Resp.* 1° Res et loca *sacra* sunt illa quae speciali consecratione aut benedictione cultui divino publico dicata sunt, uti templa, oratoria publica, coemeteria. 2° Res et loca *religiosa* dicuntur illa quae, etsi non consecrata, nec pro cultu divino benedicta, tamen S. Sedis vel Episcopi auctoritate erecta aut destinata sunt ad opera religionis, pietatis et misericordiae in iis exercenda, uti monasteria virorum et mulierum, seminaria, laicorum confraternitates, orphanotrophia, etc. 3° Denique res et loca *pia* vocantur illa quae absque ecclesiastica auctori-

tate, a privatis aut a communitate erecta, pietatis, charitatis et religionis operibus destinata sunt, v.g. hospitalia laicalia.

**907.** *Quaer.* Cuinam subjaceant loca sacra, religiosa et pia?

*Resp.* 1° Loca *sacra* et *religiosa,* nisi exemptionem probent, subsunt jurisdictioni Episcopi dioecesis, etiam in hisce Statibus Foederatis. Quapropter potest Episcopus ibi jurisdictionem sive interni sive externi fori exercere; ea visitare, et ab administratoribus singulis annis rationem administrationis exigere.[1] Porro exemptio his locis competere potest, (*a*) vel ex jure communi, (*b*) vel ex consuetudine legitima, (*c*) vel ex speciali S. Sedis indulto, (*d*) vel ex conditione in fundatione apposita.[2] 2° Loca vero *pia* Episcopi jurisdictioni non subjacent.[3]

His in genere praemissis, de praecipuis rebus seu locis sacris, religiosis et piis verba faciemus.

## ART. II.

### DE ECCLESIIS.

(*Of Church Edifices.*)

**908.** *Quaer.* Quid hic intelligatur nomine Ecclesiae?

*Resp.* Ecclesiae hic dicuntur domus seu aedificia (*houses, buildings*) cultus divini peragendi gratia extructa, et solemni ritu consecrata, aut benedicta.

**909.** *Quaer.* Quomodo distinguantur Ecclesiae?

*Resp.* Ecclesiarum divisio a majori vel minori harum dignitate et juribus profluit. Hinc Ecclesia quae habet coetum clericorum, sive regularium sive saecularium, in ea residentium, dicitur *conventualis.*[4] Quae collegium habet canonicorum sacras functiones in ea exercentium, dicitur *collegiata* (*a collegiate church, or church having canons*). Ecclesia quae rectorem habet parochum, nuncupatur *parochialis* (*a parish*

[1] Cf. Leo XIII. Const. *Romanos Pontifices,* 1881, § *Insuper*; Conc. Pl. Balt. III. n. 89. [2] De Brab. n. 694.

[3] Cf. Conc. Trid. sess. 22, c. 8, 9, de Ref.

[4] A conventual church, that is, a church, attached to a convent, monastery, or religious community.

*church*). Denique Ecclesia in qua cathedra Episcopi et capitulum existit, vocatur *cathedralis.*

Disseremus hic breviter de iis quae omnibus Ecclesiis sunt communia, nempe (*a*) de earum aedificatione, (*b*) reparatione, (*c*) consecratione et benedictione, (*d*) immunitate, (*e*) et sacra supellectili.

## § 1. De Aedificandis Ecclesiis.

(*The Building of Church Edifices.*)

Non loquimur hic de erectione canonica novae alicujus parochiae, missionis, officii vel beneficii ecclesiastici, sed tantum de exstructione novi alicujus aedificii sacri in aliqua parochia, seu missione, jam rite et canonice erecta.

**910.** *Quaer.* Quae praecipue requirantur conditiones ut quis novam possit exstruere Ecclesiam, maxime parochialem?

*Resp.* 1° Justa causa; qualis est, si tale habeatur populi fidelis incrementum, ut antiqua aedes parochialis illum haud valeat continere; 2° Consensus Episcopi; 3° Reditus sufficientes (*sufficient income*); 4° Requiritur ut nova Ecclesia praejudicium—v.g. diminutionem oblationum—non afferat aliis Ecclesiis praesertim parochialibus in eodem loco jam erectis, ex generali principio:[2] *Nulla Ecclesia in praejudicium alterius est construenda.*[3]

**911.** *Quaer.* Quid speciatim dicendum quoad novas in hac regione aedificandas Ecclesias?

*Resp.* Concilium Plenarium Baltimorense III. haec habet: "1° Si nova aliqua Ecclesia sit erigenda, vel schola et domus presbyteralis, vel si hujusmodi aedificium notabiliter immutandum sit vel augendum, aut ruinosum diruendum, rectores tale opus non aggrediantur, priusquam Ordinarii licentiam scriptam obtinuerint."[4]

2° "Ad omne praecavendum injustae alienationis periculum, decernimus nulli dehinc presbytero licere, seclusa venia Ordinarii in scriptis data, nomine ac jure proprio retinere sive Ecclesiam, sive scholas, sive domum presbyteralem, sive coe-

[1] De canonica hac erectione, jam egimus supra, n. 231 sq.

[2] Cap. 3, de Eccl. aedif. (iii. 48).

[3] Cap. 1, 4, de novi op. nunt.; De Angelis, l. 3, t. 48. [4] N. 279.

meterium, aut bona alia ecclesiastica, pro quorum acquisitione fideles qualicunque modo contulerint."[1]

3° "Propter semper imminens incendiorum periculum mandamus, ut omnia aedificia ecclesiastica contra damnum ex incendio oriundum, ab uno vel pluribus societatibus 'nomine corporationis vel Ordinarii tempestive assecurentur.'"[2]

## § 2. De Ecclesiis Reparandis.

### (*On Repairing Church Edifices.*)

Sicuti Ecclesiae ad cultum divinum aedificari, ita et conservari et restaurari debent. Indecens enim est locum Deo dicatum ruinis corrui.

**912.** *Quaer.* Quinam ecclesias parochiales reparare debeant?

*Resp.* Standum est locorum consuetudinibus.[3] Seclusis autem hujusmodi consuetudinibus et statutis particularibus, reparandae sunt ecclesiae parochiales (quod etiam de domo parochiali, de ecclesiastica supellectili, etc., est intelligendum) 1° ex fructibus et reditibus ipsarum ecclesiarum (*from the revenues belonging to the churches*) 2° hisce deficientibus, ex reditibus parochi et aliorum qui fructus vel reditus ab ecclesia reparanda percipiunt, deductis tamen quae ad congruam sustentationem requiruntur. 3° Istorum defectu, parochiani ab Episcopo compelli possunt ad reparandam ecclesiam.[5] Quantitas autem pecuniae seu taxa singulis parochianis imponenda ex eorum facultatibus est desumenda. Nemo ab hac taxa se eximere potest. Imo omnes qui bona immobilia, v.g. domos, in parochia possident, licet alibi degant, illam solvere tenentur. Parochiani vero qui pecuniam solvere non valent, ad operas manuales gratuito praestandas cogi possunt.[6] 4° Si autem nullus suppetat modus reparandi ecclesiam, illa converti potest in usus profanos, non sordidos, vel etiam demoliri.

**913.** *Consuetudo in hisce Statibus Foederatis.*—Sicuti in

[1] C. Pl. Balt. III. n. 280.
[2] C. Pl. Balt. III. n. 283.
[3] Ferraris, v. Ecclesia, art. 3, n. 63.
[4] Cap. 1, 4, de eccl. aedif. (iii. 48).
[5] Conc. Trid. sess. 21, cap. 7, de Ref.; Huguenin, n. 696.
[6] Phillips, Comp. § 220; Sanguineti, n. 409.

hac regione novae ecclesiae, domus parochiales, etc., a parochianis aedificantur, ita etiam illae jam aedificatae ab iisdem restaurantur, et quidem per collectas ad offertorium factas, per sedium locationes, etc.

### § 3. Ecclesiarum Consecratio et Benedictio.

(*Consecration and Blessing or Dedication of Churches.*)

**914.** *Quaer.* Utrum ecclesiae et oratoria publica sint benedicenda?

*Resp.* Constructa nova ecclesia non illico idonea est ad cultus divini functiones, sed de praecepto sunt consecranda vel saltem benedicenda, et sic cultui divino addicenda.[1] Dicitur *saltem benedicenda.* Olim obligatoria erat consecratio;[2] hodie vero in subsidium et per viam provisionis adhibetur simplex benedictio (*the blessing of a church*). Apud nos, ecclesiae omnes primum benedici solent; deinde progressu temporis, consecrantur quando ab aere alieno prorsus immunes evaserunt.[3]

**915.** Consecratio ecclesiae, seu solemnis dedicatio (*the consecration of a church*) a solo Episcopo fieri potest,[4] vel a presbytero a Romano Pontifice deputato. Benedictio vero ecclesiae, seu dedicatio quae fit minori cum solemnitate, et absque sacra unctione, sed cum aqua benedicta, per presbyterum ab Episcopo delegatum peragi potest.

### § 4. Immunitas Ecclesiarum.

(*Respect due to Churches.*)

**916.** *Quaer.* Quid sit ecclesiarum immunitas?

*Resp.* Est libertas ecclesiis competens ab omni, quod loci sanctitatem dedecet. Duo complectitur: (*a*) Jus ad singularem honorem et reverentiam;[5] (*b*) jus asyli.

*Quaer.* Quid comprehendat reverentia ecclesiis debita?

*Resp.* Ab ecclesiis arcendi sunt quivis actus non modo peccaminosi, sed etiam actus simpliciter profani et saeculares,

[1] Can. 1, Dist. 1, de Consecr. [2] De Brab. n. 714.
[3] Cf. cap. 8, de Consecr. eccl. (iii. 40).
[4] Cap. 9, de Consecr. eccl. (iii. 40).
[5] Cap. 5, 6, de immunit. eccl. (iii. 49).

quales sunt (*a*) contractus, negotiationes, nundinae; (*b*) profani ludi theatrales, cantus non pietatis causa instituti; (*c*) conciones politicae etc.; (*d*) demum omnia quae vel divinum turbent officia, vel oculos divinae majestatis offendant.

**917.** Hisce addere liceat, quoad hanc regionem, quae serio inculcantur a Concilio Plenario Baltimorensi III. n. 215, 288, 289. Haec immunitas, quae prohibet actus profanos sanctitatem loci dedecentes, lege civili in hac regione protegitur.

**918.** *Quaer.* Quid sit jus asyli?

*Resp. Jus asyli* (*asylum or protection accorded to certain criminals*) est privilegium quo debitores et rei criminum non exceptorum ad ecclesiam confugientes tuti sunt, adeo ut inde violenter extrahi non possint.[1] Leges ecclesiae de jure asyli hodie in plerisque regionibus, ut in nostra, non observantur.[2] In nonnullis vero locis, v.g. in Austria, jus asyli adhuc a civili potestate agnoscitur, in quantum id publica securitas sinat.[3]

**919.** Notandum tamen est, per Const. S. P. Pii IX. *Apost. Sedis*, latam esse excommunicationem ipso facto incurrendam, et Romano Pontifici simpliciter reservatam contra "immunitatem asyli ecclesiastici violare jubentes, aut ausu temerario violantes."[4]

## ART. III.

### DE CAPELLIS ET ORATORIIS.

(*Chapels and Oratories.*)

**920.** *Quaer.* Quid et quotuplicis generis sint oratoria?

*Resp.* 1° Praeter templa sive ecclesias, aliae quoque sunt aedes, quae extraordinario modo sacris deputantur, quaeque oratoria seu capellae vocantur.[5]

2° Duplicis sunt generis: publica et privata. Oratoria publica (*public chapels or oratories*) vocantur illa, quae auctoritate Ordinarii sacris obeundis addicta sunt, et omnibus indiscriminatim aditum praebent. Quapropter ut oratorium

[1] Cap. 6, de Im. Eccl. (iii. 49).
[2] De Brab. n. 723.
[3] Huguenin, n. 700.
[4] C. *Ap. Sedis*, Excom. n. 5.
[5] Sanguineti, n. 420.

stricte dici possit publicum, externo aditu omnibus patere debet; et proinde ingressum seu januam (*the entrance, door*) in via publica habere debet, vel saltem, si intra privatorum domus positum est, liber aditus omnibus permittendus est.[1] Oratoria publica ipsis ecclesiis publicis annumeranda sunt. Quapropter auctoritate Episcopi erigi possunt, sub quibusdam tamen conditionibus, v.g. ut non vergant in praejudicium alterius ecclesiae, praesertim parochialis.[2]

**921.** Oratoria privata (*private, domestic chapels or oratories*) sunt illa quae in privatis domibus eriguntur, et ad privatum dumtaxat usum sunt. Distinguuntur oratoria privata, (*a*) in episcopalia, quae in Episcoporum domibus exstant (*private or domestic chapels of Bishops*); (*b*) in oratoria *religiosa*, idest regularium, ac *pia*, v.g. hospitalium; (*c*) in *domestica* privatarum aedium, quae stricto sensu privata nuncupantur.

**922.** Oratoria episcopalia, religiosa ac pia nuncupantur privata sensu tantum lato. Nam ex peculiari legis dispositione habentur tamquam oratoria publica (*a*) oratoria quae sunt in residentiis Episcoporum et Cardinalium;[3] (*b*) in domibus regularium, non vero monialium, nisi haec oratoria omnibus pateant; (*c*) in seminariis, hospitalibus, orphanotrophiis, etc. In hisce omnibus proinde oratoriis, licitum est missam celebrare. Non autem licet in oratoriis etiam publicis servare SSm. Sacramentum absque indulto S. Sedis.[4]

**923.** Quoad oratoria stricte privata, non licet hodie, excepto casu extraordinario, erigere hujusmodi oratoria, in quibus missae celebrantur, nisi ex indulto Pontificio.[5] Diximus *excepto casu extraordinario;* id est, Episcopus ibi missae celebrationem permittere potest solum quando *magnae* et *urgentes* adsint causae, et per modum *actus* tantum,[6] id est non per modum habitus seu indefinite.

**924.** *Quaer.* Quaenam sint speciales facultates Episcopis

[1] Sanguineti, n. 421. [2] De Brab. n. 726.

[3] Episcopi praeter oratorium in suis aedibus, facultatem habent altaris *portatilis;* scilicet ubicunque morantur in altari portatili sacrum facere possunt. [4] Zitelli, p. 436.

[5] C. Trid. sess. 22, de obser. in celebr. missae.

[6] S. C. C. 20 Dec. 1856; De Brab. n. 740, 741.

nostris concessae permittendi missae celebrationem in domibus seu oratoriis stricte privatis?

*Resp.* Episcopis omnibus hujus regionis a S. Sede ad quinquennium facultates conceduntur permittendi sacerdotibus sibi subjectis "celebrandi sub dio et sub terra, in loco tamen decenti, si aliter celebrari non poterit."[1]

**925.** *Quaer.* Quid notandum sit quoad oratoria privata sororum religiosarum hujus regionis?

*Resp.* S. Pontifex Leo XIII. 1. Aug. 1886, Archiepiscopo et Episcopis provinciae ecclesiasticae Neo-Eboracensi facultatem tribuit ad quinquennium permittendi quisque eorum intra fines dioeceseos suae, ut in oratoriis sororum religiosarum religiosam domum ibidem habentium, dummodo in ea quatuor saltem personae commorentur, asservari valeat SSm Sacramentum, sacrosanctum missae sacrificum saltem semel in hebdomari ibidem celebretur.[2] Idem privilegium aliis ecclesiasticis provinciis v.g. Baltimorensi concessum est.[3]

**926.** Quoad oratoria vero monialium quae solemnia vota et clausuram papalem habent, vide Conc. Trid. sess. 25, cap. 10, de Regular.[4]

## ART. IV.

### DE SEPULTURIS ET COEMETERIIS.

(*Burials and Burying Grounds.*)

**927.** *Quaer.* Quid sit coemeterium catholicum?

*Resp.* Est locus benedictus in quo fidelium corpora sepeliuntur. Initio coemeteria erunt extra urbes (*outside of cities*), juxta leges civiles Romanorum, quae neminem *intra civitates* (*within the limits of cities*) sepeliri permittebant.[5] At vero progressu temporis praesertim post saeculum quartum, cum plures exstructae essent ecclesiae, coemeteria prope ipsas, po-

[1] Facult. Form, I. n. 23, 28; cf. tamen C. Pl. Balt. II. n. 362; Konings, Com. n. 95.

[2] Conc. Prov. Neo-Ebor. IV. p. 90.

[3] Anno 1858, cf. C. Pl. Balt. II. p. 327.

[4] Cf. Santi, l. 3, t. 44, n. 2.

[5] L. 3, ff. de sepulch. viol. (47, 12).

tissimum si parochiales essent (*cemeteries were erected near or around churches, especially parishes*) exstrui coeperunt.[1] Quinimo *in ipsis ecclesiis* (*inside the church-buildings*), fideles sepulturam deinceps habuerunt, non tamen continuo et absque ullo discrimine. Sed primum imperatoribus, Episcopis, presbyteris, et religiosis viris id concessum est; dein serius omnibus indiscriminatim fidelibus.[2] Attamen videtur Ecclesiae mens semper fuisse, ut fidelium corpora non intra ipsas ecclesias, sed in coemeteriis sepeliantur.[3]

**928.** *Quaer.* Quid de benedictione coemeterii?

*Resp.* Sacer omnino debet esse locus, in quo fidelium corpora conduntur. Idcirco ab Episcopo vel presbytero ab Episcopo deputato, solemni ritu benedicenda sunt coemeteria catholica, etiam in hac regione,[4] ita ut corpora defunctorum magis a spiritibus immundis reputentur immunes; et eorum animae suffragiorum Ecclesiae sint participes. Propterea in coemeterio benedicto humari debent illi tantum, qui in Ecclesiae communione ultimum obierunt diem. Ante benedictionem vero oportet coemeterium muro vel sepe circumdari et alta cruce signari.

**929.** *Quaer.* Quibus denegari debeat sepultura in coemeterio catholico?

*Resp.* Vide Rituale Romanum de sepult.; et theologiam moralem.[5]

**930.** *Quaer.* Quid de jure parochi (apud nos, rectoris missionis) circa funeralia, sive sepultura sit parochialis, sive electa, sive gentilitia, etiam apud nos?

*Resp.* Vide supra, n. 780 sq., ubi de jure parochi hac de re egimus.

**931.** *Quaer.* Utrum hac in regione liceat aliquando fidelium corpora in coemeteriis profanis sepeliri?

*Resp.* Affirmative, in casibus et sub conditionibus a Concilio Plenario Baltimorensi II. n. 392, 393, et a Concilio Plen. Balt. III. n. 317, 318, expressis. (Cf. nostrum *Elements*, vol. I. n. 661.)

[1] Arg. l. 3. C. de sacros. Eccl. (i. 2).
[2] Sanguineti, p. 318.
[3] Cf. Rit. Rom. de sepult.
[4] Conc. Pl. Balt. II. p. cl.
[5] Vide etiam cap. 11, 12, 13, 14, 15, de sepult. (iii. 28).

**932.** *Quaer.* Utrum etiam apud nos coemeteria catholica quae a regularibus exemptis reguntur, Episcopo subjaceant?

*Resp.* Summus Pontifex, Leo XIII. Const. *Romanos Pontifices,* 1881, statuit: "Coemeteria et pia loca quae *solis religiosis familiis* reservantur . . ea plane ab Episcopi jurisdictione, proindeque a visitatione exempta sunt; caetera vero fidelium multitudini communia, jurisdictioni Ordinariorum subsunt indubitate, ac propterea optimo jure ab Episcopo visitantur."[1]

**933.** *Quaer.* Quid de crematione dicendum?

*Resp.* 1° Si spectetur *in se,* nihil praesefert intrinsece pravum, imo quandoque posset esse necessaria.[2] 2° At vero longe aliud est, si cremationis (*cremation, the burning of corpses*) instauratio, in praesentibus rerum adjunctis perpendatur. Neque enim aliud est quam unum ex dolendis indiciis succrescentis socialis apostosiae a religione christiana. 3° Proinde merito prohibita est crematio per decretum S. Officii 19 Maii 1886.[3]

**934.** *Quaer.* Quid dicendum de coemeteriis quae in aliquibus locis tum Catholicis tum Acatholicis communia sunt?

*Resp.* In aliquibus Europae regionibus (v.g. in nonnullis locis tum in Italia, tum in Gallia) habentur coemeteria communia municipalia, id est coemeteria, quae ad saecularem potestatem pertinent, et ubi lex civilis indiscriminatim tum Catholicos, tum Acatholicos tumulari jubet. Hujusmodi coemeteria sacris canonibus procul dubio adversantur. Nam neque benedicuntur, neque auctoritati ecclesiasticae subduntur. Attamen ubi existunt, servanda sunt quae in Instr. S. C. de P. F. 16 Apr. 1862 continentur.[4]

**935.** In hisce Statibus Foederatis, lex civilis auctoritatis permittit ut tum Catholici tum Acatholici propria habeant coemeteria, dummodo tamen extra civitates posita sint.

**936.** *Quaer.* Utrum pro loco sepulturae aliquid exigi aut recipi possit?

*Resp.* Concilium Plenarium Baltimorense II. n. 393 statuit: 1° "Pauperes gratis omnino sepeliantur." 2° "Si quis vero

[1] Conc. Pl. Balt. III. p. 221. [2] Sanguineti, Inst. p. 321.

[3] Vide hoc decretum apud Zitelli, Appar. p. 443.

[4] Hanc Instr. habes apud Zitelli, l. c. p. 443; cf. Conc. Pl. Balt. II. n. 391-393; Conc. Pl. Balt. III. n. 317-318.

locum aliquem (*grave or family plot*) in coemeterio sibi in perpetuum reservatum velit, pretium solvi potest." 3° "Ex pecuniis ita comparatis dubium haud est, quin ea habeatur summa, quae coemeteriis servandis, restaurandis et ornandis sufficiat." 4° "Si quid supersit, ad charitatis vel religionis opera promovenda adhibeatur."

## ART. V.

### HOSPITALIA ET LOCA PIA.

(*Hospitals for the Sick, and other Charitable Institutions.*)

**937.** *Quaer.* Quid sint hospitalia?

*Resp.* 1° Inter res ecclesiasticas, *hospitalia* (*hospitals, asylums, etc.*) quoque, ac generatim ea quae dicuntur *loca pia* (*charitable institutions*), jure recensentur. Hospitalium nomine generatim ea omnia loca intelliguntur, in quibus publico modo exercitium christianae charitatis erga miseros quoscunque exhibetur, quaeque pia loca inde nuncupantur.

2° Pro multiplici miseria, diversis nominibus designantur, veluti *xenodochia* hospitibus suscipiendis (*gratuitous lodging-houses for strangers and travellers*); *orphanotrophia*, educandis orphanis (*orphan asylums*); *brephotrophia*, nutriendis infantibus (*foundling asylums*); *gerontocomia*, senibus alendis (*homes for the aged*); *ptochotrophia*, pauperibus sustentandis (*houses for the poor, poor-houses*); *nosocomia*, aegrotis curandis destinata (*hospitals for the sick*).

**938.** *Quaer.* Quae sit hospitalium origo?

*Resp.* Summa semper fuit Ecclesiae cura in egenis et infirmis fovendis. Prioribus saeculis, christiani et imprimis Episcopi excolebant opera misericordiae in proximum. Verum post pacem Ecclesiae datam, publica charitatis loca exstructa sunt. Omnia fere hospitalia olim ab Ecclesia instituta et administrata fuerunt.[1]

**939.** *Quaer.* Quomodo distinguantur hospitalia?

*Resp.* 1° Sunt vel ecclesiastica vel laicalia. *Ecclesiastica* ea sunt quae Episcopi auctoritate eriguntur, quae vero aliter erecta fuerunt *laicalia* sunt (*lay or secular institutions of a charitable character*).

[1] Huguenin, n 641; De Brab. n. 869.

2° Hospitalia ecclesiastica praecipue subdividuntur in *exempta* et *non exempta*, prout eximuntur ab Episcopi jurisdictione, v.g. ex lege fundationis, ex indulto S. Sedis, ex consuetudine, vel non ita sunt exempta.[1]

**940.** *Quaer.* Quae sit Episcopi auctoritas in hospitalia?

*Resp.* 1° Distinguendum est inter jurisdictionem relate ad ea quae spectant ad sacramentorum administrationem, curam animarum, etc., et jurisdictionem circa bona temporalia, eorumque administrationem, et relate ad haec iterum distingui debet inter jurisdictionem ordinariam, et jurisdictionem Episcopis ab Apostolica Sede delegatam.

2° Quoad jurisdictionem in iis quae spiritualia sunt, semper et in omnibus viget Episcopalis potestas, in omnia loca pia quaecunque, nisi speciali privilegio Apostolico sint omnino ab Ordinarii jurisdictione et visitatione exempta.

3° Quod vero pertinet ad bona temporalia, Episcopi jus etiam habent visitandi omnia loca pia et exigendi rationem ab administratoribus, sive in visitatione, sive extra eam.[2] Id autem Episcopi faciunt auctoritate propria, relate ad ea loca pia quae exempta non sunt; et tanquam Sedis Apostolicae delegati relate ad ea quae sunt exempta.[3]

4° Haec principia etiam in hisce Statibus Foederatis vim obtinent, uti constat ex Constitutione nunquam satis laudata S. Pontificis Leonis XIII. *Romanos Pontifices,* 1881, § *Officium.*

**941.** Denique notandum, ex lege nostra civili, omnia hospitalia seu loca pia, sive ad municipium, sive ad Ecclesiam Catholicam, sive ad aliquam sectam pertineant, in pluribus Statibus immunia esse a taxis publicis (*exempt from taxation*).

## ART. VI.

### DE MONASTERIIS ET ECCLESIIS REGULARIUM.

(*Convents and Churches of Regulars.*)

Temporalibus Ecclesiae rebus accensenda sunt etiam monasteria.

[1] Huguenin, l. c. n. 642. [2] Sanguineti, n. 516.

[3] Conc. Trid. sess. 22, cap. 8, 9, de Ref.; Cf. Clem. c. 2, de relig. dom. (iii. 11).

**942.** *Quaer.* Quid hic veniat nomine monasterii?

*Resp.* 1° Monasteria hic considerantur dumtaxat quoad partem eorum *materialem* (*the edifice*), nempe quoad ipsas aedes locaque iisdem adnexa, in quibus regulares morantur. De regularibus jam satis diximus. Monasterium sub hac ratione spectatum definitur: Locus ubi plures homines vitam agunt communem ad cujusdam piae regulae praescriptum.[1]

2° Monasterium aut est (*a*) virorum vel mulierum solemnia vota emittentium; (*b*) aut virorum vel mulierum cum votis tantum simplicibus aut absque ullis votis.

**943.** *Quaer.* Quaenam ad novi monasterii canonicam erectionem requirantur, etiam apud nos?

*Resp.* 1° Quando agitur de erigendo novo monasterio *virorum* cum votis solemnibus, observandae sunt constitutiones Innocentii X. *Instaurandae,* Urbani VIII. *Romanus Pontifex,* Clementis VII. *Quoniam,* Gregorii XV. *Cum alias.* Ex hisce constitutionibus requiritur: 1° Beneplacitum Apostolicum saltem intra Italiam (*the permission of the Holy See*); 2° venia Ordinarii. Caeteras vero conditiones jam supra expendimus, n. 829 sq.

**944.** 2° Dicitur *saltem intra Italiam;* nam sunt auctores qui contendunt hoc beneplacitum Apostolicum non requiri extra Italiam. Ast hodie, ex S. Sedis praxi, beneplacitum hoc etiam extra Italiam omnino requiritur.[2] Ita tenendum etiam quoad hanc regionem, uti patet ex Const. *Romanos Pontifices* 8 Maii 1881, SSmi. D. N. Leonis XIII., nunc ad hosce Foederatos Status extensa, ubi legimus: "Sodalibus religiosis novas sibi sedes constituere, erigendo novas ecclesias, aperiendove coenobia, collegia, scholas, nisi obtenta prius expressa licentia Ordinarii loci et Sedis Apostolicae, non licere."[3]

**945.** 3° Diximus *virorum cum votis solemnibus.* Nam licentia S. Sedis, uti supra vidimus (n. 829) non requiritur quoad Congregationes sive virorum sive mulierum quae aut nulla aut simplicia tantum habent vota. Necessaria autem est haec venia, ex hodierna S. Sedis praxi, pro conventibus monialium cum votis solemnibus.

[1] Sanguineti, n. 519. [2] Sanguineti, n. 521.
[3] Const. cit. § Quum res; Conc. Pl. Balt. III. n. 89, et p. 224.

**946.** *Quaer.* Quid speciatim dicendum de erectione novi monasterii in hisce Statibus?

*Resp.* Vide Concilium Plenarium Baltimorense II. n. 407, 408

**947.** *Quaer.* Quid de ecclesiis regularium?

*Resp.* Praenotandum: 1° Non agitur hic de capellis seu ecclesiis quae solum regularium ipsorum usui inserviunt, verum de ecclesiis quae sunt *curata,* id est, quae curam habent adnexam animarum, maxime si sint paroeciales, quaequae unitae vel incorporatae sunt monasteriis (*churches attached to convents*).

**948.** 2° Triplex distinguitur unio seu incorporatio: (*a*) quoad temporalia tantum; (*b*) pleno jure; (*c*) plenissimo jure. *Primo* modo censentur unitae Ecclesiae curatae alicui monasterio, quando bona temporalia ei sunt assignata, et monasterium jure gaudet praesentandi sacerdotem saecularem, sed jus *instituendi* pertinet ad Episcopum. *Secundo* modo, quando etiam administratio spiritualium, seu cura animarum in monasterium est translata. *Tertio* modo, quando monasterii praelatus habet territorium separatum et jurisdictionem quasi-episcopalem tum in regulares, tum in clericos saeculares, tum in laicos.

**949.** Hisce praemissis, sic respondeo: quando unio est primo et secundo modo, retinet Episcopus jurisdictionem in iis quae spectant curam animarum.[1] Quando vero est tertio modo, nullum jus habet Episcopus.[2]

**950.** *Quaer.* Quid speciatim dicendum de ecclesiis regularium in hac regione?

*Resp.* 1° In hisce Statibus Foedere junctis, nulla existunt monasteria quibus Ecclesiae curatae (*missions, congregations*) sunt unitae sive plenissimo jure, sive quoad temporalia tantum. Verum non pauca adsunt, in hac regione, monasteria seu domus religiosae quibus secundo modo, missiones seu ecclesiae paroeciales sunt adnexae vel incorporatae. In hisce unionibus, praeter jus commune, servari debent etiam pacta particularia Episcopum inter et regulares forte inita.[3]

[1] Cap. 1, de Cap. mon. (iii. 37). [2] Sang. n. 529.
[3] Conc. Pl. Balt. II. n. 407, 408; Conc. Pl. Balt. III. n. 88.

2° "Consultorum requiretur consilium, quando id agetur, ut missio seu parochia tradatur alicui familiae religiosae; quo in casu necessaria erit etiam venia S. Sedis."[1]

## ART. VII.

### DE UNIVERSITATIBUS CATHOLICIS.

(*Catholic Universities.*)

**951.** *Quaer.* Quomodo distinguantur scholae catholicae, etiam apud nos?

*Resp.* Inter bona ecclesiastica scholae catholicae etiam recensentur. Dividuntur catholicae scholae (*catholic schools*) (*a*) in scholas primarias seu parochiales (*primary, rudimentary or parochial schools*),[2] (*b*) in scholas superiores (*higher schools colleges, academies*),[3] (*c*) in universitates (*universities*) (*d*) et in seminaria clericorum, seu scholas pro solis clericis educandis institutas.[4] De solis universitatibus hic loquemur.

**952.** *Quaer.* Quid sint universitates?

*Resp.* Sunt scholae auctoritate publica institutae ad docendum omnes scientias erga omnes. Si universitas auctoritate ecclesiastica instituatur, ecclesiastica est; si vero civili, civilis est; si ab utraque, tunc est mixta.[5]

**953.** *Quaer.* Quodnam sit regimen universitatum in genere?

*Resp.* Singulae universitates sua peculiaria habent statuta. Quaedam tamen omnibus sunt communia, quae paucis exponere necesse est.[6] Itaque 1° in quavis universitate numeris omnibus absoluta, scientiae in plures facultates, seu in varias disciplinas a se invicem distinctas, distributae sunt. Sunt praesertim facultates (*the faculties or departments*) litterarum, philosophiae, theologiae, juris canonici et civilis, medico-chirurgiae, etc. Singulae vero facultates tot habent cathedras (*professors' chairs*) quot variis scientiae partibus sufficere pos-

[1] Conc. Pl. Balt. III. n. 20.

[2] De his, vide Conc. Pl. Balt. III. n. 194 sq.

[3] Conc. Pl. Balt. III. n. 208 sq. [4] Vide supra, n. 918 sq.

[5] Craiss. Man. n. 2130.

[6] Cf. cap. 1, 2, de Mag. (v. 1); cap. 1, 2, de Mag. et doct. in 7° (iii. 5).

sint; v.g. facultas theologiae complectitur studium philologiae sacrae, S. Scripturae, theologiae dogmaticae et moralis, historiae ecclesiasticae.

**954.** 2° Universitati praeest cancellarius (*chancellor of the university*), aut rector. Singulis facultatibus praesunt decani. Per litteras Apostolicas *Quod divina sapientia,* 1824, Leo XII. statuit praesidem Romanae universitatis esse Archicancellarium, qui titulus Cardinali Camerario collatus est; et Cancellarium aliarum universitatum in ditione Pontificia esse Archiepiscopum vel Episcopum dioecesis ubi exstat universitas.

**955.** 3° Cancellarius optimo universitatis regimini invigilat et operam dat ut constitutiones et regulae serventur. Pollet jurisdictione vi cujus animadvertere potest in eos qui intra universitatis fines delicta commiserint. Praeest electioni professorum, etc. 4° Praeter cancellarium existit in unaquaque universitate rector (*the rector*), cujus munus est providere ne disciplina a professoribus, auditoribus, etc., servanda, violetur. Si cancellarius absit vel impediatur, illius vices gerit cum eadem auctoritate.

**956.** 5° Unicuique facultati praeest decanus (*dean of the faculty*), qui cum suae facultatis collegio, ea curat quae ad regimen, decus, etc., facultatis conducunt; examina instituit; suffragia fert in eligendis professoribus, etc. 6° Professores eligi solent per concursum (*by competitive examinations*), inter eos qui laurea doctorali donati sunt in ea disciplina quam tradere debent. 7° Gradus (*degrees*) qui in universitate conferuntur, tres numerantur: (*a*) baccalaureatus (*degree of bachelor*); (*b*) licentia (*degree of licentiate*), (*c*) et doctoratus (*degree of doctor*). Potestas conferendi gradus theologiae et juris canonici pertinet ad Romanum Pontificem qui eam universitatibus delegat.[1]

**957.** *Quaer.* Quid de universitate in hisce Statibus nuper instituta prope civitatem Washington?

*Resp.* Illius regimen generale supradictis regulis congruit. Sub jurisdictione totius Episcopatus nostri est constituta; cancellarium habet Archiepiscopum Baltimorensem, in cujus

[1] Huguenin, n. 637.

dioecesi sita est. Illius constitutiones et statuta a S. Sede recognita sunt. Cf. Conc. Pl. Balt. II. n. 447 sq.; Conc. Pl. Balt. III. n. 182 sq.

# CAPUT II.

## BONA ECCLESIASTICA AD CLERICOS SUSTENTANDOS ASSIGNATA, ETIAM APUD NOS.

(*Ecclesiastical Property set Apart for the Support of Ecclesiastics, also in this Country.*)

**958.** Ad bona Ecclesiae temporalia ea quoque referenda sunt quae clericorum sustentationi inserviunt. Porro emolumenta, obventiones et reditus quibus clerici (*ecclesiastics*) fruuntur, ut honeste ac decenter vivant, (*a*) vel ad Episcopos, (*b*) vel ad clericos Episcopo inferiores pertinent.

## ART. I.

### EMOLUMENTA EPISCOPORUM PROPRIA.

(*Income of Bishops.*)

**959.** Emolumenta quae Episcopis sunt propria, triplicis sunt generis, nempe (*a*) census (*ordinary income*), (*b*) exactiones (*extraordinary revenue*), (*c*) procurationes (*hospitality on occasion of Episcopal Visitation*).[1]

**960.** *Quaer.* Quid et quotuplicis generis sint census etiam apud nos?

*Resp.* 1° Generaliter accipi solet census pro omni eo quod annuatim alteri solvitur. Prout hic spectatur, census est pensio quae singulis annis vel saltem statis temporibus Episcopo solvitur. Ac proinde census nomine hic intelligitur omnis *taxa ordinaria* pro Episcopo.[2] Procuratio inter taxas ordinarias recensetur.

2° Dividitur census seu taxa ordinaria pro Episcopo in *antiquum* et *novum*. Census autem sive antiquus sive novus, esse potest vel *perpetuus*, vel *temporalis*. Vide supra, n. 632 sq.

[1] Decr. libr. 3, t. 39.
[2] Walter, K. R. § 190 sq.; Permaneder, K. R. § 208 sq.

3° Census seu taxae ordinariae antiquae, quae hodie adhuc vigent etiam in hac regione sunt: (*a*) cathedraticum; (*b*) taxae cancellariae Episcopalis; (*c*) et procuratio, quas omnes vide explicatas supra, n. 636 sq.

**961.** *Quaer.* Quid sint exactiones?

*Resp.* Exactionum (*assessments*) nomine hic intelliguntur omnes taxae extraordinariae pro Episcopo. Vocantur in jure subsidia charitativa, de quibus vide supra, n. 639 sq.

**962.** *Quaer.* Utrum praeter emolumenta supradicta Episcopi reditus habere possint qui clericis inferioribus sunt communes?

*Resp.* Affirmative. Tales sunt (*a*) *reditus beneficii* (*the income of an office*); nam et Episcopi possunt esse alicujus ecclesiae seu paroeciae rectores principales et habituales et sic illius percipere reditus in propriam sustentationem; (*b*) *pensiones* (*pensions or annual allowances*); siquidem Episcopi, non secus ac clerici inferiores, officium suum resignare possunt, retenta annua pensione ex reditibus mensae episcopalis.

**963.** Denique notandum, bona omnia quae ad Episcopi sustentationem deputata sunt, vocari mensam episcopalem (*the Bishop's table*), quia pars principalis sustentationis est in mensa (*in board, food and lodging*).[1]

**964.** *Quaer.* Quanam ratione imponantur in hisce Statibus Foederatis taxae sive ordinariae sive extraordinariae pro Episcopo?

*Resp.* Diversus est modus in diversis dioecesibus. Olim omnes taxae sive ordinariae sive extraordinariae, sive pro Episcopo, sive pro seminario, sive pro aliis causis piis, per collectas in singulis paroeciis seu missionibus faciendas, et proinde per modum spontaneae oblationis, impositae fuerunt. Modus hic in multis dioecesibus adhuc obtinet. Verum in aliis dioecesibus, fixa summa, et proinde determinata taxa jam singulis imponitur ecclesiis, sive pro cathedratico, sive pro seminario, sive etiam pro aliis necessitatibus.

**965.** Denique commemorare hic liceat duas collectas, quae in omnibus hisce Statibus quotannis fiunt: 1° *Collecta pro S. Pontifice,* quae fieri debet in Dominica infra octavam festi SS.

[1] **De Brab. n. 945; Prael. S. Sulp. n. 640.**

Petri et Pauli.[1] Sane justa et opportuna est haec collecta; tum quia est signum devotionis filialis erga Patrem communem, tum quia protestatio est contra iniquissimam Patrimonii Petri spoliationem. 2° *Altera collecta pro juvandis Indorum et Nigrorum missionibus* (*indians and negroes*), apud nos, tum etiam pro societate pii operis de Propagatione Fidei. Collecta haec prima Quadragesimae Dominica fieri debet.[2]

## ART. II.

### BONA ECCLESIASTICA CLERICIS EPISCOPO INFERIORIBUS ASSIGNATA.

(*Ecclesiastical Property or Income set Apart for the Support of Ecclesiastics Inferior to Bishops.*)

Praecipuae horum bonorum species sunt decimae, primitive, oblationes, fundationes, reditus officii seu beneficii, etc. De his pauca singillatim dicemus.

### § 1. DECIMAE ET PRIMITIAE.

(*Tithes and First Fruits.*)

**966.** *Quaer.* Quid et quotuplicis generis sint decimae?

*Resp.* 1° Sunt certa pars fructuum vel lucri. Dicitur *certa pars,* non decima pars (*the tenth part*); nam interdum major est, interdum minor, ob diversam locorum consuetudinem. Dicitur etiam *fructuum* vel *lucri;* quia ex fructibus praediorum (*the produce of land or farms*), vel ex lucro industriae,—v.g. ex negotiatione—persolvuntur.

2° Unde praecipua decimarum divisio est in *praediales* (*the tenth part of the produce of lands*),[3] et *personales* (*tenth part of the income of one's trade, profession, etc.*) Praediales iterum distinguuntur in (*a*) *antiquas,* seu illas quae ex fructibus praedii quod jam antea colebatur, obtinentur (*tithes of land cultivated of old*); (*b*) et *novales,* seu illas quae ex praediis de novo ad culturam redactis—v g. si palude exsiccata agri fiant—solvuntur (*tithes of land cultivated for the first time*).[4]

[1] Conc. Pl. Balt. II. n. 48.
[2] Conc. Pl. Balt. III. n. 243.
[3] Cap. 1, 4, 5, 6, de Dec. (iii. 30).
[4] Cap. 12, 13, de Dec (iii. 30).

3° Decimae fere ubique in desuetudinem hodie abierunt.[1] In hac regione nunquam in usu fuerunt. Proinde de illis distinctius hic agere, supervacaneum est.

**967.** *Quaer.* Quid sint primitiae?

*Resp.* Ad quamdam decimarum praedialium speciem primitiae frugum (*the first fruits*) revocantur. Sunt enim primitiae, non quilibet, sed *primi* fructus agrorum.[2] Fere ubique in desuetudinem abierunt.

**968.** *Quaer.* Cuinam decimae et primitiae, ubi adhuc vigent, solvendae sint?

*Resp.* Clericis spiritualia populo ministrantibus. Et sane ipsa ratio naturalis dictat has oblationes ad illum pertinere, cui ex officio onus incumbit sacramenta et alia spiritualia fidelibus ministrandi. Hinc suo parocho regulariter a parochianis solvendae sunt.[3]

## § 2. Oblationes Fidelium.
(*Offerings or Gifts of the Faithful.*)

**969.** *Quaer.* Quid sint oblationes?

*Resp.* Oblationes (*offerings*) prout ecclesiastica lege a primitiis, decimis et reditibus beneficii discriminantur, sunt omnia bona mobilia, quae a fidelibus offeruntur praesertim occasione sacrarum functionum, in usum Ecclesiae aut sacrorum ministrorum. Loquemur tantum de iis oblationibus quae hodiedum in usu sunt.

**970.** *Quaer.* Quotuplicis species sint ex hodierno jure oblationes, etiam apud nos?

*Resp.* I. *Honoraria missarum* (*stipends or intentions of masses*). Apud nos stipendium hoc est generatim unum scutatum ($1.00) pro missa privata; ad celebrantem pertinet.

**971.** II. *Jura stolae* (*perquisites*), id est honoraria quae occasione baptismi, matrimonii, funeralium, etc., in recognitionem jurisdictionis parochialis, et pro rectoris sustentatione a fidelibus funduntur. Olim hujusmodi stipes erunt spontanea largitio, quae deinde in laudabilem consuetudinem abiit. Quapropter Innocentius III. (anno 1216) statuit fideles ad

[1] Sanguineti. n. 448.
[2] Cap. 1, de Dec. prim. (iii. 30).
[3] Santi, l. 3, t. 30, n. 9.

consuetas oblationes teneri, quin etiam ab Episcopo cogi posse, si offerre detrectaverunt.[1] Parochi vero vitare debent ne quidquam a pauperibus reciperent, eoque minus exigerent. Haec jura stolae de jure communi ad parochum pertinent.[2] Quoad rectores nostros, vide Conc. Pl. Balt. II. n. 94; supra, n. 777, et nostrum *Elements*, vol. I. n. 606.

**972.** III. Denique oblationes seu pecuniae aliaque munera quae fideles donant (*a*) in collectis intra missam ad offertorium (*plate collections*) pro cultu publico, (*b*) vel in arculis seu capsulis ecclesiarum (*v.g. poor-boxes, altar-boxes*); (*c*) pecuniae quae dantur pro locatione vel usu sedium (*pew rents*); (*d*) pecunia Ecclesiae assignata ex redditibus funeralibus ob luminaria, sedes, ornatum, cenotaphia, etc., quae occasione funeris, ecclesia subministrat;[3] (*e*) insuper apud nos, pecuniae quae comparantur ex festivitatibus, quae vulgo *pic-nics, excursions, fairs, concerts,* etc., vocantur.[4] Ad ecclesiam, sive ad fabricam pertinent, etiam apud nos,[5] hae oblationes, idque tum vi consuetudinis generalis, tum praesumptae fidelium intentionis.

## § 3. Fundationes.

(*Pious Foundations.*)

### I. Notio Fundationis.

(*Correct Idea of Foundations.*)

**973.** *Quaer.* Quid sint fundationes?

*Resp.* Sunt donationes, sive inter vivos, sive per testamentum, factae loco vel instituto ecclesiastico, sub conditione celebrandi missas, anniversaria, vel alia officia spiritualia, in per-

[1] Cap. 42, de Sim. (v. 3).

[2] Quoad hanc taxam in hisce regionibus, vide Conc. Pl. Balt. III. n. 294. Generatim pro missa exequiali cantata solvuntur a fidelibus quindecim scutata ($15.00); pro missa solemni exequiali, viginti-quinque ($25.00) vel etiam quinquaginta ($50.00); pro baptismo tria scutata ($3.00); pro matrimonio decem scutata ($10.00).

[3] De Brab. n. 883.

[4] Cf. Conc. Pl. Balt. II. n. 396; Conc. Pl. Balt. III. n. 290, 291.

[5] Leo XIII. Const. *Romanos Pontifices,* 1881, § Tandem; Conc. Pl. Balt. III. pp. 48, 225, 230.

petuum vel in diuturnum tempus praefinitum.[1] In eo praecipue ab oblationibus differunt, quod fundationum onera in perpetuum vel saltem ad longum tempus persolvenda sunt, dum oblationes fiunt occasione operis ad praesens, aut per breve tempus peragendi.[2] Patet proinde fundationes inter bona clericorum merito recenseri.

**974.** *Quaer.* Utrum et a quo acceptari debeant fundationes, etiam apud nos?

*Resp.* 1° Ad fundationem canonice erigendam, requiritur ut acceptetur ab iis quorum interest, scilicet a parocho vel ab administratoribus ecclesiae seu instituti religiosi vel pii, cui res sub onere donatur. Etenim fundatio induit naturam contractus. Atqui contractus mutuo consensu offerentis et acceptantis perficitur.[3]

**975.** 2° Requiritur insuper, etiam in hac regione,[4] consensus Episcopi, vel Superioris regularis si agitur de fundatione pro instituto regulari. Ad hos enim officium spectat invigilandi ut onerum implementum in tuto collocetur; ut reditus fundationis oneribus adjectis respondeant; et ut pia legata debitae executioni mandentur.[5] Si fundatio autem fiat per testamentum, Episcopus legatum respuere nequit, quia ejusmodi repudiatio alienationi aequivalet. Sed si oneribus non respondeant reditus, reductio a S. Sede peti debet.[6]

### II. Executio Fundationum.

(*Execution or Fulfilment of Pious Foundations.*)

**976.** *Quaer.* Quid de executione fundationum, etiam apud nos?

*Resp.* Regulas canonicas de implendis oneribus fundationum ediderunt Urbanus VIII. Const. *Cum saepe contingat,* Innocentius XII. Const. *Nuper a Congregatione,* 21 Dec. 1699. Earum haec est summa. 1° Episcopis praesertim cura incumbit fundationum executionem promovendi.[7]

[1] De Brab. n. 885.
[2] Huguenin, n. 747.
[3] Huguenin, n. 748.
[4] Conc. Pl. Balt. II. n. 370.
[5] Bened. XIV. De Syn. l. 13, c. ult. n. 1–3.
[6] De Brab. n. 889.
[7] Conc. Trid. sess. 22, c. 8, de Ref.; sess. 25, c. 4, de Ref.

2° Curandum est ut bona pro fundatione assignata fiant et maneant frugifera. 3° Oneribus fundationum satisfaciendum est juxta fundatoris voluntatem, quoad numerum, tempus, locum et solemnitatem v.g. missarum. 4° Ne fundationum onera (*the conditions imposed in the legacy or foundations*) negligantur aut oblivioni tradantur, in singulis ecclesiis saecularibus ac regularibus, etiam apud nos,[1] conficienda est tabella seu catalogus onerum quae ipsis per fundationem imposita sunt.[2]

### III. Cessatio et Reductio Fundationum.

(*Extinction and Diminution of Foundations.*)

**977.** Incredibili zelo semper advigilavit S. Sedes, ne pia fundatorum vota fraudentur. Cum tamen aliquando evenire possit, reditibus ex toto vel ex parte deperditis, ut conditiones contractus seu fundationis jam difficiles vel impossibiles sint servatu, possunt quandoque pia opera vel cessari, vel imminui et reduci.[3]

**978.** *Quaer.* Quomodo (*a*) cessent omnino, (*b*) et imminuantur onera fundationum, etiam in hac regione?

*Resp.* 1° Penitus cessant, si reditus pro iis assignati perierint, nisi ex causa culpabili amissio contigerit. 2° Si reditus vero imminuti fuerint, tunc onera—v.g. missae—ad minorem numerum reduci possunt per S. Pontificem. Nonobstante Concilio Trid. sess. 25, cap. 4, de Ref., Episcopis, etiam apud nos,[4] hodie nulla relicta est facultas hujusmodi onera reducendi, nisi ad id speciale habent indultum a S. Sede.[5]

**979.** Reductioni onerum pro futuro accedit condonatio seu absolutio pro praeterito, qua S. Pontifex aliquando onera quae impleta non fuerunt, condonat, sive simpliciter sive sub certis conditionibus.

## § 4. Reditus Officii Ecclesiastici seu Beneficii.

(*Income derived from one's Ecclesiastical Office.*)

**980.** Jam ad eam considerandam ecclesiasticae possessionis speciem quae ecclesiasticis viris ex suis officiis seu uti di-

[1] Conc. Pl. Balt. II. n. 371.
[2] Huguenin, n. 750.
[3] De fundationibus apud nos, vide nostrum *Elements*, vol. I. n. 595, 596.
[4] Conc. Pl. Balt. II. p. 319.
[5] Bened. XIV. De Syn. l. 13, cap. ult. n. 17.

cunt beneficiis obveniunt. Et sane aequum omnino et justum est, ut qui alicujus officii munera et onera adimplet, etiam de hujus officii reditibus honestam et congruam recipiat sustentationem. Hinc Apostolus ait:[1] "Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt edunt: et qui altari deserviunt, cum altari participant. Ita et Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de evangelio vivere."

**981.** Quapropter clericis semper jus fuit, propter ecclesiasticum officium, de altari vivere. Modus autem quo clericus ecclesiasticis bonis frui debet, ad disciplinam pertinet, quae non eadem omni aetate est. In primis Ecclesiae saeculis, quaecunque ad Ecclesiam pertinebant bona temporalia, unicam veluti massam seu cumulum (*a common fund*) efformabant. Ex hac bonorum quantitate quatuor fiebant partes, quarum prima Episcopo, altera clericis, pro cujusque gradu et officio, tertia egenis et pauperibus, quarta denique ecclesiarum seu sacrarum aedium conservationi, ac cultui divino deputabantur.

**982.** Lapsu vero temporum et natura rei id postulante, disciplina invaluit, ut singulae parochiales ecclesiae et instituta ecclesiastica sua propria bona, sive mobilia sive immobilia possiderent et administrarent. Bona autem singulis ecclesiis propria, in duas praecipue portiones dividebantur: una portio ad clericorum sustentationem deputabatur, et ideo reditus beneficii (*income of office, revenue set apart for the support of the rector*), vel simpliciter beneficium vocabatur. Altera portio ad cultus decorem, sacrarum aedium reparationem etc., destinabatur, et proinde reditus fabricae, seu simpliciter fabrica ecclesiae appellabatur (*the revenue set apart for repairing the buildings, etc.*).

**983.** Haec disciplina, quae hodie adhuc viget, citius obtinuit pro iis clericis qui extra urbes, ruricolas inter, sacra obibant ministeria. Certe saeculo IX., omnis ruralis Ecclesia seu parochia suas proprias decimas et fundos obtinebat.[2] Urbanae quoque parochiae eamdem disciplinam saeculo XI. acceperunt.

**984.** Ex hac conjunctione uniuscujusque ecclesiastici officii cum ea quantitate bonorum temporalium quae ad clerici eo fungentis, sustentationem ordinatur, veri beneficii ecclesias-

[1] I. Cor. ix. 13, 14. [2] Can. 25, c. 23, q. 8.

tici idea exurgit. Beneficium enim ex utroque elemento, scilicet tum officio, tum bonis ei adnexis, coalescit. De officiis ipsis, eorumque erectione, collatione, divisione, etc., jam supra (n. 231 sq.) actum est. Remanet proinde ut hic breviter pro more de *fructibus* seu *reditibus* officiorum disseramus. Hi autem reditus vocantur etiam simpliciter beneficium ecclesiasticum (*ecclesiastical income or benefice*).

**985.** *Quaer.* Quid igitur sit beneficium ecclesiasticum?

*Resp.* Est perpetuum jus percipiendi fructus seu reditus de bonis ecclesiasticis, propter officium ecclesiasticum, ecclesiastica auctoritate constitutum. Definitio haec nobis exhibet ea elementa quibus ecclesiastici officii seu beneficii natura accurate determinatur. Sunt autem: erectio canonica, perpetuitas, officium spirituale, congrua sustentatio.

**986.** *Quaer.* Quae igitur requirantur conditiones ad beneficii constitutionem?

*Resp.* 1° *Erectio canonica* (*canonical establishment*).—Requiritur enim ut officium seu beneficium sit auctoritate ecclesiastica rite constitutum; id est, ab Episcopo quoad beneficia minora; et a S. Pontifice, quoad majora.

2° *Perpetuitas* (*permanency*).—Et sane officii seu beneficii possessio, perpetuo, id est, quoad vitam ipsius beneficiati, perdurat; adeo ut, nisi vel ipse sponte dimittat officium, vel ob causas in jure statutas eo privetur, in ejus possessione permaneat, ejusque reditus percipiat.[1]

3° *Officium spirituale* (*spiritual duties or office*).—Reditus enim dantur propter officium. Non enim clericos otiosos et nihil agentes, ex ecclesiae alicujus aerario seu reditibus vivere oportet. Justum enim est ut solum ii de altari vivant, qui altari deserviunt.[2]

4° *Congrua sustentatio* (*proper support*) ex reditibus alicujus ecclesiae, seu instituti ecclesiastici. Reditus autem isti provenire possunt etiam ex bonis mobilibus.[3] Plerumque autem reditus officii proveniunt ex bonis immobilibus. Requiritur autem ut bona, sive mobilia, sive immobilia,

[1] Sanguineti, p. 353.
[2] Levit. x. 12; cap. 16, de Praeb.; Ferrari, Summa, n. 470.
[3] S. Poenit. 9 Januarii, 1823; Graudclaude, l. 3, t. 5.

sint certa, stabilia et frugifera.[1] Proinde reditus beneficii consistere possunt, non solum in fructibus agrorum (*produce of lands*), sed etiam in chartis fenerantibus (*bonds and mortgages and other papers bearing interest*), et generatim in pecuniis quae adinstar annui stipendii beneficiariis tribuuntur.[2]

**987.** Quare videtur reditus nostrarum missionum—v.g. collectas ad offertorium factas, locationes sedium, etc.—recte beneficii reditibus aequiparari posse. Nam, quamvis hi reditus proveniant, saltem ex magna parte, ex spontanea fidelium liberalitate, nihilominus sunt reditus certi, stabiles et sufficientes imo abundantes. Ex hisce autem reditibus solvitur, apud nos, salarium annuum tum rectoris, tum ejus adjutorum. Proinde hoc salarium annuum—quod in nonnullis dioecesibus pro rectore est scutata mille ($1000.00), et pro singulis adjutoribus sex centum scutata ($600.00), adinstar reditus beneficii haberi debet. Nam beneficii reditus nihil aliud sunt, quam reditus annui quos rector seu clericus ex bonis suae ecclesiae vel beneficii seu officii percipit, propter officium spirituale ab eo rite et debite adimpletum.[3]

**988.** *Quaer.* Quid statuant sacri canones, etiam hodie vigentes, circa reditus officii ecclesiastici?

*Resp.* Omne officium ecclesiasticum (*every ecclesiastical office*), et proinde etiam singulae ecclesiae parochiales, reditus debent habere adnexos, et quidem sufficientes, certos et stabiles, pro rectoris seu beneficiati congrua ac decenti sustentatione. Sine hujusmodi emolumentis seu reditibus, nec novum officium ecclesiasticum erigendum est, nec erectum conferendum.[4]

**989.** Principium hoc nostris etiam Statibus sic applicatur a Concilio Plenario Baltimorensi II. n. 108: "Monemus omnes sacerdotes . . . ut non detrectent vacare cuilibet missioni ab Episcopo designatae, si Episcopus judicet *sufficiens ad vitae decentem sustentationem subsidium illic haberi posse.*"

**990.** *Quaer.* Quid dicendum quoad quantitatem reditus officii?

*Resp.* 1° Constat Ecclesiam semper omni opera contendisse, ut ex reditibus officii seu ecclesiae suae, clericus sustentationem statui convenientem haberet. Unde hi reditus vocantur

[1] Comp. Llevaneras, p. 326.
[2] Phillips, Comp. § 214.
[3] A Llevaner. Comp. p. 328.
[4] Cap. 30, de Praeb. (iii. 5).

portio *congrua*, sustentatio *congrua*, vel simpliciter *congrua* (*becoming support, income suitable to the ecclesiastical state*).

2° Quanti congrua esse debeat, generali regula determinari haud potest, sed ex dignitate et muneribus officii, ex locorum et temporum circumstantiis dimetiendum est,[1] et quidem quoad officia majora, v.g. episcopatus, a Romano Pontifice, quoad inferiora vero, v.g. officium parochi, ab Episcopo.[2]

### § 5. Pensiones Ecclesiasticae.

(*Ecclesiastical Pensions.*)

**991.** Ad bona temporalia ecclesiastica, quibus clerici aluntur pertinent etiam pensiones (*an annual allowance, a stated yearly stipend*). Lato sensu, quaelibet annua solutio (*any yearly payment*) dicitur pensio. Et hoc sub respectu omnes taxae seu collectae quae Episcopo annuatim solvuntur, v. g. cathedraticum de quibus supra egimus, pensiones vocari possunt. Verum sensu pressiori illae solummodo annuae solutiones nuncupantur pensiones quae clericis, sive sint Episcopi sive non, solvuntur ex reditibus alicujus officii, *quamvis reapse onera illi officio adnexa, non adimpleant.* Loquimur de pensionibus stricte sumptis, quae praesertim clericis Episcopo inferioribus solvuntur, et quidem, non ipso jure,[3] sed ex facto hominis.[4]

**992.** *Quaer.* Quid sit pensio?

*Resp.* Jam vidimus, in praecedenti articulo, reditus alicujus ecclesiae seu officii sive beneficii congruam sustentationem constituentes, ad rectorem ibi munera ecclesiastica obeuntem pertinere. Verum aliquando contingit ut ex hisce reditibus portio certa alteri clerico tribuitur, quae portio pensio appellatur. Pensio ecclesiastica proinde est certa pecuniae summa quae ex legitima causa et auctoritate, alicui clerico annuatim tribuitur, non ex proprio suo beneficio seu ecclesia, sed ex bonis seu proventibus officii, seu ecclesiae ad alium clericum pertinentis.[5]

**993.** Antiquissima occurrunt exempla pensionum, quae

[1] Schmalzg. l. 3, t. 25, n. 20 sq.

[2] Conc. Trid. sess. 21, c. 4, de Ref.; Phillips, Comp. § 214.

[3] Cf. Conc. Trid. sess. 21, c. 6, de Ref.; sess. 23, c. 18, de Ref.; Santi, l. 3, t. 39, n. 5.

[4] Cf. Ferrari, Summa, n. 529.

[5] Sanguineti, n. 506.

concedebantur Episcopis vel senio confectis, vel hostium impetu sede pulsis, aut clericis infirmis, vel etiam in monasterium ad poenitentiam agendam conjectis.[1]

**994.** *Quaer.* Quotuplicis generis sint pensiones?

*Resp.* Pensio est triplicis generis: 1° *temporalis,* quae datur propter officium temporale, v.g. cantoribus, advocato Ecclesiae; 2° *spiritualis,* quae fundatur in officio spirituali, ut quae datur coadjutori sive Episcopi sive parochi; 3° *media,* quae fundatur in statu clericali, non tamen officio spirituali, ut quae tribuitur clerico pauperi, vel parocho seni, vel causa resignationis.[2]

**995.** Media haec pensio subdividitur (*a*) in *personalem,* scilicet quae imponitur alicui ecclesiae seu beneficio ad vitam dumtaxat beneficiarii (*during the life-time of the incumbent of the church which pays the pension*); (*b*) *realem,* seu quae imponitur ecclesiae alicui ad vitam *pensionarii* (*during the life-time of the one receiving the pension*), ita ut etiam successores in officio eam solvere teneantur.

**996.** Duae priores pensionum classes solum lato sensu pensiones sunt. Nam sunt potius salarium pro labore et officio, quam pensiones. Tertia proinde tantum species, nempe pensiones mediae, sive personales sint sive reales, stricto sensu vocantur pensiones, de quibus solis hic loquimur.

Conditiones autem a lege ecclesiastica requisitae ad pensionem imponendam tres recensentur: (*a*) legitima auctoritas; (*b*) causae justae; (*c*) modica quantitas.

**997.** *Quaer.* Quis igitur possit pensiones alicui officio[3] seu ecclesiae imponere?

*Resp.* Pensio est onus alicui ecclesiae, officio seu beneficio impositum; imo est species alienationis et divisionis officii, seu ecclesiae. Porro utrumque hoc sacris canonibus vetitum est.[4] Juris enim axioma est ut officia seu beneficia ecclesiastica sine diminutione conferantur.[5] Jam vero solius Romani Pontificis

[1] Devoti, l. 2, t. 14, secl. 4, n 30. [2] Craiss. n. 5458.

[3] Vocabulum *officii* hic a nobis, sicut a multis aliis canonistis, tum pro officio tum pro reditibus illi adnexis sumitur. Cf. Phillips, Comp. § 71, 214.

[4] Cap. 8, de Praeb.; cap. 7, de Cens. [5] Devoti, l. 2, t. 14, n. 31.

est sacros canones relaxare. Hinc pensio realis a solo Romano Pontifice imponi potest. Utrum autem pensio personalis ab Episcopo pro aliis imponi possit, controvertitur. Quidquid sit de hac controversia, monet Fagnanus praxim esse Sedis Apostolicae ubique receptam, ut pensiones etiam personales a solo Papa imponantur.[1]

**998.** Dicitur *pro aliis.* Nam extra controversiam est Episcopum non posse etiam cum capituli sui consensu imponere pensiones, etiam personales, beneficiis aut ecclesiis *pro seipso seu pro mensa sua,* nisi accedat venia S. Sedis.[2] Ratio est, quia sibi applicando pensiones, extra casus in jure expressos, absque licentia S. Sedis, auctoritatem praestaret *in facto proprio,* et suam utilitatem spectante, quod pugnat cum textu *Clem.* 2, de reb. Eccl. non al.[3]

**999.** *Quaer.* Quaenam sint causae justae imponendi pensionem?

*Resp.* Sequentes potissimum: 1° *Resignatio officii, parochiae seu beneficii* (*resignation of office*). Nam si quis justa de causa, v.g. propter senectutem, infirmitatem, officio sese abdicat, neque aliunde congrue valeat sustentari, justa habetur causa ei reservandi pensionem super officio, beneficio aut paroecia resignata.[4] 2° Alias causas vide apud Ferrari, l. c. n. 533.

**1000.** *Quaer.* In qua quantitate pensio imponi possit?

*Resp.* Pensiones debent esse *moderatae,* ita ut beneficiato (*the incumbent, v.g. the parish priest, of the church which pays the pension*) sufficientes supersint reditus, quibus congruenter vitam traducere possit, ac praeterea onera sui officii sustinere. Hinc pensio tertiam partem redituum, non computatis incertis emolumentis, v.g. juribus stolae, superare non debent. Ratio est, quia non debet unum altare discooperiri, ut aliud cooperiatur.[5] Nulla autem omnino pensio imponi potest (*a*) ecclesiis cathedralibus, si earum reditus annui mille ducatorum ($1000.00) summam non excedant; (*b*) ecclesiis parochialibus, si eorum reditus annui certi ac fixi, hoc est, non computatis

[1] Cf. Sanguineti, n. 508; Devoti, l. c. n. 32, nota 2.
[2] Cf. quoad hanc regionem, Conc. Pl. Balt. III. n. 20.
[3] Schmalzg. l. 3, t. 12, n. 16.
[4] Supra, n. 385.
[5] Arg. Cap. 36, de Praeb.; Schmalzg. l. 3, t. 12, n. 13.

juribus stolae, etc., summam centum ducatorum ($100.00) non aequent.[1]

**1001.** *Quaer.* Quid statuerit Conc. Pl. Balt. III. habitum anno 1884, circa nonnullas pensiones apud nos?

*Resp.* 1° Episcopus rectori inamovibili, qui vel amovetur vel sponte renunciat, propter certas causas quae culpam non constituunt, pensionem congruam procurabit.[2] 2° Pensionibus aequiparari possunt pecuniae—v.g. $400.00 vel $600.00—quae sacerdotibus infirmis vel senio confectis quotannis apud nos tribuuntur.[3] 3° Congrua sustentatio quae rectori, sive amovibili sive inamovibili, propter culpam amoto, danda est, pendente appellatione, pensionis naturam quodammodo induit.[4]

---

# CAPUT III.

## DE BONIS SEU REDITIBUS ECCLESIASTICIS, QUI AD ECCLESIAE FABRICAM PERTINENT, SEU QUI TEMPLORUM CONSERVATIONI, REPARATIONI, ETC., INSERVIUNT.

*(Ecclesiastical Income set Apart for the Repairs of Churches, the Splendor of Divine Worship, etc.)*

**1002.** In praecedenti capite de bonis quae ad clericos pertinent quaeque ideo vocantur *peculium*[5] clericorum seu eorum *privata bona* (*private property of ecclesiastics*) verba fecimus.[6] In praesentiarum de bonis quae ad ipsas pertinent ecclesias, breviter disseremus. Bona ecclesiarum quatenus distinguuntur a bonis clericorum, nuncupantur *peculium ecclesiae* (*the property or income of a church or parish*), seu bona fabricae, vel simpliciter fabrica ecclesiae, eo quod ad *fabricandum* sacras sedes sunt constituta. Nam, uti jam supra diximus, hodie sua sunt bona clericis, et sua item ecclesiis, quae utraque separatim administrantur.[7]

[1] Conc. Trid. sess. 24, c. 13, de Ref.; Bened. XIII. Const. *Quanta*, 6 Sep. 1724.
[2] Conc. Pl. Balt. III. n. 38, vii.
[3] Ib. n. 71.
[4] Ib. n. 286.
[5] Peculii nomen significat quasi *pusillam pecuniam* (*a little money*).
[6] Devoti, l. 2, t. 18, n. 1,
[7] Devoti, l. 2, t. 13, n. 7.

**1003.** *Quaer.* Quid igitur sit Ecclesiae fabrica etiam apud nos?

*Resp.* Fabrica ecclesiae (*the church edifice*) proprie significat aedificium ecclesiae.[1] Consuetudine tamen extensa est hujus vocis significatio ad designandum (*a*) tum bona conservationi et ornatui ecclesiarum, cultusque sacri necessitatibus et utilitatibus deputata, (*b*) tum et ipsum concilium administrantium hujusmodi bona (*board of trustees*).[2]

**1004.** *Quaer.* Quae pecuniae, quaequè res, in hac regione, ad ecclesias seu missiones, non vero ad rectores spectent?

*Resp.* In omni missione seu quasi-parochia, apud nos, pecuniae quae a fidelibus contribuuntur modis infra recensendis, habendae sunt pro bonis ecclesiae non pro muneribus sacerdoti datis. Ex ea namque pecunia non solum ejus honestationi, sed et sumptibus religiosi cultus, manutentioni fabricae (*the repairs of the buildings*), debitis si quae sint solvendis, aliisque hujusmodi providendum est.

**1005.** Hi modi, uti jam supra innuimus sunt: 1° Collectae ad offertorium factae (*plate collections, ordinary and extraordinary, taken up during the mass*); 2° Sedium locatio (*renting of seats or pews*); 3° Solutio nummi determinati (*door money*, quae apud nos est 10 seu 15 *cents*) ab iis qui sedes (*pews*) non habent, nolunt vero locum liberum, ut aiunt, occupare; 4° Collectae quae quandoque fiunt de domo in domum (*house collections*); 5° Proventus qui ex *picnics, fairs*, etc., ubi permittuntur, proveniunt. Quoad totam hanc quaestionem vide Const. *Romanos Pontifices*, 8 Maii 1881, ad nostros Status Foederatos extensam per S. C. de Prop. Fid. decreto diei 25 Sept. 1885.[3]

**1006.** *Quaer.* Quid dicendum de fabricis, quatenus sub hoc nomine intelligantur corpora administrativa, sive in hac regione, sive in Hibernia, Anglia et Scotia?

*Resp.* Vide supra n. 795 sq.

[1] Can. *de Fabricar.* 24, de consecr. Dist. I.
[2] De Brab. n. 946. [3] Conc. Pl. Balt. III. p. cv.

# Liber Quartus.

## DE JUDICIIS, DELICTIS ET POENIS ECCLESIASTICIS.

(*ECCLESIASTICAL TRIALS, OFFENCES AND PUNISHMENTS.*)

**1007.** Absolutis binis libris de *personis* et de *rebus*, remanet ut, in ultimo hoc libro, de *judiciis* eloquamur. Librum hunc tribus partibus absolvere conabimur. In prima dicemus de judiciis (*trials*); in secunda, de delictis (*offences*), quae praecipuam judiciorum materiam constituunt; in tertia tandem, de poenis (*punishment*), quae a sacris canonibus in praefata crimina intentatae sunt.

# Pars Prima.

## DE JUDICIIS ECCLESIASTICIS.

(*Ecclesiastical Trials.*)

## SECTIO I.

## DE JUDICIIS ECCLESIASTICIS IN GENERE.

(*Of Ecclesiastical Trials in General.*)

**1008.** Agemus in hac parte: 1° de judicii ecclesiastici notione et personis; 2° de foro competente; 3° de modo in judicio procedendi, seu de processu instituendo, instruendo et concludendo, tam in causis criminalibus et disciplinaribus clericorum, quam in causis matrimonialibus, et aliis causis civilibus quae ad forum ecclesiasticum pertinent; 4° De appellationibus et aliis remediis contra injustam sententiam.

---

## CAPUT I

### JUDICII NOTIO, DIVISIO, ETC.

(*Nature and Various Kinds of Trials, etc.*)

### ART. I.

### JUDICII ECCLESIASTICI NOTIO.

(*Correct Idea of Ecclesiastical Trials.*)

**1009.** *Quaer.* Quid sit judicium?

*Resp.* Judicium (*a trial*) sic appellatum, quasi sit *jus dictum*, est legitima discussio et definitio causae inter actorem et reum controversae, per judicem competentem facta.[1] Quapropter haec praecipue requiruntur in omni judicio: 1° Causa

[1] Schmalzg. l. 2, t. 1, n. 2.

aliqua controversa, v.g. crimen ab actore, id est, procuratore fiscali imputatum, et a reo negatum; 2° Tres personae distinctae et principales, nempe judex (*the judge*), actor seu accusator (*plaintiff or accuser*), reus (*defendant*); 3° Forma seu modus, a lege praefinitus, causam controversam discutiendi seu probandi, quae forma seu methodus procedendi vocatur simpliciter processus seu ordo judiciarius; 4° Sententiae pronuntiatio.[1]

**1010.** *Quaer.* Quo jure introducta sint judicia?

*Resp.* Quoad substantiam, sunt juris naturalis; quoad solemnitates (*as to their formalities*), sunt juris humani. Quaeritur proinde, quaenam in judiciis sint juris naturalis, quae positivi humani? Juris naturalis sunt: 1° aliqualis seu non solemnis petitio actoris vel accusatio, loco libelli solemnis, (*an informal demand of the plaintiff, accusation*); 2° Citatio rei (*citation of the defendant*); 3° Probatio causae (*the proofs of plaintiff or accuser*); 4° Defensio rei (*the defence of the accused or defendant*); 5° Sententiae pronunciatio (*the sentence of the judge*). Caetera, ut formalis seu solemnis libelli oblatio (*the formal presenting of the charge or plaintiff's complaint*), solemnis litis contestatio (*the formal or solemn plea*) juramentum calumniae et similia, sunt juris positivi humani.

**1011.** Ex quo sequitur in nullo judicio etiam summario, omitti posse ea quae supra dixi esse juris naturalis. Nam contra jus naturale, nulla consuetudo praevalere potest.[2] Cf. nostrum *Elements*, vol. II. n. 692–695.

## ART. II.

### JUDICIORUM VARIAE SPECIES.

(*Various Kinds of Trials.*)

**1012.** *Quaer.* Quotuplicis generis sint judicia?

*Resp.* Judicia (*trials*) dividuntur praecipue: 1° Ratione *personarum judicantium*, in *ecclesiastica* (*ecclesiastical trials*), quae instituuntur a judice ecclesiastico, qua tali, et *saecularia* (*trials in secular courts*), quae expediuntur a judice saeculari qua tali.

[1] Cf. nostrum *Elements*, vol. II. n. 687 sq. [2] Schmalzg. l. 2, t. 1, n. 4.

**1013.** 2° Judicia ecclesiastica, de quibus solis, in hoc libro agimus, subdividuntur (*a*) ratione *finis*, in criminalia et civilia. Judicium *criminale* (*a criminal trial or a trial in criminal and disciplinary causes*) est illud in quo agitur de delictis patratis puniendis; *civile* (*ecclesiastical civil trial*) est illud in quo dirimitur quaelibet alia causa ecclesiastica et controversa, v.g. causae matrimoniales, beneficiales.[1]—Nostrum *Elements*, l. c. n. 697.

**1014.** (*b*) Ratione *formae* quae adhibetur, aut juxta quam proceditur, in ordinaria et summaria. *Ordinarium* judicium, quod etiam *plenarium* et *solemne* dicitur (*formal, regular trial*), illud est, in quo omnes juris solemnitates accurate observantur. *Summarium* vero, quod etiam *extraordinarium* vocatur (*a summary trial*), illud est, in quo, praetermissa subtili observatione solemnis ordinis judiciarii, attenditur ad essentialia et substantialia judicii.[2] Quoad caeteras judicii ecclesiastici species, vide nostrum *Elements*, vol. II. n. 699 sq.

---

# CAPUT II.

## PERSONAE QUAE IN JUDICIO ECCLESIASTICO PARTEM ALIQUAM HABENT.

(*Persons who take Part in Ecclesiastical Trials.*)

**1015.** *Quaer.* Quae personae in judicio ecclesiastico interveniant?

*Resp.* Hujusmodi personae sunt duplicis generis: aliquae sunt principales, et ita necessariae, ut sine ipsis nullum institui possit judicium; aliae minus principales, quae regulariter quidem in judicio intervenire debent et solent, non tamen ita sunt necessariae, ut seclusa lege positiva ecclesiastica, illud sine ipsis institui nequeat. De singulis breviter disseremus.

[1] Huguenin, n. 802. [2] Schmalzg. l. c. n. 10.

## ART. I.

### PERSONAE IN JUDICIIS ECCLESIASTICIS PRINCIPALES.

(*Persons who Necessarily intervene at Ecclesiastical Trials.*)

**1016.** In quocunque judicio ecclesiastico, non secus ac in saeculari, tres necessario intervenire debent personae, scilicet judex (*the judge*), actor (*the plaintiff or accuser*), et reus (*the defendant*). Patet ex ipsa judicii definitione. Nam judicium nihil aliud est, quam legitima discussio causae controversae inter actorem et reum coram judice. De singulis hisce personis pauca subjiciemus.

### § 1. JUDEX.

(*The Judge.*)

**1017.** *Quaer.* Quis dicatur judex ecclesiasticus?

*Resp.* 1° Judex ecclesiasticus est persona publica, instructa potestate causam ecclesiasticam controversam cognoscendi, et sententiam secundum jus canonicum proferendi. 2° Tria uti pate ex hac definitione, spectantur in judice: (*a*) ut is huic muneri sit idoneus; (*b*) ut illud legitime acceperit; (*c*) ut competens sit.

#### I. JUDEX IDONEUS.

(*Who are Fit to be appointed Judges?*)

**1018.** *Quaer.* Quaenam personae non sint idoneae muneri judicis?

*Resp.* Idonei non sunt qui vel *natura*, vel *lege*, vel *moribus* a judicis munere excluduntur. *Natura* judices esse nequeunt surdi, muti, amentes, impuberes. *Lege* excluduntur infames, haeretici, excommunicati. *Moribus*, servi et foeminae. (Nostrum *Elements*, vol. II. n. 718.)

#### II. JUDEX LEGITIMUS.

(*Lawful Appointment.*)

**1019.** *Quaer.* Quid dicendum de legitimitate judicis ecclesiastici?

*Resp.* In judice ecclesiastico, praeter ejus idoneitatem ad hoc munus, requiritur ut legitime, modo scilicet a lege ecclesiae probato, judicandi facultatem obtinuerit. Triplici autem

modo ista obtinetur: 1° *Munere seu officio* (*by one's office*), tuncque dicitur judex ordinarius. Talis est S. Pontifex et sacrae Congregationes Cardinalium pro tota Ecclesia; Episcopus, ejusque vicarius generalis, sede plena; et sede vacante, capitulum cathedrale, ejusque vicarius capitularis—apud nos, dioeceseos administrator; Praelatus regularis, pro regularibus sibi subditis.

**1020.** 2° *Delegatione* (*by delegation or commission.*)—Porro delegari quis potest vel a *jure* (*by the law*) vel ab *homine* (*by a person*). Sic, omnes Episcopi sunt a *jure*, i.e. ex Concilio Tridentino delegati S. Pontificis, in pluribus causis regularium. 3° *Partium litigantium consensu* (*by consent of the litigants*). Talis autem judex dicitur *arbiter* (*arbitrator*).[1] Cf. nostrum *Elements*, vol. II. n. 712 sq.

### III. Judex Competens.

(*Competent Judge.*)

Praeter idoneitatem personae, judicandique facultatem rite acceptam, requiritur in judice ecclesiastico, ut is competens sit tam quoad rem quam personas, de quibus judicaturus est. Secus ejus sententia nullam vim habebit.

**1021.** *Quaer.* Quid sit judicis competentia?

*Resp.* Competentia judicis nihil aliud est quam ipsamet ejus jurisdictio in tali vel tali casu. Nam ille judex competens dicitur qui potestatem habet jus dicendi talibus personis quoad talem causam. Hinc patet quaestionem, an quis sit judex competens, resolvi in istam, an quis jurisdictionem sive ordinariam sive extraordinariam habeat in talem talium personarum causam.[2]

**1022.** *Quaer.* Quomodo dignoscatur quisnam judex ecclesiasticus habeat competentiam in tali vel tali causa ecclesiastica?

*Resp.* Praenotandum, quod in quaestione occurrant verba *causa ecclesiastica.* Nam judex ecclesiasticus potest cognoscere de *causis* seu rebus, quae ad forum ecclesiasticum pertinent, non vero de causis seu rebus mere saecularibus.

Hisce praemissis, respondeo: Regula generalis est: Actor

[1] Ferrante, p. 143.

[2] Bouix, de Judic. vol. I. p. 246.

sequitur forum rei. Aliis verbis, reus (*the defendant*) conveniri potest ac debet coram illo judice qui in reum jurisdictionem habet, et cui proinde reus subjicitur. Porro quadruplici ex capite reus subjici potest alicui Episcopo seu judici ecclesiastico, scilicet: 1° ratione domicilii, 2° ratione rei sitae; 3° ratione contractus; 4° ratione criminis. Aliis verbis, ordinarie reus conveniri potest at debet coram illo Episcopo vel Ordinario in cujus dioecesi (*a*) domicilium habet, (*b*) vel delictum patravit, (*c*) vel contractum iniit, (*d*) vel res—v.g. beneficium—de qua litigatur, sita est. (Nostrum *Elements*, vol. II. n. 783 sq.)

**1023.** Extraordinarie vero potest reus conveniri coram judice aliunde non competente (*a*) ratione prorogationis, (*b*) connexionis causarum, (*c*) compromissi (*d*) et reconventionis. (Nostrum *Elements*, l. c. n. 797 sq.)

**1024.** *Quaer.* Quaenam corollaria deducantur ex supradictis regulis?

*Resp.* 1° S. Pontifex est judex competens, etiam in prima instantia, quoad omnes personas quae ad Ecclesiam pertinent, et quoad omnes res seu causas quae ad forum Ecclesiae spectant. Nam Pontifex Romanus gaudet jurisdictione episcopali immediata in totam Ecclesiam.[1] Quapropter omnia Ecclesiae membra illi directe et immediate subjiciuntur. Attamen de facto, solas causas majoris momenti sibi in prima instantia judicandas reservavit. Insuper causae graviores criminales Episcoporum a solo Romano Pontifice judicantur.

2° Praeter causas majores, reliquae causae ad forum ecclesiasticum pertinentes, in prima instantia, coram proprio Ordinario judicantur.[2] Per proprium Ordinarium, uti patet ex dictis, hic intelligitur Episcopus cui reus subjicitur, sive ratione domicilii, sive delicti, sive contractus, sive rei sitae. Potest autem Ordinarius alium, modo capacem, delegare, seu vices suas, in causis judicandis, demandare.

### IV. Judicis Officium et Qualitates.
### (*Functions and Qualifications of the Judge.*)

**1025.** *Quaer.* Quodnam sit judicis officium, et quaenam ejus dotes esse debeant?

[1] Conc. Vatic. sess. iv. cap. 3. [2] Conc. Trid. sess. 24, c. 20, de Ref.

*Resp.* Judicis officium principaliter est ut jus dicat partibus, adeoque gravissimum.[1] Quare dicitur et esse debet *vir bonus, juris et aequi peritus.* Idcirco (*a*) necessaria debet pollere scientia ad judicis officium explendum. (*b*) Si non sit judex supremus—id est S. Pontifex—non judicet in propria causa. (*c*) In judicando sequatur leges, non proprium arbitrium. Nam judex est legum minister et custos, non arbiter. Proinde "nemo in judiciis ecclesiasticis suo sensu, sed canonum auctoritate ducatur."[2] (*d*) Suppleat ea quae ex officio suo, vel juris praecepto supplenda sunt. (*e*) Judicet et ferat sententiam juxta *allegata et probata* in judicio, et non secundum privatam suam informationem. Nam judex, qua talis, est persona publica, et proinde judicare debet juxta publicas informationes.[3] (Nostrum *Elements,* vol. II. n. 723 sq.)

## § 2. Actor et Reus.

### (*Plaintiff and Defendant.*)

**1026.** *Quaer.* Quis dicatur actor et reus, et quis actor vel reus esse possit vel non?

*Resp.* 1° *Actor* (*plaintiff*) ab *agendo* ille dicitur qui litem movet, et prior ad judicium provocat. In causis criminalibus vocatur *accusator* (*accuser*), vel si ex officio publico accusatoris partes agit, *procurator* seu *promotor fiscalis* (*diocesan attorney or prosecutor*). *Reus* (*the defendant, the accused*), ita dictus a *re controversa,* ille est, qui ab actore provocatus, ejus actionem vel acccusationem propulsando se defendit.

**1027.** 2° Non omnes personae possunt indiscriminatim actoris vel rei partes agere. Requiritur enim ut quis habeat *legitimam personam standi in judicio* (*a legitimate standing in court*).[4] Sic, v.g. excommunicatus vitandus non habet legitimam in judicio standi personam, et proinde *actor* esse nequit, praeterquam in causa excommunicationis suae et appellationis in eadem, vel ubi agitur de periculo animae, uti in causis matrimonialibus. Potest autem conveniri tamquam

[1] Vide totum tit. de off. Jud. deleg. in libr. I. t. 29, decret.; et ib. tit. 30, de off. jud. ord.

[2] Cap. 1, de Const. (I. 2.)

[3] De Brab. n. 1191.

[4] De Brab. n. 1192; Saug. p. 401.

*reus,* ita tamen ut per procuratorem respondeat. (Nostrum *Elements,* vol. II. n. 746 sq.)

## ART. II.

### PERSONAE IN JUDICIO ECCLESIASTICO MINUS PRINCIPALES.

(*Persons who intervene at Ecclesiastical Trials as Auxiliaries.*)

**1028.** *Quaer.* Quaenam dicantur personae in judicio auxiliares seu minus principales?

*Resp.* Sunt illae quae in judicio praefatis principalibus personis, id est, judici, actori vel reo, quomodocunque assistunt. Et imprimis judex habet vel habere potest personas qui illum adjuvant triplici ratione, nempe (*a*) *consultando* (*by advice*), uti faciunt assessores (*assessors*), qui etiam vocantur consiliarii (*counsellors*), auditores seu referendarii (*auditors, referees*); (*b*) Acta et gesta in judicio *scribendo,* uti notarii (*notaries*), qui etiam scribae publicae (*clerks of the court*), secretarii (*secretaries*), actuarii vel cancellarii (*chancellors*) nuncupantur; (*c*) *exequendo* quod judex imperat, citationes intimando, etc., uti nuntii judiciales (*messengers of the court*), qui etiam appellantur apparitores (*constables*), cursores (*runners or couriers of the court*).

**1029.** Litigantibus vero—id est, actori vel accusatori et reo—opitulantur (*a*) *advocati* (*advocates, counsel*), qui arcessuntur in patrocinium causae intentandae vel defendendae, quique debent esse peritia juris instructi;[1] (*b*) *procuratores* (*agents, procurators*), qui causam alterius, ejus nomine agunt; (*c*) testes (*witnesses*) de quibus sermo erit infra.

## ART. III.

### DE CURIA EPISCOPALI ET METROPOLITANA.

(*The Episcopal and Metropolitan Court of Justice.*)

#### § 1. CURIA EPISCOPALIS.

(*The Bishop's Court.*)

**1030.** *Quaer.* Quid sit curia episcopalis?

[1] Vecchiotti, l. 4, § 28.

*Resp.* 1° Est complexus seu collectio personarum quae cum Episcopo aut ejus vicario generali concurrunt in exercenda sive jurisdictione Episcopali generatim, sive potissimum, uti hic accipitur potestate judiciaria. Vox autem curiae a voce *curare* derivatur ; quia dictae personae res judiciarias potissimum *curant.*

**1031.** 2° Pro causis criminalibus et disciplinaribus clericorum, etiam apud nos, curia episcopalis hodie sequentibus necessario constat personis:[1] (*a*) Episcopo vel ejus vicario generali, uti judice; (*b*) Procuratore fiscali (*diocesan attorney*), cujus officium est causas publicas, id est, non solum causas criminales, sed etiam causas civiles ecclesiasticas, quae ad communem dioeceseos aut Ecclesiae utilitatem spectant, ex officio suscipere et prosequi;[2] (*c*) *Cancellario* seu secretario (*secretary*), qui tanquam publica et jurata persona omnia judicii acta conscribit, ac fideliter custodit.[3] (Nostrum *Elements,* vol. II. n. 896 sq.)

**1032.** Hisce tribus personis, quae absolute requiruntur in quocunque processu criminali clericorum, etiam in hac regione, adjungi possunt (*a*) Auditor, cui committitur processus compilatio;[4] (*b*) Apparitor seu nuntius, cujus est citationes intimare,[5] etc.

**1033.** In iis vero dioecesibus hujus regionis, in quibus ex dispensatione S. Sedis, curia supradicta nondum est constituta, Episcopus aut ejus vicarius generalis uti judex, et Commissio investigationis uti assessores, necnon secretarius componunt curiam episcopalem in causis criminalibus.[6]

**1034.** 3° Pro causis vero matrimonialibus, etiam apud nos, necessarius omnino est, praeter judicem et secretarium, defensor matrimonii (*the defender of the marriage*).[7]

### § 2. Curia Metropolitana.
(*The Court of the Metropolitan.*)

**1035.** *Quaer.* Quid de curia Archiepiscopi pro negotiis

[1] S. C. EE. et RR. Instr. 11 Jun. 1880; S. C. de P. F. Instr. *Cum Magnopere*, 1884, art. xii, xiii.
[2] Cf. Huguenin, n, 805.
[3] De Brab. n. 1193.
[4] Instr. *Cum Magnopere*, art. xii.
[5] Ib. Art. xiv.
[6] Conc. Pl. Balt. III. n. 297, 298.
[7] S. C. de P. F. Instr. *Causae Matrimoniales*, 1884, § 7.

judicialibus, quae ex tota ecclesiastica provincia per appellationem ad illam deferuntur?

*Resp.* Vide nostrum *Elements,* vol. II. n. 895, 926–931.

---

# CAPUT III.

## MATERIA SEU OBJECTUM JUDICII ECCLESIASTICI.

(*The Matter of Ecclesiastical Trials.*)

### ART. I.

#### MATERIA TUM RATIONE SUI, TUM RATIONE PERSONARUM.

(*Matter of Ecclesiastical Trials, both by Reason of their Nature and of the Persons.*)

**1036.** In omni judicio requiritur, uti jam supra diximus, causa aliqua seu res controversa, quae judicii materiam vel objectum constituit.

**1037.** *Quaer.* Quodnam sit objectum seu materia judicii ecclesiastici?

*Resp.* Omnes et solae res seu causae ecclesiasticae. Et sane Ecclesia est societas perfecta et suprema, quae pro fine habet aeternam curandi hominum salutem. Quapropter a Deo habet potestatem ea omnia curandi quae ad salutem animarum conducunt. Hinc divinitus pollet auctoritate non solum leges ferendi, verum et judicandi, necnon reos poenis coercendi. Haec autem potestas ad solas causas ecclesiasticas non vero ad saeculares seu temporales sese porrigit, ut patet ex ipsa natura Ecclesiae.

**1038.** *Quaer.* Quaenam in specie censendae sint causae ecclesiasticae?

*Resp.* 1° Ex causis ecclesiasticis aliquae ratione *sui*, aliae ratione *personarum,* ad forum ecclesiasticum pertinent.[1] Porro causae quae ratione sui ad judicem ecclesiasticum spectant, sunt duplicis generis. (*a*) Aliae sunt *mere spirituales,*[2] puta quae versantur circa fidem, sacramenta, cultum divinum,

[1] Cap. 4, de Im. eccl. in 6.° [2] Quia hae res ex objecto suo sacrae sunt.

jura et officia clericorum.[1] (*b*) Aliae vero sunt *causae mixtae*, scilicet illae quae ex duobus veluti elementis componuntur, altero ordinis ecclesiastici et spiritualis, altero vero ordinis saecularis. Ejusmodi v.g. sunt causae matrimoniales, quae versantur tum de re mere spirituali i.e. de vinculo matrimonii, tum de re temporali, id est, de effectibus civilibus matrimonii.[2]

**1039.** 2° Jam vero causae mere spirituales seu stricti juris ecclesiastici ad solum forum ecclesiasticum seu judicem ecclesiasticum, etiam hodiernis temporibus, pertinent. Nam haec omnia directe ad finem supranaturalem ordinantur.[3]

**1040.** 3° Ecclesia jus habet, per se, pronuntiandi etiam de rebus mixtis, et proinde non solum de elemento spirituali, verum etiam de re seu elemento temporali, quod spirituali rei adnectitur.[4] Diximus *per se;* nam in regionibus ubi, ex tacito saltem assensu Ecclesiae, non amplius subsistunt ecclesiasticae immunitates, vel ubi hujusmodi immunitates per concordata vel etiam per consuetudinem, ex hac parte sunt abrogatae, res temporalis seu elementum in hujusmodi causis mixtis ad forum civile seu saeculare pertinet, elementum vero spirituale apud judicem ecclesiasticum remanet.

**1041.** 4° Ratione personarum, solus Episcopus est, per se, judex competens in quibuslibet *clericorum* causis, id est, non solum in eorum causis quae versantur circa res mere spirituales, sed etiam illis quae respiciunt res temporales.[5] Diximus *per se;* nam hodie fere ubique res temporales clericorum, a foro saeculari judicantur, idque sive ex consuetudine, sive ex concordatis, sive ex tacito Ecclesiae assensu.[6]

**1042.** 5° Olim ad quasdem personas saeculares, et quidem in rebus temporalibus, sese porrigebat Ecclesiae potestas judiciaria. Et sane imperatores Romani, ad fidem conversi, Episcopis partem jurisdictionis saecularis, eamque non spernen-

[1] Bened. XIV. De Syn. l. 9, c. 9, n. 2.

[2] Schmalzg. l. 2, t. 1, n. 50; Eadem ratione *Causae beneficiales* (*matters relating to ecclesiastical offices*), sunt *causae mixtae*. Constant enim ex duplici elemento (*a*) uno spirituali, puta, ipso officio spirituali, (*b*) et altero temporali, puta, reditibus officio adnexis.

[3] Bened. XIV. l. c. n. 2.

[4] Ib. n. 6.

[5] Bened. XIV. De Syn. l. 9, c. 9, n. 8.

[6] Phillips, Comp. 176.

dam, committebant.[1] Hac de causa (*a*) partes saeculares compromissum inire poterant, utrum causas suas, etiam saeculares coram judice civili, an ecclesiastico componi vellent;[2] (*b*) viduis, pupillis, etc., si pauperes erant, judex ecclesiasticus jus dicebat, idque in omnibus causis. Verum hodie potestas haec fere ubique, Ecclesiae adempta est per saecularem auctoritatem.

## ART. II.

### MATERIA JUDICII ECCLESIASTICI, RATIONE CLERICORUM IN HISCE STATIBUS.

(*Causes of Ecclesiastics, in this Country.*)

**1043.** *Quaer.* Quid de clericorum causis, in hac regione, statuerit S. C. de Prop. Fide?

*Resp.* 1° In Congregatione generali Fidei Prop. habita die 17 Maii 1886, proposito dubio "Quinam modus tenendus sit cum sacerdotibus, qui recurrant ad civilia tribunalia." EE. PP. responderunt: "Declarat S. Congregatio nunquam sese fore admissuram recursum vel appellationem sacerdotum, qui ad judices laicos trahere ausi fuerint vel clericum sine venia Ordinarii, vel Episcopum sine venia Apostolicae Sedis, sive in causis ecclesiasticis sive non, nisi prius recursum ad civile tribunal interpositum deseruerint. Episcopi vero juxta declarationem capitis *Cogentes*[3] a Suprema Inqu. die 23 Januarii 1886 editam,[4] possunt in praedictum clericum animadvertere, poenis et censuris ferendae sententiae, maxime suspensione a divinis, servatis tamen servandis et pro gravitate causae, si id expedire in domino judicaverint. Quod si venia conveniendi clericum in foro laicorum ab Ordinariis petitur, ipsi nunquam eam denegabunt tum maxime cum ipsi controversiis inter partes conciliandis frustra operam dederint.[5] Cf. nostrum *Elements*, vol. I. n. 456.

**1044.** 2° Iterum in Congregatione generali de Fide Prop.

[1] L. 8, C. de Def. Civit. (i. 55); l. 1, C. de Episc. aud. (i. 4).
[2] L. 7, 8, C. de Episc. aud. (i. 3).
[3] Pius IX. Const. *Ap. Sedis* 1869, art. i. n. 6.
[4] Quam vide apud Zitelli, Appar. pp. 217, 218.
[5] Apud Zitelli, l. c. p. 218, nota 1.

habita die 6 Sept. 1886, proposito dubio: Quomodo agendum cum clericis, qui cedunt laicis jura sua erga alios clericos vel Episcopos, ut ipsi laici loco eorum recurrant ad tribunal laicum, Eminentissimi Patres responderunt: "Quod volens Ecclesiasticus sua jura cedere laico in quaestione aliqua contra clericum, exposcere debet prius veniam ab Episcopo, et si de lite agatur contra Episcopum, ab Apostolica Sede. Quod nisi faciat vel obtineat, subjectus censetur praescriptionibus emanatis contra trahentes clericos vel Episcopos ad forum laicum. Censetur enim agere in fraudem legis." [1]

Hisce S. Sedis declarationibus consonat Conc. Plen. Balt. III. n. 84.

[1] In Zitelli, l. c. p. 546.

# SECTIO II.

## JUDICIA ECCLESIASTICA IN SPECIE.

(*Ecclesiastical Trials, in Particular.*)

**1045.** *Quaer.* Quid de ordine servando in judiciis?

*Resp.* Judicia ecclesiastica (*ecclesiastical trials*) ordinatim procedere debent; quandoquidem ex inordinata causarum discussione seu disceptatione potius confusio nascitur, quam veritas eruitur. Ordo iste passim processus, procedura judicialis, vel etiam judicium appellatur. Quapropter processus ecclesiasticus est idonea actorum omnium judicialium dispositio secundum eam methodum et formam quam leges Ecclesiae constituerunt. Porro ordo a lege ecclesiastica praescriptus perfecte servandus est; secus ipse processus irritus erit.[1] Patet etiam ex ipsa judicii definitione. Nam judicium est legitima discussio causae controversae, id est, discussio secundum formam a lege praescriptam.

**1046.** Agemus 1° de processu hodierno quasi ordinario in causis criminalibus clericorum; 2° de modo extraordinario procedendi in iisdem causis, nempe de sententiis ex informata conscientia, et de processu ex notorio; 3° de processu sive in causis matrimonialibus, sive in aliis causis civilibus fori ecclesiastici.

---

## CAPUT I.

### PROCESSUS HODIERNUS QUASI ORDINARIUS IN CAUSIS CRIMINALIBUS ET DISCIPLINARIBUS CLERICORUM, ETIAM APUD NOS.

(*The Present Quasi-ordinary Trial, in Criminal and Disciplinary Causes of Ecclesiastics, also in this Country.*)

**1047.** Hodie apud nos, ex Instr. S. C. de Prop. Fide *Cum Magnopere* 1884, imo in toto ferme orbe catholico, ex Instr. S. C. EE. et RR. 11 Junii 1880, processus canonicus in causis

[1] Innoc. III. cap. 22, de Rescript. (I. 3).

criminalibus et disciplinaribus clericorum conficitur "*summarie et sine strepitu judicii*, servatis tamen semper in tota sua substantia justitiae regulis."[1] Proinde modus procedendi hisce Instructionibus S. Sedis praescriptus recte vocatur processus summarius. Attamen differt aliquantisper a processu summario in jure canonico—id est in Clem. *saepe* 2 de V. S., et Clem. *dispendiosam* 2 de Judic.—definito, idque (*a*, tum quoad materiam; nam processus qui in supra dictis Instructionibus continetur, adhibetur in causis criminalibus, dum processus summarius a Clemente V. praescriptus locum habet solum in causis quibusdam civilibus fori ecclesiastici; (*b*) tum quoad formam, uti patebit ex infra dicendis.

**1048.** Cum igitur processus summarius in duabus praefatis S. Sedis Instructionibus praescriptus hodie non solum apud nos, verum etiam apud nationes catholicas vigeat, recte infertur hunc processum quasi-ordinarium evasisse; processum vero solemnem in causis criminalibus in extraordinarium quodammodo transisse. Quapropter omissa tela processus solemnis, dicemus de processu a S. C. de P. Fide pro hac regione, et a S. C. EE. et RR. pro locis ubi jus viget commune, praestituto.

Porro in quolibet judicio seu processu ecclesiastico tria spectari debent; 1° Initium, quo introduciter causa (*the beginning of the trial*); 2° Medium, quo instruitur (*the middle of the trial*); 3° finis quo dirimitur (*the end of the trial*). De hisce tribus judicii stadiis breviter disseremus.

## ART. I.

### TELA PROCESSUS QUA CAUSA INTRODUCITUR SEU INCHOATUR.

(*Steps of the Trial, by which the Case is begun.*)

**1049.** Ad primum judicii stadium seu ad inchoationem processus pertinet: 1° Investigatio seu inquisitio extrajudicialis a judice vel procuratore fiscali peracta; 2° Investigatio judicialis seu processus informationis, nondum citato et constituto reo; 3° Accusatio seu libellus accusatorius ex parte promotoris fiscalis; 4° Citatio rei; 5° Exceptiones a reo proposi-

[1] S. C. de P. F. Instr. *Cum Magnopere*, art. x.

tae; 6° Delicti contestatio. De singulis hisce stadiis breviter, pro more, nunc dicemus.

## § 1. INVESTIGATIO EXTRAJUDICIALIS.

(*Extrajudicial Inquiry.*)

**1050.** *Quaer.* Quomodo delictum a sacerdote vel alio clerico patratum primum in judicium deducatur?

*Resp.* 1° Instructio *Cum Magnopere,* art. xii., haec habet: "Processus ex officio instruitur, vel accepto supplici libello, vel accusatione, vel nuncio quoquomodo ad Curiam perlato." Hinc, quando delictum a clerico patratum primo ad Episcopi notitiam pervenit, v.g. per querelas parochianorum contra rectorem suum—Episcopus vel per se, vel per alium virum ecclesiasticum inquirit ex officio, modo extrajudiciali, utrum hujusmodi querelae seu informationes sint fundatae.[1] In hunc finem testes extrajudicialiter examinet, vel alias informationes authenticas extrajudiciales obtineat.[2]

2° Si hac inquisitione extrajudiciali peracta, Episcopus judicat adesse probationes extrajudiciales saltem semi-plenas, vel indicia gravia et ideo adesse fundamentum delicti, non statim saltem regulariter ad processum judicialem transeat, sed modo extrajudiciali adhibeat remedia praeventiva, quae praecipue sunt: Exercitia spiritualia, monitiones, et Praeceptum.[3]

3° Ubi vero remedia praeventiva in irritum cedant, relicta via extrajudiciali, jam ad processum judicialem deveniendum est.

## § 2. DE INVESTIGATIONE JUDICIALI SEU PROCESSU INFORMATIVO INSTITUENDO ANTEQUAM CITETUR REUS.

(*The Informative Trial to be held before the Accused is Cited to Appear for Trial.*)

**1051.** *Quaer.* Quomodo inchoandus sit processus judicialis?

*Resp.* 1° Quando Episcopus ex peracta supradicta investigatione extrajudiciali compererit querelas seu accusationes contra clericum perlatas habere fundamentum non spernendum,

[1] S. C. de P. F. Instr. *Cum Magnopere,* art. xv.
[2] Conc. Pl. Balt. III. n. 308. [3] Ib. n. 309

et ubi casus id sinit, adhibitis inutiliter remediis praeventivis, potest ulterius procedere. Quapropter primo Episcopus procuratori fiscali mandatum dat causam agendi et processum promovendi.

**1052.** 2° Accepto hoc mandato, procurator fiscalis, informationes seu probationes extrajudiciales in supradicta investigatione extrajudiciali obtentas, vel alias extrajudiciales probationes ab ipso post acceptum Episcopi mandatum collectas, accurate examinat et perpendit.

**1053.** 3° Quando, examine hoc peracto, judicat procurator fiscalis grave adesse fundamentum de delicto patrato, seu de praecepto violato, instat apud Episcopum, per praeparatorium libellum accusatorium (*preparatory or preliminary charge*), ut vel ipse per se, vel per vicarium generalem, vel per auditorem, ad ulteriora procedat, id est, ut juridicam investigationem pro informatione curiae, seu processum informativum incipiat et conficiat, idque nondum citato reo.

**1054.** 4° Dicitur per *libellum praeparatorium;* siquidem hic libellus seu accusatio innititur solummodo informationibus extrajudicialibus, et proinde viam sternit libello accusatorio proprie dicto, qui a procuratore fiscali judici offertur post processum judicialem informativum, quique fulcitur informationibus seu probationibus juridicis, in processu juridico informativo obtentis.

**1055.** *Quaer.* Utrum igitur necessarius sit processus informativus?

*Resp.* 1° Affirmative. Itaque Episcopus, accepto procuratoris fiscalis libello praeliminari supradicto, non statim ad rei citationem procedere potest, sed prius tenetur processum judicialem informativum instituere, eum in finem ut juridice sibi ipsi constet an adsint probationes legales et proinde juridicae, saltem semi-plenae de delicto accusati.[1] Et sane, hoc ipso quod quis citetur ad comparendum in judicio criminali, supponitur prima facie illum esse reum criminis impacti, fit suspectus de crimine apud populum, et proinde famae diminutionem patitur, necnon gravi moerore afficitur. Porro ipsa lex naturalis prohibet quominus cuiquam tantum gravamen inferatur

[1] Instr. *Cum Magnopere,* art. 16, 21; Bouix, de Jud. vol. II. p. 155.

absque causa sufficiente, id est, absque delicti probatione legali, saltem semi-plena.

2° Merito proinde Instr. *Cum Magnopere*, art. 44, innuit curias episcopales calumniam veram ac propriam incurrere, et ideo ad damna vel expensas resarciendas a judice appellationis condemnari posse, quoties ex processu informativo indicia sufficientia ad agendum contra inquisitum non appareant.

**1056.** *Quaer.* Quid proinde sit processus informativus, et quomodo conficiatur?

*Resp.* 1° Processus informativus[1] (*the preliminary judicial investigation*) est ille processus praevius, qui fit per juridicum examen testium et etiam instrumentorum, si quae habeantur, nondum citato nec constituto reo, atque in hunc dumtaxat finem, ut juridice constet judici, num adsint probationes legales saltem semi-plenae de delicto commisso,[2] et utrum proinde legitime possit reum citare, et per citationem coram suo tribunali constitutum examinare.[3]

**1057.** 2° Patet ex hac definitione, quomodo procedendum sit in hoc processu praevio. Nam processus hic est investigatio *judicialis*, et aequiparari potest investigationi a magnis juratoribus peractae quae praemittitur processui criminali in nostris judiciis saecularibus (*investigation by the grand jury, prior to the indictment and trial of a criminal*). Quapropter testes juridice citari et examinari debent a judici, vel ejus delegato sive auditore, adsistente tum secretario tum procuratore fiscali.[4]

**1058.** 3° Diximus supra *probationes legales, saltem semi-plenae;* nam processus hic juridicus informativus ita fieri debet, ut *plenae* (*full, complete proof*) quantum fieri possit, probationes legales habeantur. Hinc, uti patet ex Instr. *Cum Magnopere*, art. xxi., cavendum est ne accusatus citetur antequam omnia collecta fuerint, quae ad veritatem factorum constituendam et culpam accusati probandam pertinent.[5]

[1] Vocatur etiam *processus pro informatione curiae*, et *instructio praeparatoria*.

[2] Arg. Instr. *Cum Magnopere*, art. 16.

[3] Bouix, de Jud. vol. II. pp. 152, 153.

[4] Instr. *Cum Magnopere*, art. 17–21. [5] Cf. Conc. Pl. Balt. III. n. 312.

## § 3. Libellus Accusatorius Procuratoris Fiscalis.

(*The Charges or Indictment of the Dioecesan Prosecutor.*)

**1059.** *Quaer.* Quomodo procedendum sit post absolutum processum informativum?

*Resp.* Finito processu informativo, procurator fiscalis, si putat ex illo haberi saltem semi-plenam probationem legalem seu juridicam de delicto, conficit libellum accusatorium proprie dictum (*the formal charges in the proper sense*), idque ex juridica notitia seu informatione habita in processu informativo. Deinde libellum hunc judici porrigit (*oblatio libelli, the preferring of the charges*), et instat ut reus citetur.[1] Per hanc libelli oblationem, incipitur, proprie loquendo processus criminalis.[2]

**1060.** *Quaer.* Quid proinde sit hic libellus criminalis seu accusatorius, et quomodo conficiatur?

*Resp.* 1° Est brevis scriptura claram continens actoris, id est, procuratoris fiscalis intentionem.[3]

2° Quapropter debet exprimere (*a*) nomen judicis, rei, et actoris seu ipsius procuratoris fiscalis; (*b*) subnectenda est narratio facti seu criminis cum necessariis circumstantiis; (*c*) praeterea debet apponi delicti *locus*, *annus*, et *mensis*; adeo ut his omissis, libellus ipso jure sit nullus, etiam parte adversa non opponente.[4] *Dies* insuper commissi delicti exprimendus est, saltem si accusatus petat sibi diem et horam nominari.[5]

3° Libellus plerumque sic concluditur: "Super hisce omnibus peto justitiam administrari, hoc et omni alio meliori modo et forma, quae de jure, etc., fieri potest." Hujus clausulae—quae clausula salutaris vocatur—is est effectus, quod per illam actor seu accusator censeatur omne jus suum in judicium deduxisse, etsi de omnibus et singulis non fecerit expressam mentionem.[6]

4° Denique notandum est libellum non indigere solemnitatatibus quae pro libello in processu solemni requiruntur. Nam

[1] Conc Pl. Balt. III. n. 301.
[2] Bouix, de Jud. vol. II. p. 141.
[3] Arg. Cap. 1, de lib. obl. (ii. 3).
[4] L. 3 ff. de Accus.
[5] Schmalzg. l. 2, t. 3, § 1.; Bouix, de Jud. vol. 2, p. 145.
[6] Schmalzg. l. c. n. 4; Bouix, l. c. p. 149.

processus a S. Sede in Instr. *Cum Magnopere,* summarie et absque strepitu judicii conficitur.[1]

**1061.** *Quaer.* An libellus jam judici porrectus a procuratore fiscali, mutari vel emendari possit?

*Resp.* Praenotandum: Libellus dicitur *mutari* (*changed substantially*), cum aliquid in eo mutatur quod pertinet ad ejus *substantiam; emendari* (*amend*) dicitur, quando aliquid additur vel tollitur quod ejus substantiam non officit.

Hisce praemissis, sic respondeo: 1° *Emendari* potest, v.g. obscura declarando, superflua detrahendo, et ad illustrationem etiam aliquid addendo, usque ad sententiam definitivam. 2° *Mutari* potest ab actore, id est, a procuratore fiscali, ante contestationem delicti, ita tamen ut in eo casu reo concedantur novae induciae ad deliberandum et respondendum. 3° Post delicti contestationem, non potest amplius *mutari* libellus.[2] (Cf. nostrum *Elements,* vol. II. n. 985 sq.)

## § 4. Citatio Rei.

(*Citation of the Accused.*)

**1062.** *Quaer.* Quid faciendum sit postquam procurator fiscalis judici libellum obtulerit?

*Resp.* Episcopus vel ejus auditor, accepto libello procuratoris fiscalis, expendere debet an accusationes in illo exhibitae, innitantur probatione legali saltem semi-plena, in processu informativo habita. Si non reperiat saltem semi-plenam probationem, facit decretum de non ulterius procedendo, et sic causae finis imponitur.[3] Si vero existimat haberi plenam vel saltem semi-plenam probationem, edere debet decretum de constituendo reo, et consequenter jubere ut reus citetur.[4]

**1063.** *Quaer.* Quid igitur et quotuplex sit in casu citatio rei?

*Resp.* 1° Est actus judicialis, quo reus, instante procuratore fiscali, mandato judicis, in judicium vocatur.[5]

2° Dividitur (*a*) in realem (*citation by arresting the accused*)

[1] Instr. *Cum Magnopere,* art. x.

[2] Schmalzg. l. c. n. 13; Sanguineti, n. 561.

[3] Bouix, l. c. p. 157.

[4] Instr. *Cum Magnopere,* art. xxi.

[5] L. 1, ff. de in Jud. voc.

et verbalem (*citation by words or letter*). *Realis* est quae fit per manus injectionem, quam capturam vocant. Haec citatio in curiis ecclesiasticis jamdiu obsolevit, et proinde nihil de ea dicendum remanet.[1] *Verbalis* est quae fit verbis[2] aut litteris per nuntium seu apparitorem, vel magis ordinarie, per judicis epistolam oneratam (*registered mail*) reo directam. Verbalis citatio subdividitur (*b*) in simplicem (*simple citation*) et peremptoriam (*peremptory citation*), (*c*) in publicam et privatam. Simplex statuit dumtaxat tempus comparendi, peremptoria insuper addit, quod si reus non compareat, agetur in ipsum tamquam contumacem. Privata est quae fit absque strepitu ; publica quae fit per edictum in publico loco, vel per insertionem in foliis publicis (*newspapers*). Citatio non debet fieri publico modo, nisi reus latitat, vel est incerti domicilii.

**1064.** *Quaer.* An citatio rei sit semper necessaria?

*Resp.* Citatio adeo est necessaria, etiam apud nos, ut si omittatur, omnis alius actus judicialis ipso jure sit nullus. Pertinet enim ad justam defensionem.

**1065.** *Quaer.* Quaenam necessario in citatione exprimenda sint, etiam apud nos?

*Resp.* 1° Nomen et cognomen (*a*) judicis citantis; (*b*) rei citati; (*c*) ejus ad cujus instantiam fit citatio, scilicet procuratoris fiscalis; 2° Causa citationis, id est, vel accusationes contra reum perlatae per extensum referuntur, transmittendo una cum citatione libellum accusatorium a procuratore fiscali confectum,[3] vel si hoc non expediat, innuendo ipsum ad examen vocari ut in causa, de qua contra eum fit inquisitio sese defendat.[4] 3° Designatio loci et diei, quo reus comparere debet. 4° Competens terminus, id est, dies assignatus debet esse opportunus. (Cf. nostrum *Elements*, vol. II. n. 1001.)

**1066.** *Quaer.* Quid de executione citationis?

*Resp.* Citatio reo significanda seu intimanda est,[5] idque, etiam apud nos, per apparitorem sive nuntium publicum et juratum, vel ubi apparitores curiae Episcopalis desint, per per-

[1] Prael. S. Sulp. n. 666.

[2] Instr. *Cum Magnopere*, art. xiv., xxi., praecipit ut citatio absolute *in scriptis* fieri debeat. [3] Santi, l. 2, t. 3, n. 7; Schmalzg. l. 2, t. 3, n. 24.

[4] Instr. *Cum Magnopere*, art. xxii., xxiii. [5] Devoti, l. 3, t. 5, n. 13.

sonam aliquam idoneam, vel etiam per epistolam assecuratam (*by registered mail*),[1] et si reus latitat, per insertionem in publicis foliis Catholicis (*in Catholic newspapers*).

**1067.** *Quaer.* Quomodo citatio sit intimanda, quando citandus moratur extra dioecesim citantis?

*Resp.* 1° Citatio realis, quae olim in usu erat, intimanda erat per judicem loci, ubi reus degebat, ad instantiam citantis.[2]

2° Utrum idem dicendum sit de citatione verbali, de qua loquimur, controvertitur. Bouix[3] affirmat posse citationem reo intimari per nuntium, et a fortiori per epistolam, a citante missam, eo quod hic actus non sit actus jurisdictionis in territorio alieno, sed mera executio. Alii vero canonistae communiter hoc negant, quia citatio est actus judicialis, ideoque contentiosae jurisdictionis. Quare uti dicunt nullius est roboris citatio data a judice extra proprium territorium manente, aut sua auctoritate executam contra reum stantem in alterius territorio.[4] Hinc, uti aiunt, intimatio in casu fieri debet per *litteras remissoriales.* Id est, scribere debet judex qui citat ad judicem loci in quo moratur citandus, petendo ut is posterior judex vel veniam tribuat judici citanti intimationem exequendi, vel ipsemet per suos ministros hanc exequatur.[5] (Cf. nostrum *Elements*, vol. II. n. 999.)

**1068.** *Quaer.* Quid faciendum sit postquam citatio reo intimata fuerit?

*Resp.* Quovis modo citatio fuerit reo intimata, id in actis est referendum, expressis omnibus, quae scire opus est, nimirum die, loco, modo factae citationis, necnon caeteris adjunctis. Ratio est, quia citatio non praesumitur sed probari debet.[6] (Cf. nostrum *Elements*, vol. II. n. 1007.)

## § 5. De Contumacia Rei.

*(Contumacy or Disobedience of the Accused.)*

**1069.** *Quaer.* Quid si citatus non compareat?

[1] Instr. *Cum Magnopere*, art. xiv.

[2] Cap. *Romana*, 1, de for. com. in 6° (ii. 2); ib. glossa, v. *contrahentes.*

[3] De Jud. vol. II. p. 161.

[4] L. ult. ff. de jurisd. om. jud.; Devoti, l. 3, t. 5, n. 14; Ferrante, p. 148.

[5] Cf. Schmalzg. l. 2, t. 3, n. 23.

[6] Devoti, l. c.; Ferrante, l. c.

*Resp.* Citatus reus, si intra peremptorium terminum in citatione assignatum comparere negligat, contumax efficitur, nisi justa exceptione se tueatur. Nam judicem contemnere videtur (contumacia a contemnendo dicitur), qui legitime vocatus, absque justa causa, non obtemperat. Contumacia enim nihil aliud est quam inobedientia erga judicem. Diximus, nisi justa exceptione vel causa se tueatur. Quae autem sint justae causae quae a contumacia excusant, vide apud nostrum *Elements*, vol. II. n. 1013 sq.

**1070.** *Quaer.* Quomodum procedendum sit contra reum contumacem?

*Resp.* Contumacia praesumptionem contra reum, seu argumentum reitatis suppeditat, non tamen probationem legalem delicti.[1] Quapropter reitas contumacis, legaliter est probanda, eodem modo ac si contumax in curia adesset.[2] Vide nostrum *Elements*, vol. II. n. 1016; nostrum *New Procedure*, n. 297, 298.

## § 6. Inductiones et Exceptiones a Reo Exhibitae ante Contestationem Delicti.

*(Statements and Exceptions made by the Accused, Prior to the Plea.)*

**1071.** *Quaer.* Quid vero agendum, si reus citatus, coram judice compareat?

*Resp.* Responsio his verbis S. C. de Prop. Fide, Instr. *Cum Magnopere*, art. xxv., exhibetur: "Verum si ad examen accedat, audiatur; et ubi inductiones alicujus valoris exhibeat, eae quantum fieri potest, accurate discutiantur." Quare reus citatus, statim ac in judicium venit et proinde ante delicti contestationem, potest, tum ad judicis interrogationes, tum proprio motu, inductiones (*statements*) et exceptiones (*exceptions*) exhibere, quibus actio vel causa contra ipsum intentata, vel omnino perimitur, vel saltem retardatur.[3]

**1072.** Diximus *tum ad judicis interrogationes;* nam reus in judicio constitutus, confestim ad summarium examen

[1] Arg. Cap. 4, de dol. et contumacia, (ii. 14).
[2] Conc. Pl. Balt. III. n. 313.
[3] Cf. totum tit. de except. l. 2, t. 25.

admitti solet, ut suam innocentiam ostendere valeat.[1] In hoc autem examine, interrogatur reus a judice vel promotore fiscali primum circa generalia de nomine, aetate, statu etc., deinde circa specialia de factis, circumstantiis delicti,[2] etc. Reus autem non debet juramentum praestare, nisi quatenus examinatur uti testis quoad alios.[3] Melius est ut reus parce loquatur. Nam "nulli tacuisse nocet; nocet esse locutum."[4]

**1073.** *Quaer.* Quid sint exceptiones rei, et quo jure reo competant?

*Resp.* 1° Exceptiones (a verbo excipere, *to except against, to object to*) sunt allegationes rationum, quibus reus actionem contra se institutam vel retardat vel penitus elidit.[5] 2° Reus habet jus opponendi rationabiles exceptiones ex ipso jure naturali; pertinent enim ad justam defensionem, et proinde nec ab ipso S. Pontifice tolli possunt.[6]

**1074.** *Quaer.* Quotuplicis generis sint exceptiones?

*Resp.* Exceptiones in foro ecclesiastico dividuntur praecipue in dilatorias (*dilatory exceptions*) et peremptorias (*peremptory exceptions*). Peremptoriae exceptiones dicuntur illae quae actionem omnino perimunt; dilatoriae vero illae, quae illam tantum differunt ad tempus.

**1075.** *Quaer.* Quaenam sint praecipuae exceptiones dilatoriae, et quando sint faciendae?

*Resp.* 1° Aliquae respiciunt (*a*) *judicem*, vel ejus auditorem seu assessores, quibus nempe contenditur eum esse suspectum vel incompetentem, vel juris imperitum; (*b*) aliae *actorem* seu *procuratorem fiscalem*, ut si reus opponat quod sit excommunicatus; (*c*) aliae *ipsum reum*, v.g. si reus dicat se a curia Episcopali fuisse spoliatum, seu illegitime a munere et officio dejectum, et propterea petat se prius in integrum restitui quam respondere cogatur; (*d*) aliae alios curiae officiales, v.g. cancellarium seu secretarium; (*e*) aliae locum, tempus etc. judicii, v.g. si reus opponat terminum citationis esse nimis angustum; (*f*) aliae causam ipsam, ut si dicat libellum procura-

[1] Soglia Vecch. l. 4, § 45.
[2] Ferrari, l. 3, t. 16, n. 895.
[3] Bened. XIII. in Conc. Rom. t. 23.
[4] Rota, Ench. n. 709.
[5] L. 2 ff. de Except.
[6] Schmalzg. l. 2, t. 25, n. 7, 8.

toris fiscalis (*the charges of the dioecesan prosecutor*) esse ineptum, obscurum, etc.

2° Omnes exceptiones dilatoriae ante delicti contestationem opponendae sunt,[1] nisi postea suboriantur vel postea innotescant, vel gravamen tractum habeat successivum.[2]

**1076.** *Quaer.* Quaenam sint praecipuae exceptiones peremptoriae, et quando sint opponendae?

*Resp.* 1° Exceptiones peremptoriae duplicis potissimum sunt generis (*a*) quaedam contendunt actionem quae competebat, esse extinctam, uti sunt exceptiones rei judicatae, compromissi, praescriptionis. (*b*) Aliae opponunt actionem seu accusationem competere quidem adversario seu procuratori fiscali, sed illam elidi posse, cujusmodi sunt exceptiones doli (*deceit, fraud*), metus (*fear*), erroris (*error*). Cf. nostrum *Elements*, vol. II. n. 1026 sq.; *New Procedure*, n. 307 sq.

2° Peremptoriae exceptiones non modo ante contestationem delicti, sed etiam postea in qualibet judicii parte recte opponuntur.[3]

**1077.** *Quaer.* An reus exceptiones suas probare debeat?

*Resp.* Reus exceptione quasi actor (*plaintiff*) efficitur quoad exceptionem. Proinde exceptionem suam probare debet; alioquin nullum habebit effectum.[4]

**1078.** *Quaer.* Utrum procurator fiscalis seu actor exceptionibus a reo propositis respondere possit?

*Resp.* Affirmative. Aequum enim est, ut sicut reo concedantur exceptiones, ita et procuratori fiscali replicatio (*answer*), seu jus illas refutandi tribuatur. Reus autem semper ultimus est in respondendo.[5]

**1079.** *Quaer.* Quis ordo servandus sit a judice seu auditore in discutiendis et definiendis exceptionibus?

*Resp.* Exceptiones quae a reo proponuntur, plures saepe causas et quaestiones inducunt quae certo ordine a jure definito tractandae sunt, qui *ordo cognitionum* appellatur (*order of discussing and deciding exceptions*). Iste ordo

[1] Cap. 20, de Sent. et re jud.
[2] Cap 4, de Except.; Devoti, l. c. tit. 10, n. 9.
[3] Nostrum *Elements*, vol. II. n. 1033, 1034.
[4] Ib. n. 1032. [5] Ib. n. 1028; Huguenin, n. 816.

regulariter dignoscetur si duae sequentes regulae applicantur: 1° Quoties plures concurrunt quaestiones prius cognoscenda est quaestio, a qua altera pendet; 2° Si neutra quaestio ab altera pendet, prius proposita, prius quoque tractanda est; 3° Exceptio spolii (*the exception of spoliation*) a reo proposita, v.g. quod fuerit ab officio rectoris dejectus absque processu judiciali—hoc praecipuum habet, ut ea sit expendenda, antequam proposita actio cognoscatur. Si reus probat se fuisse spoliatum, ante omnia res ablata—v.g. officium rectoris—ei restituenda est, et nonnisi post hanc restitutionem, potest judex procedere in causa criminali contra eum intentata.[1] (Cf. nostrum *Elements*, vol. II. n. 1097–1107.)

## § 7. Delicti Contestatio.

(*The Plea of the Accused.*)

**1080.** Postquam autem propositae et discussae fuerunt praedictae omnes rei exceptiones et inductiones, et quaedam ex illis admissae, aut omnes rejectae extiterunt per judicem, vel forsan reservatae ad meritum causae, id est, ad sententiam definitivam, procedit judex seu auditor, instante procuratore fiscali, ad delicti contestationem, uti etiam constat ex his verbis Instr. *Cum Magnopere,* art. xxvi.: "Dein aceedendum est ad contestationem delicti."[2]

**1081.** *Quaer.* Quid proinde sit delicti contestatio, et quomodo peragatur?

*Resp.* 1° Delicti contestatio est narratio et affirmatio delicti a procuratore fiscali coram judice facta, et congrua rei responsio, seu delicti negatio ex parte rei animo litigandi.[3]

**1082.** 2° Fit autem hoc modo: Judex assignat promotori fiscali terminum ad exhibenda capitula (*the specifications or counts of the indictment*) simulque citat reum ad illa audienda eisque respondendum. Statuto die leguntur reo haec capitula, et de unoquoque seu de singulis capitulis interrogat eum judex sive auditor, an fateatur, an vero neget. Perficitur proinde delicti contestatio per lectionem capitulorum (*by the reading of the charges*) a procuratore fiscali exhibitorum, ac per res-

[1] Cap. 7, de Rest. spol. (ii. 13); Devoti, l. 3, t. 11, n. 6 sq.

[2] Cf. tot. tit. 5 et 6, l. 2, de lit. cont. [3] Pellegr. p. 111.

ponsiones rei negativas, sive quoad omnia capitula, sive quoad nonnulla tantum. Non requiritur ut hoc fiat conceptis verbis, seu solemniter, sed sufficit ut fiat sine certa formula.[1] Nam processus criminalis in Instr. *Cum Magnopere* praescriptus est processus summarius, non vero solemnis.

**1083.** 3° Capitula autem in casu (*the different counts or specifications of the charges*) nihil aliud sunt quam quaedam distincta capita accusationum breviter exposita, prouti continentur in libello accusatorio, a procuratore fiscali ante rei citationem judici porrecto, et ab illo mutata aut emendata postquam rei inductiones et exceptiones discussae fuerunt. Proinde capitula idem sunt ac libellus accusatorius. In dandis hisce capitulis, seu in conficiendo libello accusatorio, poterit procurator fiscalis hac vel simili formula uti : "Fiscus (*the dioecese, the Bishop's Court*) ponit (*charges or asserts*), et quatenus negatur, probare intendit 1° . . . 2° . . . 3° . . . ; et dicit horum capitulorum probationem satis emersisse ex processu informativo." Non tamen in hisce capitulis, sicut nec in libello accusatorio, nominantur testes, quia nondum supponitur facta legitimatio processus informativi.[2] (Cf. nostrum *Elements*, vol. II. n. 1070 sq.; *New Procedure*, n. 316 sq.)

## ART. II.

### TELA PROCESSUS, QUA CAUSA INSTRUITUR, SEU PROBATUR.

(*Stages of the Trial, by which the Charges are Proved, by the Fiscal Procurator, or Disproved by the Accused.*)

**1084.** In hoc judicii stadio, procuratoris fiscalis est accusationes probare, idque per testes, instrumenta, etc., et rei seu ejus advocati, has probationes aliis contrariis testibus, etc., refutare.

### § 1. Probatio Delicti ex Parte Procuratoris Fiscalis.

(*How the Fiscal Procurator Proves the Charges.*)

**1085.** *Quaer.* Quid sequatur contestationem delicti?

*Resp.* 1° Post delicti contestationem, uti supra, et reo cri-

[1] Rota, Ench. p. 471. [2] Bouix, de Jud. vol. II. p. 211.

men negante, ad probationes deveniendum est[1]. Quapropter quae capitula reus negavit, probanda nunc sunt a procuratore fiscali. Hinc procurator fiscalis nunc coram judice seu auditore, et praesente reo necnon ejus patrono sive advocato, depositiones testium, documenta, etc., in processu informativo collecta et in actis redacta producit in probationem delicti. Hoc ita exprimitur in Instr. *Cum Magnopere*, art. xxvi: "Deinde accedendum est ad contestationem argumentorum quae prostant, ut inquisitus et culpabilis habeatur, et in poenas canonicas incurrisse censeatur."

**1086.** 2° Itaque testes qui in processu informativo, jam auditi sunt inscio reo, rursus citari, et examinari debent a judice vel procuratore fiscali, coram reo,[2] vel si id haud expediri videatur,[3] coram advocato a reo electo, qui et ipse testes interrogare potest, per judicem. Modus autem hujus testium examinis, hic est: (*a*) emisso juramento a teste legitur ab actuario seu secretario prima testis depositio, et interrogatur testis an deposita ab ipso in primo examine adhuc tamquam vero deponat;[4] (*b*) deinde datur reo, vel si reus ipse excludatur, ejus advocato facultas testem interpellandi et interrogandi (*cross-examination*); (*c*) dimisso teste, vocantur successive alii, et pari modo examinantur.[5]

**1087.** Hic autem modus repetendi testes jam in processu informativo examinatos in pluribus curiis episcopalibus tum Galliae, tum etiam hujus regionis, viget, et nullo modo contrarius esse videtur sacris canonibus,[6] vel Instr. *Cum Magnopere.* Insuper congruit quam maxime indoli hujus regionis. In tribunalibus enim nostris civilibus, in causis criminalibus, primum testes seorsum et secreto a magnis juratoribus (*by the grand jury*) examinantur, absente reo; postea vero coram tribunali interrogantur, praesente reo et ejus advocato, qui et ipse testes potest interpellare.

**1088.** 3° Si vero haud fieri potest, propter gravia incom-

[1] Quoad probationes, vide Decret. lib. 2, t. 18, 19, 20, 21.

[2] Huguenin, n. 844; Soglia Vecch. l. 4, § 45.

[3] Potest enim reus ipse a personali confrontatione excludi, si judici ita videatur, ex causa gravi.

[4] Cf. Conc. Pl. Balt. III. n. 314.

[5] Cf. Bouix, de Jud. vol. II. p. 221.

[6] Craiss. Man. n. 5714; Devoti, l. 3, t. 9, § 17.

moda, ut testes sic rursus examinentur coram reo, vel ejus advocato, sufficit ut eorum testimonium reo aut ejus advocato legatur,[1] vel per copiam tradatur, et ipsi fiat facultas porrigendi interrogatoria (*cross-questions*), super quibus postea testes denuo citati, interrogandi sunt a judice.[2]

**1089.** 4° Praeter testes, instrumenta, etc., in processu informativo adducta, potest procurator fiscalis, nunc alios testes, etc., coram judice producere.

**1090.** 5° Deinde fit publicatio processus informativi et offensivi. Aliis verbis, totus processus, hucusque habitus, reo communicatur, idque vel omnia acta coram illo legendo, vel, copiam illorum ipsi dando, ut sese defendere possit. Ubi tamen reus jam ex productis a procuratore fiscali probationibus noverit quae contra ipsum in actis exstant, inutile videtur ut rursum nova aliqua publicatio nunc ei fiat. (Cf. nostrum *Elements*, vol. II. n. 1117 sq.; nostrum *New Procedure*, n. 331 sq.)

## § 2. Refutatio Probationum Procuratoris Fiscalis, seu Defensio Rei.

(*The Defence of the Accused, or the Refutation of the Proofs advanced by the Fiscal Procurator.*)

**1091.** *Quaer.* Quando et quomodo rei incipiat et peragatur defensio?

*Resp.* 1° Postquam procurator fiscalis omnes suas probationes coram judice seu auditore, uti supra ostendimus, produxerit, et reo, ex his, innotescunt quae contra ipsum in actis exstant, competit ipsi jus sese defendendi, id est, plena facultas ea omnia coram judice producendi quae ad suam defensionem conferre possunt.[3] Hoc ita a S. C. de P. F. Instr. *Cum Magnopere*, art. xxvii., exprimitur: "Inquisitus, ubi ex his noverit quae in actis contra ipsum relata sunt, respondere potest." In hunc finem judex reo assignat terminum competentem, ad

[1] Form. S. C. EE. et RR. apud nostrum *New Procedure*, pp. 291, 292.

[2] Per repetionem testium, vel per lecturam testimonii, fit legitimatio processus informativi.

[3] Defensio est juris naturalis, et proinde neque ab ipso S. Pontifice tolli potest.

defensionem suam peragendam, id est, ad producendos testes, instrumenta, etc.

**1092.** 2° Constituto die, potest et debet reus, vel per se, vel per suum advocatum, testes, instrumenta, et alia media defensionis coram judice producere. 3° Singuli testes ad defensionem producti, more solito, coram judice seu auditore examinantur. Aliis verbis, a judice citandi sunt (nisi sponte, regante reo, veniunt); deinde delato prius juramento, separatim examinantur, etc. Fit etiam productorum pro parte rei instrumentorum examen.[1]

**1093.** 4° Sicut potuit reus contra testes sibi oppositos exceptiones proponere, illosque interrogare, ita potest procurator fiscalis, contra testes ad defensionem rei productos excipere, necnon illos interpellare; potest etiam alios testes producere, ad refutandos testes a reo productos. Sed reo semper competit ultima productio. 5° Insuper potest reus scriptam sui defensionem exhibere.[2]

**1094.** *Quaer.* Quid de libello compositionis?

*Resp.* Ubi post procuratoris fiscalis probationes adductas videat reus se causa periclitari, potest, loco se defendendi, recurrere ad Episcopum pro gratia. Episcopus enim adinstar principis gratiam de delictis, ex justa causa, impertiri potest.[3] Hic autem recursus fit per *libellum compositionis* (*a written request for an adjustment or settlement of the case*), in quo reus, quin expresse suum fateatur delictum, se justae judicis poenae submittit, ea conditione, ut ipse judex processui finem, et fisco silentium imponat. Quo accepto libello, poterit Episcopus petitis indulgere.[4] De rei defensione, vide etiam nostrum *Elements*, vol. II. n. 1128–1134; nostrum *New Procedure*, n. 369 sq.

## § 3. Conclusio Processus et Summarium Auditoris.

(*End of the Taking of Testimony and Resumé of the Auditor.*)

**1095.** *Quaer.* Quid de fine processus dicendum?

[1] Bouix, de Jud. vol. II. p. 223.
[2] Instr. *Cum Magnopere*, art. xxvii., xxviii.
[3] Cf. Instr. *Cum Magnopere*, art. iii.
[4] Ferrari, n. 899; Bouix, de Jud. vol. II. p. 545.

*Resp.* Quando reus nihil novum habet ad sui defensionem producendum, clauditur processus a judice vel auditore. Deinde auditor restrictum (*a resumé, an analysis of the evidence pro and con*) conficiet totius processus. Patet ex his verbis S. C. de P. F. Instr. *Cum Magnopere,* art. xxix.: "Absoluto processu redactor actorum summarium praecipuorum argumentorum, quae ex ipso elucent, conficiet."

**1096.** *Quaer.* Qualis debeat esse hic restrictus?

*Resp.* In suo summario, auditor primo summatim varia processus stadia dinumerare debet. Deinde aequa lance et sine partium studio, probationes tum a procuratore fiscali tum a reo vel ejus advocato allatas diligenter perpendat, et ostendat qualem vim et pondus, inspecto jure canonico, habeant. Propriam opinionem non pandat, sed simpliciter exprimat quid, juxta leges ecclesiae, consequi videatur ex probationibus tum fisci, tum rei. (Nostrum *New Procedure,* n. 391 sq.)

## ART. III.

### DECISIO CAUSAE.

(*The Final Sentence.*)

Huc spectant allegationes in jure et in facto, et sententiae prolatio.

### § 1. Allegationes in Jure et in Facto tum Fisci tum Rei.

(*Summing up or Final Arguments of the Prosecution or Defence.*)

**1097.** *Quaer.* Quid de hisce allegationibus dicendum?

*Resp.* Postquam processus fuerit absolutus, et auditor summarium confecerit, competens terminus tum procuratori tum rei advocato assignatur a judice, ad allegandum tum in jure tum in facto, quidquid voluerint.

**1098.** *Quaer.* Quid sit allegare in jure et in facto, seu proponere causam?

*Resp.* De jure communi est discussio finalis seu ultima, tum ore tum scriptis, meritorum causae, coram judice, ante sen-

tentiae prolationem.[1] Fit autem de jure communi hac ratione. Die constituto, tum procurator fiscalis tum defensor rei comparendo coram judice reassumunt (*sum up*), tum scriptis tum oretenus, omnia indicia, praesumptiones, testium depositiones, instrumenta, etc., quae ex processu elucent, et quidem procurator fiscalis pro fisco, et defensor pro reo, ita tamen ut semper ultimo loco audiatur defensor rei.[2]

**1099.** Huic methodo a jure communi praescriptae congruit Instr. *Sacrae Haec* EE. et RR. 11 Juni, 1880, uti constat ex art. xxxii. et xxxiii., ubi facultas tum defensori accusati, tum procuratori fiscali conceditur suas exhibendi deductiones primo *in scriptis,* et postea etiam *oretenus,* uti constat ex art. xxxvii.

**1100.** *Quaer.* Quomodo apud nos faciendae sint hae allegationes in jure et in facto?

*Resp.* 1° Responsio patet ex Instr. *Cum Magnopere,* art. xxxii., xxxiii., xxxiv. Itaque allegationes in jure et in facto solummodo *in scriptis,* non vero oretenus exhiberi possunt ac debent, et quidem ante diem quo sententia est proferenda.

2° Ut autem munus suum rite possit adimplere, rei defensor jus habet inspiciendi in curia episcopali totum processum, id est omnia prorsus acta judicialia, necnon summarium ab auditore confectum. Idem jus procuratori fiscali competit, qui eodem modo ac defensor rei, conclusiones suas in scriptis exarare debet, quae quidem rei defensori sunt communicandae. Cum autem hac ratione defensor rei tum processum, tum auditoris restrictum, tum allegationes finales fisci bene perspectas habet, suam ultimam rei defensionem etiam in scriptis conficit, allegando quae tum in jure tum in facto reo favent. (Cf. nostrum *Elements,* vol. II. n. 1134 sq.; nostrum *New Procedure,* n. 394–417.)

### § 2. Sententiae Prolatio.

(*Pronouncing of Final Sentence.*)

**1101.** *Quaer.* Quid immediate praecedere debeat sententiae prolationem?

[1] Nostrum *Elements,* vol. II. n. 224.

[2] Pellegr. p. 440 sq.; Bouix, l. c. p. 224.

*Resp.* Postquam tum procurator fiscalis, tum rei defensor suas allegationes seu conclusiones in jure et in facto ediderint, ut supra, omnia ad Ordinarium remittuntur qui, ubi in plenam causae cognitionem devenerit, diem constituet in qua sententia dicenda sit.[1] Deinde citandus est reus, vel ejus defensor ad sententiam audiendam. Haec citatio est de substantia judicii, etiam juxta Instr. *Cum Magnopere*, adeo ut ea omissa, nulla et invalida esset ipsa sententia.[2]

**1102.** *Quaer.* Quomodo proferenda sit sententia?

*Resp.* Responsio patet ex his verbis Instr. *Cum Magnopere*, art. xxxiv.: "Praestituta die, ab Episcopo vel vicario generali, praesente procuratore fiscali et defensore, sententia pronunciatur, ejusque pars dispositiva cancellario dictatur, expressa mentione facta, si damnationi sit locus sanctionis canonicae, quae contra imputatum applicatur."

**1103.** Itaque pronunciari debet sententia 1° ab Episcopo vel vicario generali; 2° die, hora et loco constituto in citatione; 3° praesente procuratore fiscali, et defensore rei (necnon ipso reo, si velit) necnon cancellario seu secretario; 4° requiritur ut sententia sit scripta; 5° et ut legatur ore proprio a judice ipso, nec meretur nomen sententiae, si tantum scripta fuerit, et non a judice verbis publice prolata; 6° ut exprimatur causa, ex qua judex motus est ad eam ferendam. Quapropter, ubi sententia est rei condemnatoria, exprimatur necesse est crimen, de quo reus convictus fuerit. 7° Si reus condemnetur, expressa mentio facienda est *sanctionis canonicae*, id est, legis canonicae quae pro delicto in casu poenam imponit. Nam nulla est imponenda poena, nisi ubi lex eam statuit; 8° Denique pars dispositiva sententiae, id est, vel condemnatio, vel absolutio rei, cancellario dictanda est. (Cf. Nostrum *Elements*, l. c. n. 1169 sq.)

**1104.** *Quaer.* Utrum et quomodo sententia ferri debeat secundum allegata et probata?

*Resp.* 1° Sententia ferenda est, non secundum privatam judicis informationem, sed juxta allegata et probata in judicio (*according to the proofs submitted during the trial*). Hinc si

[1] Instr. *Cum Magnopere*, art. xxxiii.; de sententia agit lib. 2, Decret. t. 27.

[2] Clem. 2, de Sent. et re Jud.

reus invenitur innocens, sententia debet esse absolutoria; si ex actis resultet nocens, condemnatoria; partim absolutoria, et partim condemnatoria, si quoad aliqua nocens, quoad aliqua innocens dignoscatur.

2° Sedulo hic animadvertendum est, reum in causis criminalibus absolvendum esse, quando ipsius innocentia et culpabilitas aeque probabilibus fulciuntur rationibus. Imo absolvendus est, etiamsi nocens multo probabilius probetur.[1] Non enim condemnandus est tanquam nocens, nisi *moraliter certo* ut talis probetur.

**1105.** *Quaer.* An et quomodo sententia debeat esse conformis libello?

*Resp.* Debet esse conformis libello accusatorio procuratoris fiscalis (*the sentence should conform to the charges of the fiscal procurator*), id est, debet pronunciare de his solum delictis quae in hoc libello continentur, non vero de aliis.

**1106.** *Quaer.* Utrum et qua ratione sententia reo sit intimanda?

*Resp.* Respondeo hisce verbis Instr. *Cum Magnopere*, art. xxxv.: "Sententia reo intimetur." Itaque copia authentica ipsius sententiae reo est transmittenda, idque vel per nuntium (*by a messenger*), vel per litteras oneratas (*by registered mail*). —Cf. nostrum *New Procedure*, n. 422 sq.

## ART. IV.

### DE APPELLATIONE.

(*On Appeals.*)

**1107.** Quando sententia reo fuit transmissa, potest is contra eam ad ecclesiasticam auctoritatem superioris instantiae appellationem interponere.[2]

Videamus proinde breviter 1° quid sit appellatio; 2° quibus permittatur appellare; 3° a quibus actibus permissum sit apellare; 4° Intra quod tempus appellatio sit interponenda coram

[1] Bouix, de Jud. vol. II. p. 228; Rota, p. 485.

[2] Instr. *Cum Magnopere*, art. xxxv; de Appellatione agit lib. 2, Decret. t. 28.

judice a quo, introducenda apud judicem ad quem ; quomodo prosequenda et finienda. Regulae autem et normae in hisce omnibus servandae indicantur tum in Const. *Ad Militantis,* Bened. XIV. 1742, tum in Instr. *Cum Magnopere.*[1] Has regulas nunc perpendemus.

**1108.** *Quaer.* Quid sit appellatio?

*Resp.* Est ab inferiore ad superiorem judicem facta provocatio, ratione gravaminis illati vel inferendi. Dicitur *ratione gravaminis illati vel inferendi;* nam ab utroque appellari potest, judicialiter, vel extrajudicialiter.[2]

**1109.** *Quaer.* Quotuplex sit appellatio?

*Resp.* Duplex est, judicialis et extrajudicialis. I. *Judicialis* (*the judicial appeal*) est, quae interponitur ab actibus judicialibus, seu de iis, quae in judicium (*trials*) veniunt, et circa istud accidunt. Interponi potest triplici tempore: 1° Ante contestationem litis (*before the plea*), ut si terminum comparendi in judicio nimis brevem judex assignaverit; 2° post illam, sed ante sententiam, qualis est, cum appellatur a sententia interlocutoria; 3° post sententiam definitivam, cum scilicet ab hac, vel ejusdem executione fit appellatio.

II. *Appellatio extrajudicialis* (*extrajudicial appeals*) fit ab actibus, vel decretis extrajudicialibus, quibus aliquis gravatur.[3] (Nostrum *Elements,* vol. I. n. 443 sq.)

**1110.** Appellationi sive judiciali sive extrajudiciali valde similis est *recursus ad S. Pontificem* (*recourse to the Holy See*). Porro sumitur hic recursus pro precibus S. Pontifici porrectis, in quibus, allegata laesione, seu gravamine, petitur ut S. Sedes sententiam seu gravamen extrajudicialiter illatum, contra quod appellatio non competit, revideat ac retractet. Dicitur *Contra quod appellatio* (sive judicialis, sive extrajudicialis) *non competit;* quod accidit v.g. in sententiis *ex informata conscientia* latis, vel ubi lapsa sunt fatalia appellationum. Plurimum differt ab appellatione. Et quidem appellari debet sive judicialiter sive extrajudicialiter intra decem dies; recursus vero fieri potest, usque ad biennium. Iterum appellatio sive

[1] Instr. *Cum Magnopere,* art. xxxvi.-xli.
[2] Schmalzg. l. 3, t. 28, n. 1.
[3] Ib. n. 4; cap. 5, de Appell.; ib. Glossa, v. *solent.*

judicialis sive extrajudicialis, fieri potest ad judicem immediate superiorem v.g. ad metropolitam, recursus nonnisi ad S. Sedem.[1] (Nostrum *New Procedure*, n. 431.)

**1111.** Hisce remediis addi debet *oppositio nullitatis* (*the complaint that the sentence is invalid*), quae nihil aliud est quam provocare contra sententiam a judice latam, eo quod sit *nulla et invalida*, v.g. ob defectum jurisdictionis in judice, vel ob violationem solemnitatum substantialium judicii (*a sentence void, because of the violation of the formalities prescribed for trials*). Porro nullitas haec opponi potest usque ad triginta annos et semper effectum habet suspensivum; etenim "sententia contra canones lata, non potest subsistere ipso jure."[2]

**1112.** *Quaer.* Quinam sint effectus appellationis legitime interpositae?

*Resp.* 1° Generatim duo: (*a*) effectus *devolutivus* (*devolutive effect*), quia per appellationem totius causae cum omnibus ejus accessoriis cognitio, retractatio et dicisio ad superiorem devolvitur; (*b*) et effectus *suspensivus* (*suspensive effect*), quia suspendit jurisdictionem prioris judicis, et consequenter executionem ipsius sententiae.

2° Porro omnis appellatio, sive judicialis, sive extrajudicialis, legitime interposita producit effectum devolutivum. Appellatio judicialis habet etiam effectum suspensivum. Appellatio vero extrajudicialis, aliquando solum devolutivum producit effectum, v.g. in casibus a Benedicto XIV. Const. *Ad Militantis* indicatis, aliquando etiam suspensivum, v.g. ubi agitur de damno irreparabili. Santi[3] insuper dicit: "Appellatio extrajudicialis *suspendit* executionem actus solummodo, quando superior visa causa, quae in appellatione exprimi debet, admittit provocationem, et examen de materia controversa instituit."[4]

**1113.** *Quaer.* Quibus personis permittatur appellare?

*Resp.* Regulariter appellare permissum est 1° omnibus qui gravamen aliquod extra vel intra judicium patiuntur, aut se

[1] Schmalzg. l. c. n. 3.
[2] Cap. 1, de Sent. et re Jud.
[3] Lib. 2, t. 28, n. 3.
[4] Arg. cap. 46, de app; cf. München, vol. I. p. 591.

passuros timent. Nam appellatio, sive judicialis sive extrajudicialis, est species justae defensionis, et propterea ab ipso jure naturae provenit. Quapropter nemini est deneganda.[1]
2° Caeteris quorum interest, seu quibus ex sententia praejudicium vel damnum provenire posset, quamvis contra ipsos directe non sit lata sententia. (Cf. nostrum *New Procedure,* n. 434 sq.)

**1114.** *Quaer.* A quibus actibus permissum sit appellare?

*Resp.* Regulariter loquendo, appellari potest in omnibus causis, sive civilibus sive criminalibus, et ab omni sententia, imo a quocunque alio gravamine illato vel inferendo, etsi extrajudiciale hoc solum sit.[2] (Nostrum *Elements,* vol. I. n. 444, vol. II. n. 1158 sq.; nostrum *New Procedure,* n. 440 sq.)

Diximus *regulariter;* siquidem dantur casus in quibus jus commune, hodie adhuc vigens, etiam in hac regione, appellationem expresse prohibet, idque sive absolute, sive solum quoad effectum suspensivum.[3]

**1115.** *Quaer.* In quibus causis prohibeatur omnino appellatio, tum quoad effectum devolutivum, tum suspensivum?

*Resp.* 1° Vide nostrum *New Procedure,* n. 442–447.

2° Attamen notari hic debet quod in hisce causis, in quibus nulla datur appellatio, potest quis aliis juvari remediis, videlicet (*a*) opponendo nullitatem sententiae; (*b*) per restitutionem in integrum; (*c*) per recursum ad S. Pontificem. Nam semper licet ad Romanum Pontificem recurrere, ut is ex benignitate velit sententiam, contra quam nulla datur appellatio, corrigere.[4] (Nostrum *New Procedure,* n. 431, 446.)

**1116.** *Quaer.* In quibus casibus liceat appellare quidem, sed solum in devolutivo?

*Resp.* 1° Hi casus satis quidem indicati et expressi fuerunt per Const. Innoc. IV., in cap. *Romana* 3, de app. in 6°, ac etiam per varia decreta Concilii Tridentini, itemque per decreta S. C. EE. et RR. 16 Oct. 1600, et 5 Sept. 1626, ac demum per decreta S. C. C. diei 15 Maii 1700.[5]

2° Attamen, ne in re gravissimi momenti, facilis abusuum

[1] Pellegr. l. c. p. 248. [2] Schmalzg. l. 2, t. 28, n. 16.
[3] Reiff. l. 2, t. 28, n. 268. [4] Reiff. l. c. n. 20, 294.
[5] Monacell. Form. leg. parte 2, t.15, form. 2, n. 8.

aditus pateret, Benedictus XIV. in Const. *Ad Militantis,* 30 Martii 1742, praecitata decreta et constitutiones jus commune constituentes, fere omnia uno elencho complectens, velut in indiculo causas omnes in quibus prohibetur appellatio in suspensivo, et permittitur solum in devolutivo, recensuit.

3° Has causas omnes vide recensitas et explicatas in nostro opere cui titulus "*The New Procedure,*" n. 448 sq.

**1117.** *Quaer.* In quibus casibus liceat appellare, etiam apud nos, non solum in devolutio, verum etiam in suspensivo?

*Resp.* Exceptis casibus ubi, ut supra dictum est, appellatio vel absolute prohibetur, vel conceditur quidem, sed solum in devolutivo, appellare licet tum in devolutivo, tum in suspensivo, (*a*) ab omni sententia definitiva; (*b*) a sententia interlocutoria, quando habet vim definitivae, vel quando a definitiva non potest appellari; (*c*) ab omni gravamine, sive judiciali sive extrajudiciali quod per sententiam definitivam reparari non potest.[1] (Nostrum *New Procedure,* n. 485 sq.; nostrum *Elements,* vol. II. n. 1156, 1158, 1159, 1161.)

**1118.** *Quaer.* Intra quod tempus appellatio interponi debeat?

*Resp.* 1° Appellatio a sententia definitiva interponi debet intra decem dies, et quidem apud judicem a quo. Hi decem dies munerari incipient non a die, quo sententia lata est, sed a die, quo reo vel ejus defensori per cursorem, seu per litteras assecuratas (*registered letter*) denuntiata fuit.[2]

2° Appellatio a sententia interlocutoria vel a gravamine extrajudiciali interjici debet intra decem dies post cognitum gravamen.[3] (Nostrum *Elements,* vol. I. n. 444.)

**1119.** *Quaer.* Intra quod tempus hodie, etiam in hac regione, appellatio sit introducenda coram judice ad quem?

*Resp.* Praenotandum: Hodie saltem in causis criminalibus nullus est apostolorum (*letters of the judge* a quo *certifying to the appeal*) usus, sed eorum loco, "appellatione interposita, continuo Curia a qua appellatur, ad judicem ecclesiasticum ad quem appellatum est, omnia acta causae in suis auto-

[1] Bened. XIV. Const. *Ad Militantis,* n. 43.

[2] Instr. *Cum Magnopere,* art. xxxvii.; S. C. EE. et RR. decr. 1835, art. ii.

[3] Cap. 8, de App. in 6°.

graphis, id est, processum, ejus summarium, defensionem ac sententiam mittit."[1]

Hisce praejactis, respondemus hisce verbis S. C. de Prop. Fide, Instr. *Cum Magnopere,* art. xxxix et xl.: "Haec porro superioris instantiae auctoritas (judex ad quem) appellatione cognita, appellanti injungit ut intra *triginta* dies defensorem deputet . . . eo tempore peremptorio frustra elapso, censetur reus beneficio appellationis renuntiasse." Proinde appellatio introducitur coram judice ad quem per deputationem defensoris seu advocati intra supradictum terminum 30 dierum. (Nostrum *New Procedure,* n. 496–503.)

**1120.** *Quaer.* Intra quod tempus prosequenda et finienda sit appellatio?

*Resp.* Intra annum, et ex causa necessaria et evidenti intra biennium, a die interpositae appellationis.[2]

**1121.** *Quaer.* Quonam modo Metropolitanus procedere debeat in apellatione admittenda, cognoscenda et definienda?[3]

*Resp.* Vide Instr. *Cum Magnopere,* art. xxxix, xli; Nostrum *New Procedure,* n. 503 sq.; n. 532 sq.; Nostrum *Elements,* vol. II. n. 1212 sq.

**1122.** *Quaer.* Quaenam speciales regulae servandae sint etiam apud nos in appellatione interponenda et prosequenda, apud S. C. de Prop. Fide?

*Resp.* Indicantur hae regulae in decreto diei 18 Dec. 1835, et epistola circulari diei 1 Aug. 1851, S. C. EE. et RR., prout videre est ex Instr. *Cum Magnopere,* art. xxxvi. (Cf. nostrum *New Procedure,* n. 544–562.)

**1123.** *Quaer.* Quaenam sint alia remedia, praeter appellationem, contra injustam sententiam, seu gravamen?

*Resp.* Sunt uti jam vidimus praecipue: 1° Querela nullitatis; 2° restitutio in integrum; 3° recursus ad S. Pontificem; de quibus vide nostrum *New Procedure,* n. 566 sq.; *Elements,* vol. II. n. 1354, 1355 sq.

[1] Instr. *Cum Magnopere,* art. xxxviii.

[2] Cap. 5, 8, de Appell.

[3] Schmalzg. l. 5, t. 1, n. 1.

# CAPUT II.

## PROCESSUS HODIERNUS EXTRAORDINARIUS IN CAUSIS CRIMINALIBUS CLERICORUM.

*(Extraordinary Trials in Criminal Causes of Ecclesiastics, at the Present Day.)*

**1124.** Per processum seu methodum procedendi extraordinarium in causis criminalibus intelligimus illum modum procedendi in quo, jure ecclesiae id permittente, omitti possunt, vel ex parte, vel ex toto, solemnitates quae in processu quasi-ordinario, hucusque explicato, observandae sunt.

Duae autem praecipuae illorum species numerantur: 1° Processus criminalis ex notorio; 2° Judicia seu modus procedendi ex informata conscientia.

### ART. I.

### PROCESSUS EX NOTORIO.

*(Trial or Proceedings when the Crime is Notorious.)*

**1125.** *Quaer.* Quotupliciter delictum aliquod dicatur esse notorium?

*Resp.* Tripliciter, nempe notorietate juris, praesumptionis, et facti. Loquimur hic tantummodo de notorietate facti. Porro delictum est notorium notorietate facti, quando perpetratum est in oculis hominum puta totius vel majoris partis alicujus viciniae, parochiae, collegii, etc.[1]

2° Triplici autem modo potest delictum aliquod esse notorium notorietate facti, nempe modo permanente (*a crime which is notorious permanently*), modo transeunte (*transient notoriety*), modo interpolato (*interrupted notoriety*). Cf. nostrum *New Procedure,* n. 100.

**1126.** *Quaer.* Quonam modo procedere possit judex ecclesiasticus, contra aliquem notorie delinquentem?

[1] Can. 14, 16, c. 2, q. 1.

*Resp.* Non tenetur, per se, judex consuetum judiciarium ordinem observare, seu processum instruere ad delictum probandum. Nam notorietas ipsa censetur esse probatio criminis.[1] Unde non requiritur accusatio vel denuntiatio, neque libelli accusatorii oblatio neque delicti contestatio. Necessaria autem est citatio ad audiendam sententiam, imo juxta multos, requiritur etiam citatio ad processum, in quo reo exponitur factum, pro quo citatur, et ejus auditur defensio.[2] Diximus *per se:* quia, si forsan excipias casum notorii facti permanentis, consultius est consuetum processum instituere. (Nostrum *New Procedure,* n. 102.)

**1127.** *Quaer.* Quid requiratur ut ratione criminis notorii judex procedere adversus reum possit, ordine judiciario non observato?

*Resp.* 1° Delictum seu factum debet esse notorium, non solum in se, sed etiam in ratione delicti. 2° Debet judici legitime et certo constare, v.g. per testium depositiones, de hac notorietate. Cum autem multa dicuntur notoria, quae non sunt, ideo tutius aget judex ecclesiasticus si, qualecumque delictum videatur esse notorium, consuetum judicii ordinem observat, vel saltem processum summarium de delicti notorietate instruit. (Nostrum *Elements,* vol. II. n. 1263.)

**1128.** Quapropter Concilium Plenarium Baltimorense III. n. 310, praeclare ait: "Animadvertant autem Episcopi, hoc uno casu excepto (scilicet judicio ex informata conscientia), nullam poenam repressivam adhiberi debere, nisi praevio processu judiciali, *ita ut etiam in causis quae dicuntur ex notorio, omnino consultius sit processum summarium de delicti notorietate instruere, antequam poena infligatur.*" (Nostrum *New Procedure,* n. 108 sq.; Nostrum *Elements,* vol. II. n. 1262 sq.)

**1129.** *Quaer.* Quomodo procedere possit judex contra reum in delicto flagranti deprehensum (*caught in the very act*)?

*Resp.* Eodem modo, mutatis mutandis, ac in delicto notorio.

[1] Ferrari, n. 913.

[2] Instr. *Cum Magnopere,* art. ix.

## ART. II.

### JUDICIUM CRIMINALE SEU MODUS PROCEDENDI CONTRA DELICTA, EX INFORMATA CONSCIENTIA.

(*Procedure against Offences, from an informed Conscience.*)

**1130.** Animadvertant Episcopi, ait Concilium Plenarium Baltimorense III. n. 310, hoc uno casu excepto, scilicet, in quo locum habet modus procedendi ex informata conscientia, nullam poenam repressivam adhiberi debere, nisi praevio processu judiciali.[7] Hanc extraordinariam proinde potestatem crimina puniendi ex informata conscientia, nunc brevissime expendemus. Videamus igitur 1° quid sit Episcoporum potestas procedendi ex informata conscientia; 2° quaenam poenae hoc modo imponi possint; 3° quis sit modus procedendi; 4° in quibus causis seu delictis hic modus adhiberi queat.

**1131.** *Quaer.* Quid sit judicium seu sententia ex informata conscientia?

*Resp.* Est, ut ita dicam, judicium prorsus extrajudiciale. Aliis verbis, est modus procedendi contra delicta, illaque poenis coercendi, absque ullo prorsus processu praevio. Quapropter potestas Episcoporum procedendi ex informata conscientia nihil aliud est quam potestas crimina puniendi absque ullis formalitatibus judicialibus. Origo hujus potestatis quatenus in clerum *saecularem* exercetur, a Concilio Tridentino repetenda est.[1]

**1132.** *Quaer.* Quid sit modus procedendi in hoc judicio?

*Resp.* 1° Modus est omnino extrajudicialis. Ideoque nullus omnino requiritur processus judicialis, et proinde nulla accusatio seu denuntiatio ex parte procuratoris fiscalis, nulla citatio rei, nulla defensio ex parte rei, etc.[2]

**1133.** 2° Attamen ex eo quod valeant Episcopi in quibusdam casibus absque juridico processu reos punire, non sequitur, id eos posse, antequam ipsis certo constet de delicto. Sequitur tantum non requiri, ut probationes sint legales seu juridicae, id est, in juridico processu obtentae. Proinde suf-

[1] Conc. Trid. sess. XIV, cap. 1 de Ref.

[2] S. C. de P. F. Instr. supra susp. ex inf. consc. § 2.

ficiunt probationes extrajudiciales. Sed probationis illae tales esse debent, ut non solum Episcopum convincere valeant, verum etiam S. Sedem, in casu recursus. Quapropter probationes in casu eae esse debent quae, si in judicio deducerentur. vim juridice probandi haberent.[1] (Cf. nostrum *Elements*, vol. II. n. 1279 sq.)

**1134.** 3° Patet autem ex dictis, hanc potestatem seu modum procedendi esse omnino extraordinarium.[2] Nam, uti vidimus nullae adhibentur formae judiciales; nulla requiritur rei defensio. Jam vero defensio rei, quoad substantiam est juris naturalis, quod a nemine, ne a S. Pontifice quidem tolli potest. Potest tamen S. Pontifex declarare hoc jus naturale, in certis extraordinariis rerum adjunctis, non habere locum, saltem in prima instantia. Hoc sensu, sane dicendum est Sacrum Concilium Tridentinum potestatem Episcopis concessisse procedendi ex informata conscientia.

Diximus, *saltem in prima instantia,* nam datur recursus ad S. Pontificem contra hujusmodi sententias; et tunc recurrens sese defendere potest coram Sede Apostolica. Quapropter ablata non est, ex toto, sese defendendi facultas in judiciis ex informata conscientia.

**1135.** *Quaer.* Quas poenas Episcopus infligere possit extrajudicialiter seu ex informata conscientia?

*Resp.* Has duas solummodo: 1° prohibitionem ad sacros ordines ascendendi; 2° suspensionem (*a*) ab ordinibus jam susceptis, (*b*) necnon a gradibus vel dignitatibus ecclesiasticis.[3] Hinc erraret Episcopus qui licitum sibi existimaret, ex informata conscientia seu extrajudicialiter, quemquam excommunicare, beneficio, officio ecclesiastico, parochia sive missione privare, etc.[4] (Nostrum *Elements,* l. c. n. 1286.)

**1136.** *Quaer.* Quas ob causas possit Episcopus praefatas poenas infligere ex informata conscientia?

*Resp.* 1° Solum ob delictum, et quidem ob delictum *occultum.* Patet etiam ex his verbis S. Congr. de Prop. Fide, Instr. *Supra susp. ex inf. consc.,* n. 6: "Suspensioni ex informata

[1] Bouix, de Jud. vol II. pp. 314, 348.
[2] S. C. de P. F. Instr. supr. susp. ex inf. consc. 1884, § 13.
[3] Conc. Trid. sess. 14, c. 1, de Ref. [4] Bouix, l. c. p. 341.

conscientia, justam et legitimam causam praebet *crimen*, seu culpa a suspenso commissa. Haec autem debet esse *occulta*, et ita *gravis*, ut talem promereatur poenam." (Cf. Nostrum *New Procedure*, n. 91 sq.)

2° Imo neque pro occultis delictis debet hic modus procedendi adhiberi, nisi gravissimae suadeant rationes.[1]

**1137.** *Quaer.* Cuinam competat facultas procedendi ex informata conscientia?

*Resp.* 1° Episcopo et Praelato regulari quoad suos subditos. Utrum vero vicario generali, seclusa speciali delegatione, competat, merito dubitatur. Probabiliter competit etiam capitulo cathedrali, sede vacante, ac proinde vicario capitulari (apud nos, dioeceseos administratori).[2]

**1138.** *Quaer.* Utrum et quale remedium adversus hujusmodi sententias reo praesto sit?

*Resp.* Non datur appellatio, sive suspensiva, sive devolutiva, neque ad metropolitanum, neque ad ipsam S. Sedem, sed solum recursus ad S. Sedem.[3] (Cf. nostrum *New Procedure*, n. 84 sq.)

---

# CAPUT III.

## PROCESSUS HODIERNUS QUASI ORDINARIUS IN CAUSIS CIVILIBUS CLERICORUM, AD FORUM ECCLESIAE PERTINENTIBUS.

(*The Present Quasi Ordinary Trial in Civil Matters of Ecclesiastics, Belonging to the Ecclesiastical Forum.*)

Hucusque de processu criminali in causis clericorum actum est. Impraesentiarum breviter dicemus tum de processu in causis civilibus clericorum, tum de processu in causis matrimonialibus laicorum.

[1] Prael. S. Sulp. vol. III. n. 692. [2] Ib. n. 691.
[3] Instr. S. C. de P. F. supra susp. ex inf. consc. n. 11, 12.

## ART. I.

### NOTIO, DIVISIO, ET MATERIA PROCESSUS CIVILIS ECCLESIASTICI.

***(Nature, Division and Subject Matter of Ecclesiastical Civil Trials.)***

**1139.** *Quaer.* Quid et quotuplex sit processus civilis in foro ecclesiastico?

*Resp.* 1° Sicut in foro saeculari, ita et in foro ecclesiastico, habentur non solum criminales, sed et civiles processus. Processus autem civilis ecclesiasticus est ille in quo non agitur de poena ecclesiastica pro delicto imponenda, sed de alia re vel materia ecclesiastica, circa quam lis seu controversia orta est. Hujusmodi contraversiae vocantur *causae civiles.*

2° Processus civilis est (*a*) vel ordinarius seu solemnis (*the formal civil trial*) (*b*) vel summarius seu extraordinarius (*summary civil trial*). Verum, hodierna aetate, omnes causae civiles ecclesiasticae per processum summarium dirimuntur.[1] Proinde agemus solummodo de processu civili summario, qui ex dictis, quasi ordinarius hodie dici potest. (Cf. nostrum *Elements*, vol. II. n. 1328 sq.)

**1140.** *Quaer.* Quaenam sint materiae seu res civiles ecclesiastici fori, in quibus locus est processui civili summario?

*Resp.* 1° *Causae beneficiales clericorum* (*matters or controversies relating to ecclesiastical offices*). Nomine autem causarum beneficialium eas omnes intelligimus civiles seu pecuniarias controversias seu causas clericorum, quae generalissima quadam ratione ad officia ecclesiastica spectant. Proinde inter has causas beneficiales recensenda sunt (*a*) dominium sive plenum sive utile, in res quascunque ad officium ecclesiasticum pertinentes, sive immobiles sint sive mobiles, (*b*) obligationes et contractus quilibet legitimi qui circa easdem res fieri possunt; (*c*) denique jura quaelibet, quae ratione officii ecclesiastici vel ipsius reddituum clerico competere possunt.[2] Ex his enim omnibus, si qua oriatur controversia, haec vel directe vel indirecte, mediate vel immediate ad beneficiales causas revocatur.[3]

[1] Prael. S. Sulp. n. 686. [2] Clem. *Dispendiosam*, 2, de Jud. (ii. 1.)
[3] Sanguineti, n. 634.

**1141.** 2° *Causae matrimoniales* (*controversies relating to marriages*),[1] in quibus tamen, hodie, peculiaris et specialis forma processus servanda est, quae a S. Sede, etiam pro hac regione praescripta est, uti infra videbimus.

**1142.** 3° *Causae nullitatis professionis religiosae* (*controversy regarding the validity of the solemn profession of regulars*), quae etiam speciali norma dirimendae sunt. (Nostrum *Elements*, vol. II. n. 1349 sq.)

## ART. II.

### TELA PROCESSUS SUMMARII IN CAUSIS CIVILIBUS SEU BENEFICIALIBUS CLERICORUM.

(*The Various Stages of the Summary Trial in Causes Relating to Ecclesiastical Offices.*)

**1143.** *Quaer.* Quaenam sint formae substantiales in hoc judicio summario servandae?

*Resp.* Sunt sequentes: 1° Petitio actoris (*the demand of the plaintiff*), sive scriptis sive verbis facta, et actis inserenda; 2° rei citatio saltem simplex; 3° aliqualis seu simplex contestatio litis; 4° juramentum a litigantibus et testibus praestandum; 5° Probationes ex parte actoris, et defensio ex parte rei; 6° Citatio simplex ad audiendam sententiam; 7° sententia in scriptis prolata. Haec omnia elucent ex Clem. *Saepe* 2, de V. S. (v. 11), a quo decreto tenor et forma hujus judicii et processus summarii desumitur. (Nostrum *Elements*, l. c. n. 1352 sq.)

Quare in hoc judicio non est necesse adhibere libellum formalem neque litem proprie seu solemniter contestari, neque sententiam pronunciare pro tribunali sedendo, etc.[2] Singula autem quae in hoc processu requiruntur nunc breviter perstringemus.

**1144.** *Quaer.* Quis sit primus gressus in hoc processu?

*Resp.* Processus hic initium sumit a petitione, quam actor, sive per se sive per procuratorem, judici porrigit, in quo instat aliquid sibi fieri vel praestari. Itaque petitio haec, seu libellus informalis est quasi primus aditus judicii.

**1145.** *Quaer.* Qualis debeat esse haec petitio?

[1] Clem. *Dispendiosam* cit. [2] Ferrari, n. 902, 903.

*Resp.* 1° Potest fieri vel scriptis, vel verbis. Si verbis fit, statim est a notario in acta inserenda. 2° Debet esse clara, simplex et brevis; 3° insuper debet esse *ordinata*, id est, debet continere (*a*) narrationem seu facti speciem (*the statement of the case*), (*b*) fundamentum petitionis seu jus et titulum quem actor contra reum movet, (*c*) ipsam petitionem, qua actor exponit quid a judice sibi tribui velit. His tanquam secundaria accedunt 1° *exordium* quo nomen judicis, non quidem proprium, sed officii et jurisdictionis, actoris pariter, et rei, describitur; 2° *subscriptio* actoris.

2° Effectus autem hujus petitionis praecipuus est, ut processus ordinandus sit, et sententia ferenda secundum petitionis formam.[1]

**1146.** *Quaer.* Quid sequatur post libelli oblationem?

*Resp.* 1° Post libelli seu petitionis porrectionem ab actore, fit citatio rei. Simul cum citatione mittitur petitio seu libellus actoris, ut reus conventus notitiam habeat hujus petitionis, et ad respondendum se parare valeat.

2° Reus (*the defendant*) in jus vocatus, potest ante litis contestationem actorem reconvenire, vel legitimas allegare exceptiones, et quidem (*a*) fori declinatorias (*b*) dilatorias (*c*) peremptorias, ut est exceptio rei judicatae, praescriptionis, transactionis (*agreement, compromise*).[2]

3° Discussis exceptionibus, proceditur ad litis seu petitionis contestationem, quae tamen est simplex et informis, non formalis seu solemnis. Huc spectant positiones et articuli (*the different items, heads, or specifications of the plaintiff's petition*).[3] Cf. nostrum *Elements*, vol. II. n. 1335 sq.

**1147.** *Quaer.* Quid litis contestationem subsequatur?

*Resp.* 1° Post petitionis seu libelli contestationem, praestandum est tum ab actore tum a reo, quin ab eorum procuratoribus, si qui sint, *juramentum* dictum *calumniae*, quo contendentes jurant se sine calumnia, id est, sine mala fide litem aggredi et sustinere.[4]

2° Quo facto, devenitur ad probationes ab actore et defen-

[1] Clem. saepe cit.; De Brab. n. 1198.
[2] Clem. saepe cit. [3] Ib.
[4] Clem. saepe cit.; cf. Insti. R. de M., vol. II., p. 486.

siones a reo producendas. Onus probandi actori incumbit, nisi ei faveat juris praesumptio. Testes qui ab actore in sui petitionis probationem, et a reo, in sui defensionem adducuntur, juramentum de veritate dicenda emittere tenentur.[1]

3° Expletis omnibus probationibus utrimque productis, clauditur processus.

**1148.** *Quaer.* Quid faciendum sit post clausum processum?

*Resp.* 1° Absoluto processu, citantur seu monentur partes, id est, tum actor tum reus, ad dicendum et allegandum (*to sum up*) coram judice, per se vel per advocatos, idque tum scriptis, tum oretenus, quidquid est in sui favorem. (Nostrum *Elements*, vol. II. n. 1348 sq.)

2° Deinde judex sibi exhiberi facit acta omnia causae, ut iis diligenter perpensis, rectam proferre valeat sententiam.

3° His bene perscrutatis, citantur partes, licet non peremptorie, ad audiendam sententiam definitivam quae scriptis consignata, judicis ore legenda est.[2]

4° Prolata sententia, si ab ea non fuerit appellatum intra decem dies, executioni mandatur.

**1149.** *Quaer.* Quotuplex detur remedium contra injustam sententiam, in causa civili ecclesiastica?

*Resp.* Potissimum triplex: 1° appellatio; 2° querela nullitatis; 3° restitutio in integrum. His addi potest recursus ad S. Pontificem. Verum de his omnibus jam supra egimus.[3]

**1150.** *Nota.*—Ex his omnibus patet, multa esse processui civili ecclesiastico communia cum processu criminali ecclesiastico; imo utrumque processum, mutatis iis quae ex diversa materia civili et criminali proveniunt, fere eundem sequi ordinem.

---

# CAPUT IV.

## PROCESSUS HODIERNUS MATRIMONIALIS.

(*The Present Trial in Matrimonial Controversies.*)

**1151.** Matrimonium hic nobis dumtaxat considerandum venit, quatenus est objectum judicii ecclesiastici. Causae

[1] Clem. saepe cit. [2] Ib. [3] Cf. Nostrum *Elements*, vol. II. n. 1354 sq.

matrimoniales dicuntur illae, in quibus controversia est de matrimonii vel sponsalium natura, valore, de conjugum et sponsorum juribus et obligationibus ortis ex contractu sponsalitio vel matrimoniali,[1] etc.

**1152.** Agimus autem praecipue de matrimonio *jam contracto,* non vero *contrahendo.* Itaque si post initum matrimonium aliquod allegatur dirimens impedimentum, vel dispensatione revalidatur conjugium, vel si id fieri nequeat, puta si agatur de impedimento juris naturae, vel partes velint suam vindicare status libertatem, causa nullitatis proponenda est coram judice competente, et causa seu controversia legitime disceptanda et definienda est. Haec autem discussio vocatur processus matrimonialis, qui hodie conficiendus est in hac regione, juxta ordinem et methodum a S. C. de Prop. Fide in Instr. *Causae Matrimoniales,* 1884, stabilitam. Breviter nunc de hoc processu disseremus.

## ART. I.

### DE JUDICE COMPETENTE.

(*Of the Competent Judge.*)

**1153.** *Quaer.* Quis sit judex competens in hisce causis?

*Resp.* S. C. de Prop. Fide Instr. *Causae Matrimoniales,* art. i., sic respondet: "Causae matrimoniales ad judicem ecclesiasticum spectant cui soli competit de validitate matrimonii et obligationibus ex eodem derivantibus sententiam ferre. De effectibus matrimonii mere civilibus potestas civilis judicat." (Cf. Nostrum *Elements,* vol. II. n. 1398 sq.)

**1154.** *Quaer.* Coram quo judice ecclesiastico tractandae sint causae matrimoniales?

*Resp.* S. C. de Prop. Fide, Instr. cit. art. ii., respondet; "Conjuges in causis matrimonialibus subsunt Episcopo in cujus dioecesi maritus domicilium habet. Exceptioni locus est si conjugale vitae consortium aut per separationem a thoro et mensa, aut per desertionem malitiosam a marito patratam sublatum sit. Priori casu, quaelibet pars jus accusandi contra alteram ipsi competens coram Episcopo dioecesis, ubi haecce

[1] Schmalzgr. l. 4, t. 18, n. 6, 7.

domicilium habet, exercere debet. Posteriori casu uxor apud Episcopum, intra cujus dioecesim domicilium ejus situm est, actionem instituere potest. Postquam citatio judicialis intimata est, mutatio quoad conjugum domicilium facta, mutationem respectu judicis competentis minime operatur." (Cf. Nostrum *Elements*, l. c. n. 1411 sq.)

**1155.** *Quaer.* Quaenam sit organizatio seu constitutio tribunalis Episcopi in causis matrimonialibus?

*Resp.* In causis ubi agitur de validitate vel nullitate matrimonii jam contracti, hoc tribunal necessario constat 1° ex Episcopo, vel ejus vicario generali, vel alio probo et experto viro ecclesiastico ad illud delegato, uti judice vel moderatore actorum; 2° ex secretario vel cancellario, qui acta conscribat; 3° ex matrimonii defensore, qui debet esse vir ecclesiasticus, juris scientiae et vitae probitate praeditus. Ejus officium est matrimonii accusati firmitatem seu valorem semper tueri. Singuli autem hi officiales, scilicet tum judex delegatus, tum secretarius tum defensor S. Vinculi juramentum praestare tenentur de munere suo fideliter adimplendo.[1]

**1156.** Insuper advocatos seu defensores conjugibus adducere fas est, ut sua jura tueantur, eorumque consilio uti.

## ART. II.

### TELA PROCESSUS MATRIMONIALIS IN CAUSIS NULLITATIS MATRIMONII.

(*The various Stages of the Trial, where there is Question of declaring null a Marriage already contracted.*)

**1157.** *Quaer.* Quaenam sint formae substantiales in processu matrimoniali servandae?

*Resp.* Sunt praecipue sequentes: 1° Libellus, seu petitio vel matrimonii accusatio; 2° citatio tum conjugum tum defensoris matrimonii; 3° aliqualis seu informis litis contestatio; 4° probationes utrimque allatae; 5° publicatio processus; 6° allegationes in jure et in facto (*final summing up*); 7° sententia. De singulis nunc pauca dicamus.

[1] S. C. de Prop. Fide, Instr. cit. *Causae Matrimoniales*, § 7, 10.

## § 1. Ab Initio usque ad Citationem.
### (*From the Opening of the Trial to the Citation.*)

**1158.** *Quaer.* Quid sit libellus seu matrimonii accusatio?

*Resp.* Processus hic incipit a petitione quam actor seu matrimonii accusator sive per se sive per procuratorem Ordinario porrigit, in qua instat ut matrimonium declaretur nullum et invalidum. Nam, ait S. C. de P. F. Instr. *Causae Matrimoniales,* art. iii., "ut in tribunali ecclesiastico causa aliqua matrimonialis tractanda suscipiatur, necesse est ut contra matrimonium regularis et juridica accusatio praecesserit."

**1159.** *Quaer.* Quis hanc accusationem seu petitionem judici offerre possit?

*Resp.* Petitio in casu numquam erit admittenda, nisi proficiscatur a personis, quae jure communi habiles ad accusandum habeantur. Etenim in quibusdam impedimentis, v.g. impedimento impotentiae, erroris, aut metus—soli conjuges uti accusatores admittuntur; in aliis, v.g. in impedimento consanguinitatis, affinitatis, publicae honestatis, primo admittuntur parentes, deinde fratres et sorores aliique consanguinei, et his deficientibus, quilibet de populo.[1]

**1160.** *Quaer.* Utrum et quandonam ordinarius possit ac debeat procedere ex officio contra matrimonium, et proinde etiamsi nulla ex praedictis personis petat ut matrimonium dissolvatur?

*Resp.* 1° S. C. de Prop. Fide, in praefata Instr. *Causae Matrimoniales,* § 3, hanc exhibet responsionem: "Tandem ex officio etiam inquisitio fieri potest, et quandoque debet."

**1161.** 2° Casus vero, in quibus judex sic procedere potest, et aliquando debet, sunt generatim loquendo omnes illi ubi jus accusandi matrimonium seu ejus dissolutionem petendi non competit exclusive conjugibus.

**1162.** 3° Casus vero particulares sunt: (*a*) Ubi amentes matrimonium contraxerunt; (*b*) ubi personae matrimonium inierunt de quibus publice constat eas inhabiles esse ad illud contrahendum; (*c*) ubi sponsa rapta fuerit, et nondum libertatem suam adepta, matrimonium cum raptore iniit; (*d*) ubi

[1] Cap. 3 qui Matr. acc. (iv. 18).

unus vel ambo conjuges secundum ineunt matrimonium, antequam primum invalidum fuerit declaratum; (*e*) ubi inter conjuges existit impedimentum consanguinitatis, vel affinitatis.[1] In his omnibus casibus ordinarius non solum potest, sed debet inquisitionem seu processum ex officio instruere, dummodo per simplicem denuntiationem, vel per famam, vel per aliam rationem, sufficiens suppeditatur ratio de existentia impedimenti dirimentis.[2]

**1163.** 4° Quando Ordinarius ex officio procedit, procurator fiscalis veluti actorem contra matrimonium agit, ideoque petitionem seu libellum ipse conficit, ac judici porrigit.[3]

**1164.** *Quaer.* Qualis debeat esse petitio seu matrimonii accusatio?

*Resp.* 1° Debet coram legitimo Ordinario seu judice fieri, et quidem in scripto: si oretenus facta fuerit, judicialis reddenda erit juxta regulas communi jure traditas, scilicet efficiendo ut accusator eam repetat coram tribunali, et a cancellario in actis redigatur.

2° In hac petitione, praeter accuratam facti expositionem, enarranda erunt omnia adjuncta necessaria, et omnia indicia concurrentia; indicandi et nominandi testes de re instructi, ut hoc modo fundamenta accusationis cognoscantur, et via tribunali sternatur veritati detegendae.[4]

## § 2. Tela Processus post Libellum usque ad Sententiam.

(*Proceedings from the Petition to the Sentence.*)

**1165.** 1° *Quaer.* Quid fiat post libelli porrectionem?

*Resp.* Postquam petitio, ut supra, ab actore judici porrecta fuerit, proceditur ad citationem rei. Porro reus vocatur vel unus conjux, si nempe alter conjux matrimonii valorem impugnat, vel ambo conjuges, casu nempe quo vel tertia persona vel ipse judex ex officio per procuratorem fiscalem matrimonii validitatem impugnat. Actor (*plaintiff*) est illa persona quae matrimonii validitatem impugnat.

[1] Kutschker, de Matr. vol. V. p. 756 sq.
[2] Instr. *Causae Matr.*, § 3.
[3] Kutschker, l. c. p. 756.
[4] Instr. *Causae Matr.*, § 5.

2° Post rei et defensoris, necnon ipsius actoris citationem, partes exhibere possunt exceptiones si quas habent. Hisce discussis proceditur ad matrimonii seu litis contestationem, quae tamen informis et simplex esse debet.

**1166.** *Quaer.* Quid agendum post contestationem?

*Resp.* Deveniendum est ad probationes. Porro praesumptio est semper in favorem validitatis matrimonii jam contracti. Quapropter nullitas matrimonii, seu impedimentum dirimens in casu, plene probanda est ab actore, seu ab illo qui matrimonii validitatem impugnat. Igitur quoties agitur de dissolutione matrimonii jam initi, toties standum est in dubio pro ejusdem valore.[1] Ubi proinde conjuges, post initum conjugium, secundum contraxerunt, praesumptio juris stat pro valore primi non secundi matrimonii.[2] Onus probandi incumbit actori seu accusatori matrimonii.

**1167.** *Quaer.* Quomodo procedatur in probationibus producendis?

*Resp.* 1° Praecipua in causis matrimonialibus probationum genera sunt: (*a*) Confessio seu depositio conjugum; (*b*) Instrumenta; (*c*) Testium depositiones; (*d*) Peritorum inspectio.[3]

2° In his probationibus adducendis hic ordo servandus est. Primo loco citandus et examinandus est ille qui accusationem contra matrimonium movit; secundo loco veniunt conjuges ipsi qui semper citandi et audiendi sunt. Post conjuges citandi erunt testes tum pro tum contra matrimonium. Hi omnes autem qui examinantur, audiantur (*a*) praestito juramento, (*b*) seorsum seu separatim, etc.[4] Quoad documenta, ea semper, et a quocumque exhibeantur, recipienda sunt.[5] (Cf. nostrum *Elements*, vol. II, n. 1464 sq.)

**1168.** *Quaer.* Quid faciendum postquam omnes probationes collectae fuerint?

*Resp.* 1° Fit publicatio totius processus,[6] utraque parte praesente, vel altera contumaciter absente, citata tamen.

2° Publicato processu, citantur partes, id est tum actor tum

[1] Cap. 26 de spons.
[2] Kutschker, l. c. p. 882.
[3] Nostrum *Elements*, vol. II. n. 1486 sq.
[4] Instr. *Causae Matr.*, §§ 13, 14, 15, 20.
[5] Ib. § 18.
[6] Ib. § 22.

reus—ad dicendum et allegandum (*to sum up*), vel per se, vel per advocatos, quiquid voluerint.[1]

3° Deinde profertur sententia modo in Instr. *Causae Matrimoniales*, § 24, satis clare indicato.

4° Quoad appellationem et alia remedia contra injustam sententiam, vide Instr. cit. *Causae Matrimoniales*, §§ 25–30; nostrum *Elements*, vol. II, n. 1509 sq.

**1169.** *Quaer.* Quid speciatim quoad matrimonii defensorem?

*Resp.* Is a moderatore actorum citandus erit ad quaelibet acta, ne vitio nullitatis concidant.[2] Quoad ejus officium in apellatione interponenda, vide Instr. *Causae Matrimoniales*, § 25 sq.

[1] Ib. § 23. [2] Ib. § 10.

# Pars Secunda.

## DE CRIMINIBUS ECCLESIASTICIS.

(*Ecclesiastical Crimes and Offences.*)

**1170.** Crimina seu delicta (*crimes or offences*) sunt objectum seu veluti materia judiciorum criminalium. Nam *sine culpa* (delicto) *non est aliquis puniendus.*[1] Et ideo, post tractatum de judiciis, naturaliter ducimur ad summatim agendum de delictis quatenus foro Ecclesiae externo subjiciuntur. Agemus 1° de delictis generatim; 2° de praecipuis speciebus delictorum.

---

## CAPUT I.

### DE DELICTIS GENERATIM.

(*Crimes in General.*)

### ART. I.

#### VERA NOTIO CRIMINIS ECCLESIASTICI.

(*Correct Idea of Ecclesiastical Offences.*)

**1171.** *Quaer.* Quid sit delictum?

*Resp.* Delictum est actio vel omissio externa, auctori suo imputabilis, socialem ordinem turbans et sanctione poenali legis humanae interdicta.[2]

**1172.** Dicitur 1° *externa,* nam in foro externo ecclesia non judicat de internis. Dicitur 2° *imputabilis;* id est, actio vel omissio quae provenit ex *deliberata* voluntate.[3] 3° Dicitur *socialem ordinem turbans;* ex quo apparet differentia

[1] Reg. 23 de Reg. jur. in 6°.
[2] De Cavagnis, Jur. publ. Inst. vol. I. n. 155.
[3] Nostrum *Elements,* vol. III. n. 1619 sq.

praecipua inter peccatum et delictum. Illud turbat ordinem *moralem* simpliciter (*the moral order*), hoc ordinem *socialem* (*the order or laws made by society*). 4° Dicitur etiam *et sanctione poenali*, etc., hinc actio vel omissio in casu non est crimen nisi ei expresse sit a lege adnexa poena.[1]

**1173.** *Quaer.* Quomodo proinde differat crimen a peccato?

*Resp.* Quodvis crimen est etiam peccatum; sed peccatum tunc tantum criminis naturam induit, quando (*a*) est externum, (*b*) habet adnexam poenam, seu sanctionem poenalem legis humanae; (*c*) turbat non solum ordinem moralem, verum etiam ordinem socialem.[2]

## ART. II.

### DIVISIO DELICTORUM.

(*Various Classes of Offences.*)

**1174.** *Quaer.* Quomodo distinguantur delicta?

*Resp.* 1° *Ratione objecti,* in delicta (*a*) quae directe in Deum admittuntur, (*b*) vel quibus injuria in res Deo sacras infertur.

**1175.** 2° *Ratione personarum,* (*a*) in delicta propria clericorum (*offences peculiar to ecclesiastics*), v.g. omissio recitationis beviarii, (*b*) et in crimina quae tum clericis tum laicis sunt communia—v.g. ebrietas, fornicatio.[3]

**1176.** 3° *Ratione fori,* (*a*) in delicta mere *ecclesiastica,* seu illa quae legibus ecclesiae tantum adversantur, quaeque proinde ad solum ecclesiae forum seu potestatem spectant; (*b*) in delicta *civilia* (*offences against the secular law*), seu quibus leges auctoritatis civilis directe laeduntur, quaeque ideo a saeculari potestate coercentur; (*c*) in delicta *mixta* seu *mixta fori* (*offences punishable both in the secular and the ecclesiastical forum*), seu crimina quae legibus utriusque potestatis repugnant.

**1177.** 4° *Ratione publicitatis,* in delicta occulta (*secret*

[1] Nostrum *New Procedure*, n. 419.
[2] Nostrum *Elements*, vol. III. n. 1663, 1664, 1690 sq.
[3] Nostrum *New Procedure*, n. 117 sq.

*crimes*), publica (*public offences*), famosa et notoria (*famous and notorious crimes*).[1] Delictum *occultum* est quod committitur *externe* quidem, sed sive nemine adstante, sive paucis tantum. *Publicum* est quod pluribus praesentibus patratur. *Manifestum* est quod a pluribus cognoscitur, et ab illis in communitatis notitiam inducitur, et sic publico *additur* famosum, id est, fama notum.

**1178.** *Notorium* est quod vel ex jure vel ex facto ita certum habetur, ut nulla tergiversatione celari possit.[2] *Juris* notorietatem (*notoriety by law*) tria faciunt, nempe confessio judicialis, plena probatio, et sententia definitiva. *Facto* notorium (*notoriety by fact*) est crimen quando ita perpetratum fuit in oculis hominum ut nulla tergiversatione celari vel excusari possit. Facti notorium est triplex, nempe (*a*) facti transeuntis (*passing or transitory notoriety*), (*b*) facti interpolati (*interrupted notoriety*), (*c*) facti permanentis (*continuous notoriety*).[3]

**1179.** Loquimur autem, in hoc libro, de delictis ecclesiasticis tantum. Quapropter delictum ecclesiasticum recte definitur: actio vel omissio externa, imputabilis socialem seu externum ecclesiae ordinem seu disciplinam turbans, et sanctione poenali ecclesiastica prohibita.[4]

---

# CAPUT II.

## DE DELICTIS ECCLESIASTICIS IN SPECIE.

(*Ecclesiastical Crimes in Particular.*)

**1180.** Crimina hic dumtaxat recensentur, prout spectari possunt veluti materia causarum criminalium. Proinde contenti hic erimus de brevissima praecipuorum delictorum adumbratione. Hinc operam impendemus exponendis solummodo partibus in theologia morali non tractatis.

[1] De Brab. n. 1260; Hugucnin, n. 864.
[2] Nostrum *Elements*, vol. II. n. 1253, 1254 sq.
[3] Nostrum *New Procedure*, n. 98 sq.
[4] Nostrum *Elements*, vol. III. n. 1664.

In quinto libro Decretalium, singula crimina recensentur juxta ordinem Decalogi. Verum harum institutionum ratio postulat ut ad certas, id est, duas species reducantur. De utraque specie nunc agemus.

## ART. I.

### CRIMINUM SPECIES RATIONE OBJECTI.

(*Different Kinds of Offences by Reason of their Object.*)

Alia delicta, ut modo dictum est, sunt directe contra Deum admissa, alia vero injuriam rebus Deo sacris inferunt.

### § 1. Delicta directe contra Deum patrata.

(*Offences committed directly against God.*)

Sunt praecipue apostasia et haeresis. De singulis pauca adnotemus.

#### I. De Apostasia.

(*Apostasy and Apostates.*

**1181.** *Quaer.* Quid sit apostasia, et quotuplex?

*Resp.* 1° Apostasia—latine *desertio, defectio*—est temeraria defectio ab instituto vitae prioris, quam quis publica professione assumpserat.[1]

2° Tres dantur species: (*a*) a fide, (*b*) a religione, (*c*) ab ordine sacro.

**1182.** *Quaer.* Quid sit apostasia a fide?

*Resp.* Est totalis desertio a vera fide Christiana. Locum habet dum ex Christiano quis efficitur Judaeus, paganus, Mahometanus, atheus. Apostatae iisdem subjiciuntur poenis ac haeretici, praesertim excommunicationi latae sententiae speciali modo Romano Pontifice reservatae in Const. *Ap. Sedis* Pii IX., sect. i., art. 1.

**1183.** *Quaer.* Quid sit apostasia ab ordine?

*Resp.* 1° Committitur dum quis in sacris vel majoribus ordinibus constitutus, dimisso habitu clericali, ad statum laicalem, vel etiam matrimonialem, propria auctoritate transire attentat.[2]

[1] Arg. Cap. 1, de Apost. (v. 9). [2] Santi, l. 5, t. 9, n. 2.

2° Apostatarum ab ordine poenae sunt: (*a*) amissio privilegii canonis; (*b*) infamia facti; (*c*) irregularitas orta ex infamia facti;[1] (*d*) insuper excommunicationi latae sententiae Episcopis seu ordinariis reservatae subjacent clerici in sacris constituti matrimonium contrahere praesumentes; necnon omnes cum illis matrimonium contrahere praesumentes.[2]

**1184.** *Quaer.* Quid sit apostasia a statu religioso, et quotuplex ejus poena?

*Resp.* 1° Est criminosa abjectio vitae monasticae solemniter professae, cum animo ad regulare Institutum non amplius redeundi.

**1185.** 2° Huc pertinent poenae a Pio IX. in Const. *Ap. Sedis,* sect. ii., art. 6, contentae ubi: "Excommunicationi latae sententiae simpliciter Romano Pontifici reservatae subjacere declaramus Moniales (solemniter professae) ab illa (clausura) exeuntes extra casus ac formam a S. Pio V. in Const. *Decori* praescriptam." Et ibi, sect. iii., art. 1, ubi: "Excommunicationi latae sententiae Episcopis seu ordinariis reservatae subjacere declaramus: Regulares (*monks*) aut moniales (*nuns solemnly professed*), post votum solemne castitatis matrimonium contrahere praesumentes; necnon omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium contrahere praesumentes."

## II. De Haeresi et Haereticis.

(*Heresy and Heretics.*)

**1186.** *Quaer.* Quid sit haeresis, et quae sit poena contra haereticos?

*Resp.* 1° Haeresis est error hominis baptizati voluntarius contra aliquem fidei articulum cum pertinacia conjunctus.[3]

**1187.** 2° Pius IX. Const. *Ap. Sedis,* excommunicationi latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatae subjecit (*a*) "omnes et singulos haereticos, quocunque nomine censeantur, et cujuscunque sectae existant, eisque credentes, eorumque receptores, fautores, ac generaliter quoslibet illorum defensores;"[4] (*b*) "Omnes et singulos scienter legentes, sine

[1] De Brab. n. 1262. [2] Pius IX., Const. *Ap. Sedis*, sect. III. art. 1.
[3] Arg. cap. 3. de haeret. (v. 7), Santi, l. 5, t. 7, n. 1.
[4] Sect. i. art. i.

auctoritate Sedis Apostolicae libros eorumdem apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes,[1] necnon libros cujusvis auctoris per apostolicas litteras nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes et quomodolibet defendentes."[2]

**1188.** Haeretici privantur insuper (*a*) ecclesiastica sepultura, (*b*) officiis et beneficiis ecclesiasticis.[3]

### § 2. Delicta in Res Deo Sacras.

(*Crimes against Sacred Things.*)

Huc spectant simonia, sacrilegium, abusus sacramentorum, etc. De sola simonia agemus.[4]

**1189.** *Quaer.* Quid et quotuplex sit simonia (*simony*)?

*Resp.* 1° Est ille actus sacrilegus quo res spiritualis vel spirituali adnexa pro temporali datur vel accipitur.[5]

**1190.** 2° Distinguitur (*a*) in mentalem (*mental simony*), prout pactum (*contract*) non habetur, (*b*) conventionalem (*stipulated simony*), quando habetur quidem pactum, quod tamen ad executionem non est adhuc deductum; (*c*) in realem (*simony real or carried out*), quando pactum habetur, et utrinque ad executionem est demandatum; (*d*) confidentialem (*confidential*), quae est species simoniae rei beneficiariae seu officiis ecclesiasticis propria. Vocatur etiam confidentia in officiis seu beneficiis ecclesiasticis. Committitur autem dum quis beneficium seu officium ecclesiasticum alteri dat, cedit aut procurat, quovis modo, v.g. eligendo, praesentando, conferendo, resignando, etc.—cum hac confidentia, id est, pacto sive expresso sive tacito, ut is, cui procuratur, vel illud resignet procuranti aut tertio, vel certam pensionem aut fructus ex eo praestet.[6]

**1191.** *Quaer.* Quaenam hodie simonia poenis ecclesiasticis subjaceat, et quibus?

[1] Episcopis nostris, et per ipsos singulis sacerdotibus conceditur ab Ap. Sede facultas absolvendi ab omnibus censuris in Const. *Ap. Sedis*, 12 Oct. 1869, Romano Pontifici etiam speciali modo reservatis, excepta absolutione complicis. (Fac. Form. i. n. 16.)

[2] Sect. i. art. ii.

[3] Cf. Phillips, Comp. § 190.

[4] De Simonia agit l. 5, t. 3, Decr.

[5] Phillips, Comp. § 193.

[6] Cf. Conc. Trid. sess. 25, c. 7, de Ref.; De Brab. n. 1271.

*Resp.* 1° Sola simonia (*a*) Confidentialis et realis in collatione beneficiorum (*in appointments to ecclesiastical benefices*), (*b*) et realis pro ingressu in religionem (*for admission to a religious community with solemn vows*).

2° Pius IX. Const. *Ap. Sedis,* sect. ii. art. 8, 9, 10, excommunicationi latae sententiae Romano Pontifici reservatae subjacere declarat: (*a*) "Reos simoniae realis in beneficiis quibuscunque, eorumque complices;" (*b*) "Reos simoniae confidentialis in beneficiis quibuslibet, cujuscunque sint dignitatis;" (*c*) "Reos simoniae realis ob ingressum in Religionem."

## ART. II.

### CRIMINUM SPECIES RATIONE PERSONARUM.

(*Various Crimes as Distinguished by the Persons Committing them.*)

Uti jam notavimus, alia delicta sunt communia laicis et viris ecclesiasticis; alia vero propria sunt clericorum.

### § 1. Crimina Laicis et Clericis Communia.

(*Offences Common to Laics and Ecclesiastics.*)

Delicta communia spectant (*a*) bona vitae, uti sunt homicidium, abortus, etc.; (*b*) bona pudicitiae, uti sunt fornicatio, sodomia, etc.; (*c*) bona famae seu existimationis (*affecting one's good name*).

#### I. Delicta quae Laedunt Bona Vitae.

(*Offences which affect Life.*)

**1192.** *Quaer.* Quaenam sint delicta praecipua ad hanc classem pertinentia?

*Resp.* 1° Homicidium (*murder*) etiam indirecte voluntarium,[1] quod ipso facto, inducit irregularitatem. 2° Suicidium (*suicide, killing oneself*), quod secum trahit privationem sepulturae ecclesiasticae. 3° Procurantes abortum, effectu sequuto, hodie incurrunt ipso facto, excommunicationem Ordinariis reservatam,[2] necnon irregularitatem. 4° Duellantes (*persons fighting a duel*) et alii ad duellum concurrentes hodie

[1] Vide Decr. l. v. t. 12.
[2] Pius IX. Const. *Ap. Sedis,* sect. iii. art. ii.

poena excommunicationis latae sententiae Romano Pontifici simpliciter reservatae plectuntur;[1] qui vero moritur in ipso conflictu, sepultura ecclesiastica privatur, etiamsi signa poenitentiae dederit.[2]

### II. Delicta Carnis.
### (*Sins against Chastity.*)

**1193.** *Quaer.* Quaenam delicta praecipue ad hanc classem pertineant?

*Resp.* 1° Raptus (*the abduction of a woman whether by fraud, persuasion or open violence*).[3] Raptus hodie constituit impedimentum matrimonii dirimens, et in clericis poena depositionis seu privationis officii plectitur. 2° Stuprum (*rape, indecent assault*); 3° Fornicatio (*fornication*), seu coitus nonconjugati cum non-conjugata; 4° Adulterium (*adultery*); 5° Concubinatus (*concubinage*), quod in eo consistit, ut duae personae diversi sexus, sine animo nubendi, solutus et soluta, ad habitualem sexus commixtionem se conjungunt, sive in eadem domo simul habitent, sive non.[4] 6° Incestus (*incest*); 7° Bigamia et polygamia (*bigamy and polygamy*); 8° Sodomia (*sodomy*).[5]

### III. Crimina contra Bona Temporalia Proximi.
### (*Offences against the Goods of Others.*)

**1194.** *Quaer.* Quaenam crimina praecipua huc spectent?

*Resp.* 1° Crimen falsi (*falsifying or forging (a) letters, especial Papal, (b) money*); 2° Calumnia (*false juridical accusations*); 3° rapina (*robbery*); 4° furtum (*theft*).

Denique inter delicta communia numerantur 1° Ebrietas (*drunkenness*); 2° Detractio proximi, etc.

## § 2. Delicta Propria Clericorum.
### (*Offences Peculiar to Ecclesiastics.*)

**1195.** *Quaer.* Quae sint praecipua delicta propria clericorum?

[1] C. *Ap. Sedis*, sect. ii. art. iii. [2] Conc. Trid. sess. 25, c. 19, de Ref.
[3] Cap. 6, 7, de rapt. (v. 17). [4] Can. 4, c. 32, q. 4.
[5] S. Pius V. Const. Horrendum, 1568, Bullar. Rom. tom. 4, p. 33.

*Resp.* Sunt duplicis generis: primum genus adversatur *statui* (*the ecclesiastical state*), secundum *officiis* et *obligationibus* (*duties*) clericorum.

**1196.** I. *Delicta contra statum ecclesiasticum.*—Recensentur praecipue sequentia: 1° Defectio seu apostasia ab instituto vitae clericalis (*abandonment of the ecclesiastical state*) et defectio religiosorum ab instituto suo regulari (*abandonment of the religious state*) ; 2° Negotiatio (*engaging in secular business*); 3° Insuper clerici artem medicinae vel chirurgicam non exerceant, nec militae nomen dent (*enlist as soldiers*), nec administrent facultates laicorum, nec tabernas frequentent, nec spectaculis vel comoediis (*theatrical plays*), choreisque (*dances*) intersint ; nec habitum clericalem (*dress of ecclesiastics, with us especially the Roman collar*) deponant; nec officium divinum (*the breviary*) omittant, nec legem coelibatus violent.[1]

**1197.** II. *Delicta quae officiis ecclesiasticis repugnant.*—Res pendet ex natura officii seu muneris quo clericus fungitur. Hinc habentur delicta propria Episcoporum et aliorum superiorum, uti si presbyteros sibi subjectos exactionibus et taxis indebitis gravant, vel eos inhoneste tractant, vel sine processu judiciario poenis afficiunt,[2] vel officia, parochias, etc., indignis conferunt, etc.[3] Eodem modo adsunt delicta propria aliorum clericorum, v.g. quae quisque in administrandis sacramentis committit, uti est solicitatio in confessione, fractio sigilli sacramentalis, absolutio complicis, etc. Huc etiam spectant quae sacri canones statuunt contra clericos percussores (*ecclesiastics given to fighting*),[4] vel venationem clamosam exercentes (*noisy hunting*),[5] vel sacra celebrantes, nonobstante quod sint excommunicati, aut suspensi,[6] vel furtive, vel etiam per saltum ordines recipientes,[7] etc.

[1] Cf. Phillips, Comp. §§ 69, 197 ; Huguenin, n. 878 ; München, vol. II. pp. 664–726.

[2] Cap. 1, de excess. Prael. (v. 31).

[3] Ib. cap. 11.

[4] Ib. tit. 25.

[5] Ib. tit. 24.

[6] Ib. tit. 27.

[7] Ib. tit. 29, 30.

# Pars Tertia.

## DE POENIS ECCLESIASTICIS.

(*Canonical Punishments.*)

**1198.** In praecedenti parte hujus libri actum est de variis delictis. Hinc recto ordine sequitur titulus de *poenis.*[1] Nam bonum commune requirit ne delicta maneant impunita. Agemus primo de poenis in genere; deinde de poenis in specie.

---

# SECTIO I.

## DE POENIS CANONICIS IN GENERE.

(*Ecclesiastical Punishments, in General.*)

Dicemus 1° de poenarum natura et divisione; 2° de earum auctore et subjecto.

---

# CAPUT I.

## NATURA ET DIVISIO POENAE.

(*Character and Division of Punishments.*)

### ART. I.

### VERA NOTIO POENAE ECCLESIASTICAE.

(*Correct Idea of Ecclesiastical Punishments.*)

**1199.** *Quaer.* Quid sit poena canonica?

*Resp.* 1° Poena in genere est malum passionis (*an evil, a pain, a suffering whether of the body or soul*) illatum ob malum actionis (*for an evil deed or omission*).

**1200.** 2° In specie vero, poena canonica est justa delicti

[1] Vide Decr. l. 5, t. 37, de poenis.

castigatio, quae ab ecclesiastica auctoritate, secundum sacros canones infligitur.[1] Dicitur *delicti;* nam sine culpa seu delicto non est aliquis puniendus.[2] Dicitur etiam *justa,* ut innuatur quod poena debeat esse proportionata delicto cum suis circumstantiis considerato. Dicitur *secundum canones;* quia Ordinarius illa solummodo remedia seu poenas infligere potest, quae a sacris canonibus sunt statuta.[3] Insuper nulla actio vel omissio poena est plectenda, nisi a lege ecclesiastica sit prohibita, idque sub poena, sive in genere, sive in specie.[4]

## ART. II.

### DIVISIO POENARUM CANONICARUM.

(*Various Classes of Ecclesiastical Punishments.*)

**1201.** *Quaer.* Quomodo poenae ecclesiastiae dividantur?

*Resp.* 1° *Ratione finis,* (*a*) in praeventivas, (*b*) et repressivas. *Praeventiva* remedia (*preventive remedies or punishments*) ad praepedienda mala (*to prevent crime*), scandalorum stimulos amovendos, voluntarias occasiones et causas ad delingendum proximas vitandas ordinantur. *Repressiva remedia* (*repressive remedies*) eum in finem constituta sunt ut qui jam in delicta prolapsi sunt, ad bonam frugem revocentur, ac culparum consectaria e medio tollantur.[5]

**1202.** Jam vero poenae repressivae, ratione finis, subdividuntur (*a*) in medicinales (*b*) et vindicativas. *Medicinales poenae* (*medicinal, reformative remedies*) sunt quae primario ad delinquentis emendationem constituta sunt.[6] *Vindicativae* (*vindicatory or punitory remedies*) sunt quae primario ipsius delicti punitionem intendunt. Dicitur *primario;* nam etiam in hisce poenis vindicativis, Ecclesia semper intendit,[7] quamvis secundario, delinquentis emendationem et conversionem.[8]

[1] Reiff. l. 5, t. 37, n. 16. [2] Reg. 23, de Reg. Jur. in 6°.

[3] Instr. S. C. de P. F. *Cum Magnopere,* art. i.

[4] L. 131 ff. de V. S. (50, 16).

[5] S. C. de P. F. Instr. *Cum Magnopere,* art. ii.

[6] Hae poenae vocantur censurae.

[7] Poenae vindicativae nuncupantur simpliciter *poenae,* seu *merae poenae*

[8] Prael. S. Sulp. vol. 3, n. 750; Craiss. Man. 6306.

(Nostrum *Elements*, vol. III. n. 1668 sq.; nostrum *New Procedure*, n. 79.)

**1203.** Maximi momenti est haec poenarum divisio; et ideo omnium canonistarum vestigia prementes, tractatum hunc de poenis in tria partiemur capita. Primum aget de remediis praeventivis ; secundum de remediis repressivis vindicativis; tertium de poenis repressivis medicinalibus.

**1204.** 2° Ratione personarum, poenae canonicae dividuntur (*a*) in communes, quas scilicet incurrere possunt tum clerici tum laici, uti est excommunicatio, privatio sepulturae ecclesiasticae; (*b*) et in *poenas proprias clericorum*, uti est suspensio.

**1205.** 3° *Ratione objecti*, (*a*) in *spirituales*, scilicet quae bonum aut jus spirituale adimunt, uti est suspensio, excommunicatio, (*b*) et *temporales*, quibus aut bonum temporale (*property, money*) subtrahitur, aut malum temporale (*worldly evil*) infligitur.[1]

**1206.** 4° *Ratione modi quo statuuntur*, (*a*) in *ordinarias* (*regular punishments*), scilicet, quas lex ecclesiae determinat in specie, (*b*) et *extraordinarias* (*discretionary punishments*), nempe, quando lex actum quidem prohibet, ast poenam non determinat, sed judici determinandam relinquit.[2] Prae oculis habendum est, poenam non esse alicui irrogandam nisi a lege sit adnexa, sive in genere, sive in specie, delicto ab illo patrato. Quare etiam S. C. de P. F. in Instr. *Cum Magnopere*, art. xxxiv. jubet ut in sententia damnationis, expressa fiat mentio sanctionis canonicae, id est, legis poenam statuentis.[3]

---

# CAPUT II.

## CONDITIONES REQUISITAE AD POENAS LICITE ET VALIDE INFLIGENDAS.

(*Conditions Required for Lawfully and Validly Inflicting Punishments.*)

**1207.** Conditiones hujusmodi sunt: 1° Auctoritas competens; 2° Subjectum; 3° Delictum. De singulis brevissime, pro instituto, disseremus.

[1] Huguenin, n. 881. [2] Reiff. l. 5, t. 37, n. 5.
[3] Cf. Nostrum *New Procedure*, n. 53; *Elements*, vol. 3, n. 1699.

## ART. I.

### AUCTORITAS COMPETENS.

*(Who can inflict Punishments?)*

**1208.** *Quaer.* Quis possit poenas canonicas condere et infligere?

*Resp.* 1° Aliud est poenas condere seu statuere, aliud vero poenas jure jam statutas delinquentibus infligere. Primum soli Romano Pontifici vel concilio oecumenico competit, alterum vero iis omnibus qui jurisdictione sive ordinaria sive delegata in foro externo potiuntur. Dicitur *in foro externo;* nam, si poenitentiam sacramentalem necnon correctiones paternas excipias, poenae ecclesiasticae ad forum externum referuntur. Quapropter solus Episcopus, vel alius ab eo vel ejus Superiore delegatus poenas imponere potest in dioecesi.

2° Requiritur tamen ut Ordinarius seu judex sit intra proprinm territorium. Nemini enim licet extra suum territorium contentiosam exercere jurisdictionem. Exceptionem tamen vide in nostro *Elements,* vol. III. n. 1720.

## ART. II.

### DE SUBJECTO POENARUM.

*(Upon whom can Punishments be inflicted?)*

**1209.** *Quaer.* Quinam possint poenis Ecclesiasticis plecti?

*Resp.* Omnes subditi qui delicto sunt juridice convicti. Dicitur *subditi;* quaeritur an Episcopus possit aliquando punire extraneos, v.g. peregrinos et vagos in sua dioecesi delinquentes. Respondendum affirmative, si delictum prohibitum sit, non tantum lege Ordinarii, sed simul etiam jure communi. Nam delinquens sortitur etiam forum loci ubi deliquit. (Nostrum *Elements,* vol. II., n. 791 sq.)

Dicitur insuper *juridice convicti;* excipe tamen casus in quibus poena, id est, suspensio irrogari potest extrajudicialiter, seu, uti aiunt, ex informata conscientia.

## ART. III.

### CAUSA POENARUM.

(*Causes for which Punishments can be Inflicted.*)

**1210.** *Quaer.* Ob quas causas possintne poenae ecclesiasticae irrogari?

*Resp.* Requiritur delictum, idque grave, externum, consummatum, rite et juridice probatum, et a lege ecclesiastica sub poena prohibitum. (Nostrum *Elements,* vol. III., n. 1690 –1699.)

**1211.** *Quaer.* Quare causae a poena excusant?

*Resp.* Delictum est, uti jam diximus, actio vel omissio prohibita, et auctori suo *imputabilis.* Quare a poena excusatur qui actionem hujusmodi commisit, (*a*) ignoranter; (*b*) absque advertentia; (*c*) ex metu gravi; (*d*) ex violentia. (Nostrum *Elements,* vol. III., n. 1702-1719.)

# SECTIO II.

## DE POENIS CANONICIS IN SPECIE.

(*Ecclesiastical Punishments in Particular.*)

**1212.** Poenae ecclesiasticae, uti jam supra exposuimus, duplicis sunt generis: (*a*) aliae sunt *praeventivae*, (*b*) aliae *repressivae*. Poenae hae repressivae subdividuntur in *vindicativas* et *medicinales*. Agemus proinde 1° de poenis praeventivis; 2° de repressivis vindicativis; 3° de repressivis medicinalibus.

---

# CAPUT I.

## REMEDIA PRAEVENTIVA.

(*Preventive Remedies or Punishments.*)

Inter remedia quae a criminibus praeservant, numerantur praecipue (*a*) spiritualia exercitia, (*b*) monitiones, (*c*) praecepta.[1]

**1213.** *Quaer.* Quandonam remedia haec possint adhiberi?

*Resp.* Adhibentur praecipue (*a*) ut praepediatur delictum, (*b*) ut scandalorum stimuli necnon occasiones voluntariae, causaeque ad delinquendum proximae amoveantur.[2] (Cf. nostrum *New Procedure*, n. 60.)

**1214.** *Quaer.* Quibusnam praecedentibus conditionibus ea imponere liceat?

*Resp.* S. C. de P. F. Inst. *Cum Magnopere*, art. v., haec statuit: "Antequam vero ea (remedia praeventiva) adhibeantur, summaria factorum recognitio praecedat oportet: cujus notitiam Ordinarius servari curet ut, si opus sit, ad ulteriora procedere possit, et ut auctoritati ecclesiasticae superioris gradus in casu legitimi recursus totius rei rationem reddat."[3]

[1] S. C. de P. F. Instr. *Cum Magnopere*, art. iv.
[2] Ib. art. ii. [3] Ib. art. v.

Duo proinde hic praecipiuntur: 1° Ut summaria facti recognitio praecedat; 2° Ut ea ab Ordinario in scriptis sit servanda. (Nostrum *New Procedure,* n. 61, 62 sq.)

**1215.** *Quaer.* Quid igitur sit summaria illa factorum recognitio?

*Resp.* Est investigatio seu inquisitio circa factum criminosum seu reprehensibile, ejusque circumstantias, eo fine habita, ut certa obtineatur cognitio totius rei, antequam remedium praeventivum imponatur. Investigatio haec extrajudiciali forma instituitur; nam ad applicanda remedia extrajudicialia—scilicet remedia praeventiva—viam sternit.[1] Quamobrem differt ab investigatione judiciali quae rei citationem ad processum judicialem praecedit, quaeque vocatur processus informativus proprie dictus. (Nostrum *New Procedure,* n. 62 sq.)

**1216.** *Quaer.* Quonam ordine adhibenda sint haec remedia praeventiva?

*Resp.* Prompta est responsio ex Instr. *Cum Magnopere,* art. vi., vii., viii., necnon ex *Concilio Plenario Baltimorensi* III. n. 309, ubi haec habentur: "Modo paternae correptionis eum (delinquentem) moneat, ut ad sensus meliores redeat; at si monitiones paternas spernat, Episcopus monitiones canonicas adhibebit, servata forma legali; quod si monitiones in irritum cedant, praeceptum jubet intimari." (Nostrum *Elements,* vol. III., n. 1772.)

---

# CAPUT II.

## POENAE REPRESSIVAE.

(*Repressive Punishments.*)

**1217.** *Quaer.* Quotuplicis sint generis repressiva remedia?

*Resp.* Poenae repressivae dividuntur in duas classes: 1° in vindicativas, seu poenas proprie dictas; 2° in medicinales seu in poenas quae emendationem potiusquam vindictam intendunt.

**1218.** *Quaer.* Utrum illa remedia praeventiva, quae mo-

[1] Acta S. S. vol. XV., p. 379.

nitiones canonicae et praecepta vocantur, semper poenas repressivas praecedere necesse sit?

*Resp.* 1° Affirmative, quoad poenas *medicinales* seu censuras, dummodo tamen non sint a jure et latae sententiae.[1] 2° Negative, absolute loquendo, quoad poenas repressivas *vindicativas.* Diximus *absolute loquendo:* nam, uti jam supra notavimus, omnes omnino poenae ecclesiasticae, et proinde etiam illae quae vindicativae audiunt, tendunt etiam ad rei *emendationem,* et non solum ad ejus *castigationem.* Quapropter etiam in poenis vindicativis imponendis, Ordinarius prudenter aget, si monitiones et praecepta praemittat. Agemus primo de poenis vindicativis, et postea de medicinalibus.

## TITULUS I.

## POENAE VINDICATIVAE, TUM SPIRITUALES TUM TEMPORALES.

(*Vindicatory Punishments, both Spiritual and Temporal.*)

### ART. I.

### DE HIS POENIS, IN GENERE.

(*Of these Punishments in general.*)

**1219.** *Quaer.* Quaenam sint poenae vindicativae?

*Resp.* Aliae sunt spirituales (*spiritual*), aliae vero temporales (*temporal, bodily*). Spirituales praecipue numerantur: 1° Translatio poenalis; 2° Privatio officii; 3° Depositio; 4° Degradatio; 5° Inhabilitas ad officia ecclesiastica; 6° Infamia; 7° Irregularitas.

**1220.** Temporales praecipue sunt: 1° Poena seu mulcta pecuniaria; 2° Incarceratio; 3° Detrusio in Monasterium; 4° Tortura; 6° Flagellatio; 6° Exilium; 7° Confiscatio bonorum.[2] Verum ex his temporalibus poenis, incarceratio, tortura, flagellatio, exilium, et confiscatio bonorum in desuetudinem ubique jam abierunt. Imo ipsa mulcta pecuniaria in multis locis jam obsoleta est. Brevissime de singulis poenis vindicativis loquamur.

[1] Nostrum *New Procedure*, n. 79 sq. [2] Reiff. l. 5, t. 37, n. 18.

## ART. II.

### TRANSLATIO POENALIS, ETIAM APUD NOS.

(*Penal Transfers, also with us.*)

**1221.** *Quaer.* Quid et quotuplicis generis sit translatio, quas ob causas, et qua ratione, locum habeat?

*Resp.* Quoad omnia haec, vide supra, n. 389 sq.; nostrum *Elements,* vol. III., n. 1881 sq.; nostrum *New Procedure,* n. 593 sq.

## ART. III.

### PRIVATIO OFFICII ECCLESIASTICI, ETIAM IN HAC REGIONE.

(*Dismissal from Ecclesiastical Offices, also in this Country.*)

**1222.** *Quaer.* Quid sit privatio officii; ob quas causas, et qua ratione infligatur, etiam apud nos, praesertim respectu rectorum missionum, sive amovibilium, sive inamovibilium?

*Resp.* Vide omnes has questiones pertractatas supra n. 410 sq.; etiam in nostro *Elements,* vol. I. n. 411, 643 sq., et vol. III. n. 1805 sq.; *New Procedure,* n. 581 sq.

## ART. IV.

### DEPOSITIO.

(*Deposition from Office.*)

**1223.** *Quaer.* Quid sit depositio?

*Resp.* Differt a privatione, quamvis illi simillima est. Nam per utramque officii ecclesiastici titulus aufertur. Verum depositio ultra privationem officii, inducit inhabilitatem ad officia in futurum obtinenda. Jure recentiori depositio jam in desuetudinem abiit.[1] (Cf. Nostrum *Elements,* vol. III. n. 1904 sq.)

## ART V.

### DEGRADATIO.

(*Degradation or Expulsion from the Ecclesiastical State.*)

**1224.** *Quaer.* Quid sit degradatio?

[1] Reiff. l. 5, t. 37, n. 22.

*Resp.* Est poena canonica qua clericus ob criminis atrocitatem vel incorrigibilitatem, solemniter et in perpetuum privatur non solum ordinis exercitio, officio et beneficio, verum etiam statu clericali. Duplex est; una verbalis; altera realis. Utraque haec degradatio hodie, multis in regionibus in desuetudinem abiit. (Cf. nostrum *Elements,* vol. III. n. 1905–1912.)

## ART. VI.

### INFAMIA.

(*Infamy.*)

**1225.** *Quaer.* Quid et quotuplex sit infamia ?

*Resp.* 1° Infamia est privatio seu amissio bonae famae seu existimationis (*the loss of good name*).

2° Duplex est: alia facti, alia juris. Prior accidit quando quis tale aliquid turpe et foedum perpetraverit, propter quod ejus bona existimatio (*good reputation*) apud probos et honestos viros laeditur. Infamia juris (*infamy induced by law*) est, quae decernitur in jure, idque sive vel ipso facto, vel solum post sententiam, in certa crimina committentes.[1] (Nostrum *Elements,* vol. III. n. 1913.)

**1226.** *Quaer.* Quinam sint effectus infamiae ?

*Resp.* Vide nostrum *Elements,* l. c. n. 1920 sq.

**1227.** *Quaer.* Quomodo tollatur infamia?

*Resp.* 1° Infamia facti, necnon ex ea orta irregularitas tollitur per emendationem diuturni temporis v. g. triennii.

2° Infamid vero juris ordinarie per dispensationem S. Pontificis aufertur.

## ART VII.

### INHABILITAS AD OFFICIA ECCLESIASTICA.

(*Disability or Disqualification for Appointment to Ecclesiastical Offices.*)

**1228.** *Quaer.* Quid sit inhabilitas ad officia, beneficia et dignitates ecclesiasticas?

*Resp.* Est poena canonica, qua quis, ratione delicti, inhabilis et ineptus redditur ad valide obtinendum officium vel dig-

[1] Reiff. l. 5, t. 37, n. 53.

nitatem ecclesiasticam.[1] Differt ab irregularitate, eo quod haec directe impedit *ordinum* (*holy orders*) susceptionem, et susceptorum usum, dum econtra inhabilitas magis directe et primario impedit collationem ad *officia* (*appointment to ecclesiastical offices, v.g. parishes*). (Nostrum *Elements,* vol. III. n. 1922 sq.)

## ART VIII.

### IRREGULARITAS EX DELICTO, SEU INHABILITAS AD ORDINES ET STATUM ECCLESIASTICUM.

(*Canonical Unfitness or Disqualification for Orders and the Ecclesiastical State by reason of Crime.*)

**1229.** *Quaer.* Quid et quotuplex sit haec irregularitas seu inhabilitas?

*Resp.* 1° Est inhabilitas (*disqualification*) ad susceptionem *ordinum,* et ad exercitium ordinum jam susceptorem.[2] Dicitur *ordinum,* et sic praecipue differt ab inhabilitate de qua in praecedenti articulo actum est, quae primario *officia* ecclesiastica respicit.

2° Dividitur (*a*) in irregularitatem ex delicto (*disqualification resulting from crime*), (*b*) et in irregularitatem ex defectu, (*disqualification arising from defects, bodily or mental, which are not crimes*). Posterior est inhabilitas quae incurritur ob defectus corporis vel animae, v.g. coecitatem, deformitatem corporis, etc. Prior illa est quae contrahitur ob delictum, quaeque sola rationem *poenae* induit, dum irregularitas ex defectu *impedimenti* rationem magis praesefert. De hac ultima irregularitate, vide theologiam moralem. De irregularitate ex delicto, et proinde poenali, nobis hic praecipuus est sermo. (Cf. nostrum *Elements,* vol. III. n. 1925–1929.)

**1230.** *Quaer.* Quos affectus pariat haec irregularitas?

*Resp.* Vide nostrum *Elements,* vol. III. n. 1930–1935.

**1231.** *Quaer.* Quaenam delicta hanc producant irregularitatem seu inhabilitatem?

*Resp.* 1° Reiteratio baptismi; 2° Violatio censurarum;

[1] Cf. 2, 15, de Haeret. in 6° (v. 2); Reiff. l. 5, t. 37, n. 20.

[2] Reiff. l. 5, t. 37, n. 63.

3° Indebita susceptio ordinis; 4° Haeresis; 5° Omnia delicta quae infamiam inducunt; 6° Homicidium. (Nostrum *Elements*, vol. III. n. 1926–1939.)

**1232.** *Quaer.* Quomodo tollatur irregularitas ex delicto?

*Resp.* Per dispensationem S. Pontificis. Episcopi hujus regionis facultate sibi a S. Sede delegata gaudent "dispensandi in quibuscunque irregularitatibus."[1] (Nostrum *Elements*, vol. III. n. 1947–1953.)

## ART. IX.

### SUSPENSIO ET INTERDICTUM AD TEMPUS DETERMINATUM IMPOSITA.

(*Suspension and Interdicts imposed for a Fixed Time.*)

**1233.** *Quaer.* Utrum suspensio et interdictum aliquando poenis vindicativis spiritualibus accenseri possint ac debeant?

*Resp.* Affirmative. Verum quidem est tum suspensionem tum interdictum esse de natura sua poenae medicinales, non vero vindicativae. Attamen, inspectis tum jure communi, tum consuetudine universali, possunt imponi et reapse aliquando imponuntur uti poenae vindicativae, et proinde ad tempus determinatum v.g. ad tres menses, in quo casu, uti patet, accensenda sunt poenis spiritualibus vindicativis.

## ART. X.

### POENAE VINDICATIVAE TEMPORALES.

(*Temporal Vindicatory Penalties.*)

**1234.** *Quaer.* Quaenam sint poenae temporales?

*Resp.* 1° Poena seu mulcta pecuniaria (*pecuniary fines*); 2° detrusio in monasterium (*detention in a religious house*); 3° incarceratio (*ecclesiastical imprisonment*); 4° tortura (*torture*); 5° flagellatio (*whipping*); 6° exilium (*exile*). Verum, uti jam diximus, duae solum hodie adhibentur, nempe mulcta pecuniaria et relegatio in domum aliquam religiosam; caeterae in desuetudinem abierunt. (Nostrum *Elements*, vol. III. n. 1954.)

[1] Fac Form. I. n. 2.

**1235.** *Quaer.* An judex ecclesiasticus infligere possit poenam pecuniariam pro delictis?

*Resp.* Affirmative.[1] Imo pecuniariam aliquando prae aliis poenis eligendam suadet ratio, quod a delinquentibus saepe istae magis, quam aliae timeantur.[2] (Nostrum *Elements,* vol. III. n. 1955 sq.)

**1236.** *Quaer.* Quid observandum, cum victus victori condemnatur in expensas?

*Resp.* Condemnatio haec ad poenas pecuniarias revocari potest, quamvis vindicativa non sit, cum compenset damnum victori.[3]

*Nota.*—Poenae plurimae contra *laicos,* olim in foro ecclesiastico adhiberi consuetae, hodie exoleverunt, et una poena vindicativa irrogari solet, nempe privatio sepulturae ecclesiasticae.[4]

## TITULUS II.

### POENAE REPRESSIVAE REFORMANTES

*(Repressive Reformative Punishments.)*

**1237.** Post poenas vindicativas sequuntur poenae *medicinales* seu corrigentes et emendantes, censurae videlicet ecclesiasticae, quae sunt excommunicatio, suspensio et interdictum.[5] De hisce singillatim per plures paragraphos agemus.

## ART. I.

### POENAE REFORMANTES, IN GENERE.

*(Reformative Punishments, in General.)*

#### § 1. NOTIO ETC. HARUM POENARUM.

*(Correct Idea of these Punishments.)*

**1238.** *Quaer.* Quid sit poena emendans, seu censura ecclesiastica?

*Resp.* Est poena ecclesiastica spiritualis contumaciter delin-

[1] Conc. Trid. sess. 25, c. 3, de Ref.
[2] Schmalzg. l. 5. t. 37, n. 178 sq.
[3] Ib. n. 185. [4] Huguenin. n. 929.
[5] De hisce poenis agit l. 5, t. 39, Decr.

quenti inflicta, privans quorumdam bonorum spiritualium usu, ad hoc, ut corrigatur et a contumacia desistat.[1] Dicitur imprimis *poena;* quia privat bonis. Dicitur *spiritualis,* praecipue ob differentiam poenarum corporalium vel temporalium v.g. poenae pecunaria, exilium. Dicitur *contumaciter delinquenti;* tum quia poena nonnisi propter delictum infligitur; tum quia haec poena emendans, illis tantummodo irrogatur qui monita despiciunt, et in delicto malunt obstinate et incorribiliter vitam suam peragere. Dicitur tandem *ut corrigatur;* en finis primarius et proprius hujus remedii, quo distinguitur a poena vindicativa. (Nostrum *Elements,* vol. III. n. 1968 sq.)

**1239.** *Corollarium.*—Poenae reformantes primario irrogantur ad emendationem delinquentis. Inde colligitur illum hisce poenis eousque solummodo remanere irretitum, donec emendetur et satisfactionem offerat. Emendatione proinde peracta, tolli debet censura. (Nostrum *Elements,* l. c. n. 1969, 1981.)

**1240.** *Quaer.* Quotuplex sit poena reformans, seu censura?

*Resp.* 1° Poenae emendantes tantum sunt tres, videlicet (*a*) excommunicatio, (*b*) suspensio, (*c*) et interdictum.[2] 2° Quaelibet ex his potissimum subdividitur (*a*) in eam quae est a jure, (*b*) et in eam quae est ab homine; (*c*) in justam et injustam; (*d*) in validam et invalidam; (*e*) censura, praeterea, quae est a jure, rursus dividitur in eam quae est latae, et in eam quae est ferendae sententiae.[3] (Nostrum *Elements,* vol. III. n. 1973–1984.)

**1241.** *Quaer.* Ob quam causam seu delictum infligi possit poena reformans?

*Resp.* Vide nostrum *Elements,* vol. III. n. 2021–2043.

**1242.** *Quaer.* Utrum Episcopus infligere possit censuras in regulares exemptos?

*Resp.* Affirmative, in causis in quibus hi regulares non sunt exempti ab Episcopi jurisdictione, v.g. in iis quae respiciunt curam animarum, etc.[4]

[1] Reiff. l. 5, t. 39, n. 3.
[2] Cap. 20, de V. S.
[3] Reiff. l. 5, t. 39, n. 45, 46.
[4] De Brab. n. 1398.

## § 2. Modus et Forma Infligendi Poenas Reformantes seu Censuras, etiam apud nos.

*(Manner of Inflicting Reformative Punishments or Censures, also with us.)*

**1243.** *Quaer.* Quaenam solemnitates seu formalitates requirantur ad censuram seu poenam reformantem legitime et valide infligendam?

**1244.** *Resp.* Tres, scilicet: (*a*) monitio canonica, et praeceptum; (*b*) processus judicialis; (*c*) sententia rite prolata. De singulis brevissime disseremus.

### I. Canonica Monitio et Praeceptum

*(Canonical Warnings, and the Precept.)*

**1245.** *Quaer.* Quid et quotuplex sit monitio canonica?

*Resp.* 1° Est intimatio legitime ab Episcopo vel superiore facta subdito, ut a delicto patrato resipiscat, vel a patrando refraenet, et debitam Ecclesiae satisfactionem praestet.[1]

2° Canonica monitio quae dicitur ab homine, seu quae fit ab Ordinario, de qua sola hic loquimur, duplex est: (*a*) alia est paterna (*paternal warnings*); (*b*) alia vero legalis, quae fit juxta formam a lege communi praescriptam.[2]

3° Monitioni legali affine est praeceptum, quod reapse nihil aliud est quam monitio legalis in strictiori sensu. Praeceptum autem fieri debet in scriptis, et coram testibus tradi vel legi delinquenti.[3] (Nostrum *Elements,* vol. III. n. 1787–1803.)

**1246.** *Quaer.* An omni poenae reformanti seu censurae praemittenda sit ab Ordinario monitio canonica et praeceptum?

*Resp.* 1° Quando a jure sive communi sive dioecesana, vel per decretum aut sententiam generalem sub censura ipso facto incurrenda aliquid prohibetur, nulla ad eam incurrendam praerequiritur monitio.[4] Ratio est, quia lex in casu censetur subditos continuo monere.[5] (Nostrum *New Procedure,* n. 80.)

2° In caeteris censuris, id est, ubi agitur de censura (*a*) ab homine infligenda per sententiam specialem, (*b*) imo etiam de

[1] De Brab. n. 1397.

[2] S. C. de P. F. Inst. *Cum Magnopere,* art. vi.; Nostrum *Elements,* vol. III. n. 1782.

[3] Instr. *Cum Magnopere,* cit. art. vii.; cap. 24, de sent. excom. (v. 39.)

[4] Cap. 26, de App.

[5] Reiff. l. 5, t. 39, n. 21.

illa quae est a jure quidem, sed ferendae sententiae, praerequiritur monitio canonica et praeceptum. Excipe tamen si agatur de suspensione et interdicto per modum poenae vindicativae infligendo.[1] (Nostrum *Elements*, vol. III. n. 2049 sq.)

II. Processus Judicialis, etiam in hac Regione.
(*The Previous Trial Required, also in this Country.*)

**1247.** *Quaer.* Utrum, praeter canonicas monitiones et praeceptum, requiratur insuper processus judicialis, antequam censura seu poena reformans ab Episcopo alicui delinquenti irrogarri possit?

*Resp.* 1° Affirmative. Ratio est quia censura est poena repressiva, quamvis medicinalis. Porro nulla poena repressiva, excepta sola suspensione ex informata conscientia, infligi potest, etiam in hac regione, absque praevio processu judiciali.[2] (Nostrum *New Procedure*, n. 84–88.)

2° Hoc valet, pro foro externo, etiam quoad censuras a jure seu decreto generali latas, ac ipso facto incurrendas, v.g. censuras in C. *Ap. Sedis* Pii IX. contentas. Nam verum quidem est, has censuras in foro *interno* incurri absque ullo processu judiciali; nihilominus ad eas in foro externo incurrendas, praerequiritur (*a*) processus judicialis, (*b*) et sententia declarans deliquentem censuram reapse incurrisse.[3] Nulla tamen praerequiritur, in hisce censuris infligendis, canonica monitio, etiam pro foro externo, uti jam monuimus. (Nostrum *Elements*, vol. III. n. 2065–2088.)

**1248.** *Quaer.* Quae forma processus sit adhibenda in censuris irrogandis, apud nos?

*Resp.* Praescribitur a S. C. de P. F. in Instr. *Cum Magnopere*, anno 1884, ad hanc regionem transmissa, ac proinde eadem omnino est forma adhibenda in censuris, ac in poenis vindicativis.

III. Sententia Rite Prolata.
(*The Decision Properly Rendered.*)

**1249.** *Quaer.* Quomodo proferenda sit, etiam apud nos, sententia, qua censura seu poena reformans infligitur?

[1] De Brab. n. 1398.

[2] S. C. de P. F. Instr. *Cum Magnopere*, art. iii., ix., x.; Conc. Plen. Balt. III. n. 310.

[3] Reiff. l. 5, t. 39, n. 23.

*Resp.* Eodem prorsus modo ac in poenis vindicativis irrogandis. Quapropter vide quae hac de re supra jam diximus.[1] Proinde, postquam processus absolutus fuerit, necnon allegationes tum juris tum facti (*summing up*), sive ex parte procuratoris fiscalis, sive defensoris rei, in scriptis, judici porrectae fuerint, omnia processus acta judici tradenda sunt. Deinde Ordinarius diem constituet, qua sententia est dicenda. Partibus, id est, tum reo vel ejus defensore necnon procuratore fiscali praesentibus, praestituta die, hora et loco, ab Episcopo, vel ejus vicario generali, sententia pronunciatur, et quidem in scriptis, ejusque pars dispositiva Cancellario dictatur, expressa mentione facta, si damnationi sit locus, sanctionis canonicae quae contra reum applicatur. Sententia deinde reo in scriptis est intimanda.[2] (Nostrum *New Procedure*, n. 417 sq.; *Elements*, vol. III. n. 3006 sq.)

**1250.** *Quaer.* Quid sit censurae publicatio seu denuntiatio?

*Resp.* Est publica declaratio censurae (*making the censure publicly known*), qua quis ligatus est, facta a judice, vel ejus delegato. Denuntiatio haec eo fine fit, ut majori confusione adigatur delinquens ad resipiscentiam, et ut caeteri censuratum vitare debeant. In plerisque hodie regionibus vix unquam ad hanc publicationem devenitur.[3] Nullum datur praeceptum generale eos publicandi qui censuras incurrerint; et proinde res prudentiae Ordinarii est relinquenda.[4] (Nostrum *Elements*, vol. III. n. 3021 sq.)

## § 3. Appellatio contra Poenas Medicinales.

(*Appeals against Reformative Punishments.*)

**1251.** *Quaer.* Utrum et qualis appellatio detur contra censuras?

*Resp.* 1° Permittitur appellatio contra poenas reformantes, non secus ac contra poenas vindicativas. Excipe solum suspensionem ex inf. consc., contra quam non datur appellatio, sed solum recursus ad S. Sedem.

2° Contra censuras *comminatas* (*against threatened cen-*

[1] Supra, n. 1102.

[2] S. C. de P. F. Instr. *Cum Magnopere*, art. xxxiv.

[3] De Brab. n. 1402.

[4] Huguenin, n. 893.

*sures*), appellare licet in suspensivo.[1] Contra censuras vero *jam inflictas* (*against censures, once they have been already inflicted*), appellatio datur solum in devolutivo, nisi tamen appelletur (*a*) ex causa nullitatis; (*b*) contra effectus *temporales* censurae, v.g. suspensionem a beneficio; (*c*) contra censuras, nempe suspensionem et interdictum—si per modum poenae vindicativae infligantur, saltem juxta nonnullos canonistas. Hoc autem certo non valet quoad suspensionem ex informata conscientia. Quamvis enim haec suspensio poenae vindicativae rationem habeat, attamen nullam admittit appellationem, sed tantum recursum ad S. Sedem. Hic autem recursus, secus ac appellatio, nullum effectum parit suspensivum. (Cf. nostrum *Elements*, vol. III. n. 3030 sq.)

**1252.** *Quaer.* Intra quod tempus appellatio contra censuras sit interponenda, prosequenda et definienda?

*Resp.* Eaedem fere regulae servandae sunt ac in caeteris appellationibus.[2]

**1253.** *Quaer.* Quomodo procedere debeat metropolitanus in cognoscenda et definienda appellatione contra censuras interposita?

*Resp.* Vide nostrum *Elements*, vol. III. n. 3051 sq.[3]

## ART. II.

### POENAE MEDICINALES, IN SPECIE.

(*Reformative Punishments, in particular.*)

**1254.** Tres numerantur uti jam vidimus, poenae reformantes, scilicet excommunicatio, suspensio et interdictum. De singulis brevissime disseremus.

### § 1. Excommunicatio.

(*Excommunication, or Expulsion from the Church.*)

**1255.** *Quaer.* Quid et quotuplex sit excommunicatio?

*Resp.* 1° Est ejectio de corpore Ecclesiae.[4] Quod cujusque societatis jus est, id Ecclesiae quoque jus esse debet, ut noxios homines e sinu suo ejiciat. Finis autem praecipuus hujus

[1] Nostrum *Elements*, vol. III. n. 3046 sq.
[2] Cf Instr. *Cum Magnopere*, art. xxxvi.-xl.
[3] Ib. art. xli.
[4] Devoti, l. 4, t. 18, n. 2.

poenae est ut delinquens pudore afficiatur, atque ita ad bonam frugem redeat.

2° Olim excommunicatio alia major, alia vero minor appellabatur. Minor autem excommunicatio, post Const. *Apostolicae Sedis* Pii IX., exolevit. Quare sola major excommunicatio hodie remanet. Dividitur vero in eam quae est (*a*) latae et ferendae sententiae; (*b*) reservata et non reservata; (*c*) a jure et ab homine; (*d*) Excommunicationes reservatae, si agatur de illis quae sunt a jure communi (i.e. quae in Const. *Ap. Sedis* Pii IX. continentur), et latae sententiae subdividuntur in simpliciter et speciali modo Romano Pontifici reservatas.

**1256.** *Quaer.* Quinam sint effectus praecipui excommunicationis?

*Resp.* Excommunicatio hominem prorsus, quamvis ad tempus tantum, ab ecclesia separat, ita ut non amplius ejus membrum, sed tanquam ethnicus et publicanus habeatur. Itaque excommunicatus omni cadit jure, quod per baptismum acquisiverat. Ac proinde amittit jus (*a*) ad sacramenta sive administranda, sive recipienda; (*b*) ad suffragia ecclesiae (*public prayers of the Church*); (*c*) excommunicatus prohibetur ab auditione missae, omnibusque aliis divinis officiis proprie dictis; (*d*) fit prorsus inhabilis ad officia ecclesiastica obtinenda; (*e*) amittit jurisdictionem ecclesiasticam; (*f*) privatur sepultura ecclesiastica, etc. (Nostrum *Elements*, vol. III. n. 3186 sq.)

**1257.** Insuper quilibet excommunicatus olim vitandus erat (*had to be avoided*) a caeteris fidelibus, idque tam in rebus humanis, quam ecclesiasticis. Verum jure novo, post extravagantem Martini V. anni 1418 *Ad evitanda scandala*, illi tantum a fidelibus vitari debent, qui (*a*) vel expresse et nominatim excommunicati sunt atque ut tales publice denuntiati, (*b*) vel publici et notorii clericorum percussores existunt. Hinc excommunicati distinguuntur in *toleratos* (*excommunicates who need not be shunned*), quos scilicet fideles vitare non tenentur, et *vitandos*, quos vitare debent (*excommunicates who are to be shunned by the faithful*).[1]

[1] Nostrum *Elements*, vol. III. n. 3173–3186.

**1258.** Proinde sequitur: 1° Fideles a sacerdote excommunicato tolerato postulare possunt sacramenta, qui, sic rogatus, valide et licite illa potest administrare. 2° Fideles tenentur abstinere, in rebus divinis seu religiosis (*in religious matters, v.g. in administering or receiving the sacraments*), a consortio cum excommunicatis vitandis, imo etiam, regulariter loquendo, et per se, in rebus humanis (*in social, civil matters, or the ordinary social relations of every day life*).

Dicitur *regulariter;* nam dantur exceptiones, quas vide in nostro *Elements*, vol. III. n. 3253 sq.

Dicitur insuper *per se;* nam prohibitio olim facta vitandi consortium vitae civilis (*social intercourse*), videtur hodie penitus obsolevisse.[1] (Nostrum *Elements*, vol. III. n. 3260.)

**1259.** *Quaer.* Quaenam adhuc hodie vigeant excommunicationes latae sententiae, 1° a jure communi, 2° a jure nostro particulari inflictae?

*Resp.* Ad 1m Eae solum (*a*) quae in Const. *Apostolicae Sedis* Pii IX. continentur;[2] (*b*) necnon quae post hanc Constitutionem a S. Sede inflictae sunt, quarum quatuor extant, quae speciali modo Romano Pontifici reservantur, et duae, quae simpliciter illi sunt reservatae. (Nostrum *Elements*, vol. I. p. 436, nota 1°; ib. p. 438, nota 1°.)[3]

**1260.** Ad 2m Jure nostro particulari in omnibus hisce Foederatis Statibus vigente duae habentur excommunicationes latae sententiae a lege in Concilio Plenario Baltimorensi III. sancitae. Sunt autem: 1° "Poenam excommunicationis statuimus, Ordinario reservatam, *ipso facto* incurrendam ab eis, qui postquam divortium civile obtinuerint, matrimonium ausi fuerint attentare."[4]

**1261.** 2° "Item decernimus Catholicos, qui coram ministro cujuscunque sectae acatholicae matrimonium contraxerint vel attentaverint, extra propriam dioecesim, in quolibet Statu vel Territorio sub ditione praesulum qui huic Concilio adsunt vel adesse debent, excommunicationem incurrere Episcopo reser-

[1] Prael. S. Sulp. vol. III. n. 772.
[2] Nostrum *Elements*, l. c. n. 3261–3282.
[3] Soglia-Vecchiotti, vol. II. p. 368.
[4] Conc. Pl. Balt. III. n. 124.

vatam, a qua tamen quilibet dictorum Ordinariorum sive per se, sive per sacerdotem ad hoc delegatum absolvere poterit. Quod si in propria dioecesi ita deliquerint, statuimus eos ipso facto innodatos esse excommunicatione, quae, nisi absque fraude legis alium Episcopum adeant, eorum Ordinario reservatur." [1]

**1262.** *Quaer.* Quibus de causis et quanam ratione irrogetur excommunicatio?

*Resp.* 1° Quoniam excommunicatio gravissima est inter poenas ecclesiasticas, nonnisi ob gravissimum crimen cum contumacia conjunctum infligenda est.

2° Infligenda non est, nisi (*a*) canonicis monitionibus et praeceptis praemissis, (*b*) et praevio processu judiciali.[2]

## § 2. Suspensio.

(*Suspension.*)

**1263.** *Quaer.* Quid sit suspensio?

*Resp.* Est censura qua clerico ad tempus prohibetur usus potestatis et jurisdictionis ecclesiasticae. Dicitur 1° *censura,* siquidem suspensio est poena reformans. Potest autem infligi etiam uti poena vindicativa. Dicitur 2° *clerico;* nam suspensionis subjectum est solus clericus (*ecclesiastics*), quoniam clerico tantum propria est ecclesiastica potestas et jurisdictio.[3] Et in hoc differt a reliquis censuris, quae feruntur in clericos et laicos indiscriminatim. Dicitur 3° *usus,* quia suspensio non aufert ipsum officium vel beneficium, sed tantum eorum usum et exercitium interdicit, et sic differt a privatione officii (*dismissal or absolute removal*).[4] Dicitur 4° *ad tempus,* quia suspensio nunquam spem veniae et restitutionis excludit.[5] (Nostrum *Elements,* vol. III. n. 3286.)

**1264.** *Quaer.* Quomodo suspensio dividatur?

*Resp.* Praetermissis divisionibus, quae censuris communes sunt (n. 1065), suspensio dividitur 1° in triplicem speciem:

[1] Conc. Pl. Balt. III. n. 127.

[2] Phillips, Comp. § 185; Devoti, l. c. § 14.

[3] Ex hoc patet suspensos ab iis non repelli, quae etiam laicis sunt communia, uti sunt ingressus in ecclesiam, publicae preces, sacramentorum receptio. (Devoti, l. 4, t. 20, § ii.)

[4] Devoti, l. 4, t. 20, § vi.; De Brab. n. 1425.

[5] Devoti, l. c. § vi.

(*a*) ab *officio,* (*b*) a *beneficio,* (*c*) et ab *utroque.* Suspensio ab officio (*suspension from ecclesiastical functions or duties*) clericum exercere vetat ea quae sunt potestatis (*a*) ordinis (*acts of the power of orders*), (*b*) et jurisdictionis, sive interni sive externi fori (*acts of jurisdiction*). Suspensio a beneficio (*suspension from the income of one's ecclesiastical office or benefice*) clericum excludit a percipiendis sui officii seu beneficii fructibus, non tamen ab officio ipso exercendo. Suspensio ab utroque, id est, simul ob officio et beneficio (*suspension both from functions and salary*) utrumque simul involvit.

**1265.** 2° Quaelibet ex his speciebus dividitur in totalem et partialem. (*a*) Totalis suspensio ab officio (*complete or absolute suspension from order and jurisdiction*) excludit ab omni usu seu exercitio actuum ordinis et jurisdictionis; sicut suspensio totalis a beneficio a quolibet fructu seu salario beneficii seu officii. (*b*) Partialis vero suspensio (*partial, limited suspension*) ab officio privat aliquo aut aliquibus tantum ordinis actibus, v.g. a confessionibus excipiendis, vel ab aliqua particulari jurisdictione aut jurisdictionis parte; sicut partialis suspensio a beneficio privat parte tantum fructuum aut salarii beneficii.[1] (Nostrum *Elements,* vol. III. n. 3291–3295.)

**1266.** Jam vero suspensio quae fertur absolute et simpliciter, sine ulla determinatione ad hoc vel illud, semper censetur totalis omni sub respectu, et proinde, sicut suspensio ab officio et beneficio simul, privat omni usu ordinis, jurisdictionis, et salarii vel fructuum.[2] Econtra suspensus ab ordine non ideo suspensus est a jurisdictione, nec contra. Idcirco ubi superior ab utroque suspendere vult, etiam utrumque exprimere debet. (Nostrum *Elements,* vol. III. n. 3296–3307.)

**1267.** *Quaer.* Quando et quomodo irrogetur suspensio?

*Resp.* Suspensio non potest infligi (*a*) nisi ob delictum, idque grave, (*b*) nec regulariter nisi post monitiones canonicas et processum judicialem.[3] (Nostrum *Elements,* l. c. n. 3314 sq.)

Dicitur *nec regulariter;* nam excipiendi sunt hi casus: 1° Quando suspensio imponi potest et de facto imponitur ex in-

[1] De Brab. n. 1426. [2] De Brab. n. 1427.

[3] Arg. cap. 1, de sent. excom. in 6°; Devoti, l. 4, t. 20, § 4, nota 2ª.

formata conscientia; in quo casu, neque monitiones neque processus judicialis requiruntur. 2° Quando crimen est vere notorium, in quo casu tamen consultius omnino hodie est processum instruere. 3° Quando suspensio incurritur ipso facto, in quo tamen casu, pro foro externo, necessarius est processus judicialis et sententia declaratoria, non tamen monitiones canonicae. 4° Ubi suspensio irrogatur tanquam poena vindicativa, requiritur quidem processus, non vero monitiones.

### § 3. Interdictum.

(*The Interdict.*)

**1268.** *Quaer.* Quid sit interdictum ecclesiasticum?

*Resp.* Interdictum (*prohibition, inhibition*) est censura seu poena medicinalis, qua functiones sacrae fidelium usui destinatae prohibentur.[1] Dicitur *censura;* quia finis ejus primarius est emendatio delinquentis. Potest tamen etiam imponi uti poena vindicativa. Dicitur etiam *usui fidelium;* et sic differt a suspensione, quae solos clericos non vero laicos afficere potest. Insuper interdictum privat sepultura ecclesiastica, non vero suspensio. Deinde interdictum etiam *loca* (*places v.g. churches, cities*) afficit; excommunicatio vero et suspensio feruntur directe solummodo in *personas.* (Nostrum *Elements,* vol. III. n. 3332–3334.)

**1269.** *Quaer.* Quotuplex sit interdictum?

*Resp.* 1° Interdictum dividitur (*a*) in *personale,* (*b*) *locale,* (*c*) et *mixtum.* Est personale (*personal interdict, or interdict directly affecting persons*), quando immediate attingit *personam* (*a person*), eamque sequitur quocunque ierit. Est locale (*local interdict, or interdict directly affecting places*), quando immediate afficit *locum* (*a place or places*), ita ut quamdiu quis in eo loco degat, debet abstinere ab usu quarundam functionum sacrarum, non vero cum non amplius in eo loco versatur. Est mixtum (*the local and personal interdict combined*) quando personas simul cum locis respicit.

**1270.** 2° Interdictum, sive personale, sive locale, sive mixtum dividitur in (*a*) *particulare,* (*b*) et *generale.* Locale in-

[1] Phillips, Comp. § 186.

interdictum generale *a general local interdict*) est, quod ad integram nationem, regnum, provinciam, civitatem, dioecesim pertinet; particulare (*a limited local interdict*), quod ad unam tantam ecclesiam spectat.

**1271.** Personale interdictum generale (*a general personal interdict*) est illud quod fertur in aliquam communitatem, qua talem, v.g. vel in totum clerum alicujus loci, vel in totum populum seu omnes laicos. Particulare autem personale interdictum (*a limited personal interdict*) est illud quod fertur in personas determinatas, quamvis sint plures, quatenus considerantur ut personaliter delinquentes, non autem ut communitas. (Nostrum *Elements*, l. c. n. 3335–3346.)

**1272.** *Quaer.* Quinam sint, in genere, effectus interdicti?

*Resp.* Tres sunt peculiares effectus, scilicet: 1° Probibitio divinorum officiorum (*the prohibition to celebrate or assist at divine worship*); 2° Prohibitio aliquorum sacramentorum, (*the prohibition to administer or receive certain sacraments*); 3° Prohibitio sacrae sepulturae (*the prohibition to give or receive ecclesiastical burial*). Hos omnes effectus vide explicatos in nostro *Elements*, vol. III. n. 3351–3365.

**1273.** *Quaer.* Quae interdicta hodie adhuc imponantur vel incurrantur.

*Resp.* Distinguendum inter interdicta (*a*) quae a jure, id est, lege ecclesiastica, sive generali, sive particulari, idque vel ferendae vel latae sententia, (*b*) et ea quae ab homine imponuntur.

Hisce praenotatis sic respondetur. Hodie solum ea interdicta, a jure communi et latae sententiae imposita, incurruntur quae continentur in Const. *Apostolicae Sedis* Pii IX. (Nostrum *Elements*, l. c. n. 3368 sq.)

**1274.** Quoad interdicta ab homine, possunt Episcopi, etiam in hac regione, interdicta particularia sive personalia, sive localia, adhuc imponere. Dicitur *particularia;* quia interdicta generalia, saltem localia hodie ubique in desuetudinem abierunt. (Nostrum *Elements*, l. c. n. 3331.)

**1275.** Interdicto multum affinis est *cessatio a divinis* (*intermission of divine service*), de qua vide nostrum *Elements*, vol. III. n. 3376–3384.

# APPENDIX I.

## DIVISIO PAROCHIARUM—APUD NOS, MISSIONUM SEU QUASI-PAROCHIARUM.

(*Division of Parishes—with us, of Missions or quasi-Parishes.*)

*Quaer.* Quandonam possit ne Episcopus paroecias dividere seu dismembrare, ad novas erigendas?

*Resp.* Requiritur (*a*) ut adsit causa canonica, idest, causa in jure communi expressa; (*b*) et ut solemnitates seu formalitates a jure communi praescriptae adhibeantur. Pauca de hisce conditionibus modo dicemus.

*Quaer.* Qualis requiratur causa, seu in quibus circumstantiis liceat divisionem peragere?

*Resp.* 1° Certum est Ordinariis non licere parochias dividere nisi in casibus a jure permissis. Nam divisio est species alienationis. Duplex autem distinguendus est casus. Siquidem parochus munera parochialia solus implere haud potest (*a*) vel ob multitudinem parochianorum; (*b*) vel ob nimiam territorii extensionem, seu difficultates viarum.

2° Jam vero sacri canones diversa remedia suppeditant pro diversis his casibus. Et imprimis, quando parochiani ita sunt numerosi, ut parochus non sufficiat solus, Episcopus parochum cogere potest, ut tot sibi adjutores (*assistant priests*) assumat, quot requiruntur.[1] Quapropter sola multitudo parochianorum non est per se, saltem regulariter loquendo, causa sufficiens, parochiam dividendi.

3° Ubi vero parochianorum numerus haud spernendus, tali distantia ab ecclesia paroeciali degit, vel ubi tales existunt difficultates locorum, v.g. montes difficiles, torrentes, inter domicilium plurium parochianorum et ecclesiam, ut ad eccle-

[1] Conc. Trid. sess. xxi. c. 4, de Ref.

siam paroecialem accedere nequeant, absque gravi incommodo, sacri canones sequentia exhibent remedia:

*Primo.* Locus est erectioni capellae subsidiariae (*chapels of ease*), prope parochianos distantes vel montibus, etc., impeditos, cum adjutore seu vicario, qui prope illam capellam resideat, et ibi sacramenta fidelibus administrat, necnon alias functiones ecclesiasticas peragit. Hic autem vicarius sub dependentia manet parochi, ac iisdem fere juribus ac obligationibus gaudet ac caeteri adjutores parochum in sua parochia adjuvantes. Proinde sunt amovibiles; a parocho nominantur et ab Episcopo approbantur. Potest tamen in hujusmodi capellis vicarius constitui perpetuus, idest, inamovibilis, quin tamen parochia dividatur.

*Secundo.* Quando vero, propter peculiaria rerum adjuncta, capella supra dicta erigi nequit, aut erecta, non sufficit, Ordinarius potest ac debet procedere ad dismembrationem proprie dictam parochiae, et erectionem novae parochiae, quae habeat parochum, qui non alterius parochi, sed suo nomine curam exercet animarum. Notandum est quasdam praerogativas honoris, quas ecclesia matrix conservat, haud obstare autonomiae canonicae novae parochiae.

Quapropter patet duas solummodo statui in jure causas dividendi parochias: 1° Nimis distantia ab ecclesia parochiali, v.g. duo millia passuum (*two miles*); 2° Difficultas locorum (*local obstacles*), v.g. flumina, montes, etc., interposita parochianos inter et ecclesiam, ex quibus evenit ut parochianorum numerus haud spernendus magnum experiatur incommodum accedendi ad ecclesiam parochialem.

Praeter has causas, requiritur insuper, juxta plures auctores, ut nullo alio remedio spiritualibus fidelium necessitatibus consuli possit. Si proinde casui occurri potest per erectionem capellae adjutricis in loco remotiori cum vicario ibi residente sub dependentia parochi, non potest erigi nova parochia. Dicitur *juxta plures;* quia nonnulli canonistae id negant. Et sane nonnullae decisiones S. C. C. pro hac negativa sententia militare videntur.

*Observatio practica.*—In tota hac materia, prae oculis habendum est quod scite scribit Card. de Luca, scilicet: "In

hoc autem certa regula generalis statui non potest . . . cum (erectio novae parochiae) sit potius quaestio nudi facti, et singulorum casuum particulari qualitate, ac individuis circumstantiis decidenda. Quoniam possunt simul stare, ut in uno casu eadem populi multiplicitate, eademque distantia vel itineris asperitate, aliisque causis accedentibus, id denegandum sit, ac in altero concedendum, eo quia diversi mores regionis, vel major seu minor antiqua parochialis majestas vel decor, in uno casu permittant, et in alio prohibeant.[1]

*Quaer.* Quaenam formalitates sint observandae in parochiarum divisione?

*Resp.* 1° Requiritur consensus capituli (apud nos, consilium consultorum dioecesanorum); idque, sive Episcopus divisionem peragat, ut Ordinarius, sive ut Delegatus Apostolicae Sedis.[2]

2° Citandus est, etiam in hac regione, dismembrandae ecclesiae parochus, ut dicat si quid habeat opponendum.

3° Requiritur, insuper (*a*) ut per divisionem reditus ecclesiae matricis nullatenus ita minuantur ut haud sufficiant ad congruam rectoris aliorumque ministrorum sustentationem, ad divini cultus splendorem,[3] etc.; (*b*) ut nova parochia sufficientes habeat reditus ad rectoris sustentationem.[4] Alias tenebitur Episcopus hisce parochis providere, sive ex reditibus mensae suae, sive aliunde.[5] Nam in culpa fuit illegitime dividendo paroeciam.[6]

4° De existentia et sufficientia causae ob quam dismembratio facienda est, positive constare debet ex processu desuper facto. Quapropter Episcopus debet juridice citare et audire tum rectorem paroeciae dismembrandae, tum testes. Non tamen requiritur processus solemnis, sed sufficit processus juridicus simplex seu summarius.[7] Et haec omnia in actis

[1] Cf. Analecta, J. P. anno 1855, p. 422.
[2] Ib. p. 418.
[3] Alexander III., cap. *ad audientiam* 3 (iii. 48).
[4] Ib.
[5] Innoc. III., cap. *Vacante* 26, de Praeb. (iii. 5).
[6] Schmalzg. l. 3, t. 5, n 286.
[7] Lotter. de Re Benef. l. 1, q. 28, n. 34–36; De Luca, l. 12, de Benef. Disc. 45 n. 6. Id., l. 12, de Par. Disc. 35, n. 6; Pyrr. Corr. Praxis Benef. l. 3, cap. 2, n. 8, 9.

publicis reduci debent. Divisio enim justificanda est ex actis publicis, et non statur assertioni partium aut etiam Episcopi. Proinde patet in tota hac materia juridice esse procedendum.[1] Quoad alias formalitates, vide nostrum *Elements*, vol. I. n. 263 sq.

---

# APPENDIX II.

## RESOLUTIO S. C. DE P. F. CIRCA PRIVATIONEM ET TRANSLATIONEM RECTORUM APUD NOS, QUI DICUNTUR AMOVIBILES.

(***Important Decision given by the S. C. de Prop. Fide, March* 28, 1887, *concerning the Dismissal and Transfer of our Rectors who are not irremovable.***)

**S. CONGREGAZIONE DI PROPAGANDA. SEGRETARIA.**
**N. 2311. ROMA, li 20 Maggio, 1887.**

***OGGETTO. SUL MODO DI PROCEDERE NEL CAMBIARE I RETTORI AMOVIBILI.***

**Eme ac Rme Dne Dne Obne.**

In Concilio Plenario Baltimorensi III. tit. x., cap. 3, §§ 1, 2, necnon in Instructione hujus S. Congregationis, quae incipit *Cum Magnopere*, circa causas clericorum, normae ac regulae praescribuntur circa modum quo procedi debet in causis clericorum. Porro non adhuc apprime determinatum ac statutum erat quibus in casibus Episcopi ad legalis processus confectionem tenerentur, cum de rectoribus missionum aut ab officio privandis, aut ad aliud officium transferendis ageretur, ubi de amovibilibus sermo sit.

Jam vero Emi Patres S. Consilio Christiano nomini propagando praepositi, in comitiis generalibus die 28 Martii 1887 habitis sequentia decreverunt:

"In casibus remotionis peragendae, seu privationis totalis

[1] Analecta, J. P. 1855, p. 419.

ab officio rectoris, in poenam criminis vel reatus disciplinaris canonicus processus, juxta praefactae Instructionis *Cum Magnopere* et Concilii III. Plenarii decreta, confici debet. Cum vero agatur de translatione rectoris ab una missione ad aliam aut ad aliud officium etiam inferius, Ordinarii non tenentur ad canonici processus instructionem; opus est autem ut hoc fiat graves ob causas, et habita meritorum ratione, juxta dispositionem Concilii Plenarii Baltimorensis III. tit. 2, cap. 5, § 32. Si in casu tranlationis fiat recursus ad S. Congregationem, S. Congregatio remittet recursum ad Metropolitam, vel si agatur de Metropolita, ad Metropolitam viciniorem."

Rogo autem E. T. ut hanc Sacrae Congregationis resolutionem omnibus Archiepiscopis Statuum Foederatorum commumunicare velit.

Interim manus tuas humillime deosculor.

Eminentiae Tuae,

Humillimus addictissimus servus verus,

JOANNES CARD. SIMEONI, Praefectus.

D. Archiep. Tyren. Secr.

**Emo ac Rmo Dno Card. Jacobo Gibbons,**
**Archiepiscopo Baltimorensi.**

---

# APPENDIX III.

## APPELLATIO AB EPISCOPO UTI S. SEDIS DELEGATO.

*Quaer.* Ad quem sit appellandum, quando Episcopus procedit uti Sedis Apostolicae Delegatus?

*Resp.* Distinguendum est inter duplicem casum. Primus casus est, quando Episcopus *specialiter* delegatur a S. Pontifice vel S. Congregatione ad negotium aliquod *determinatum* hic et nunc faciendum. In hoc casu appellatio interponenda

est directe ad S. Sedem, ex regula generali, quod appellatio a delegato fieri debet ad delegantem.

Secundus casus est, ubi Episcopus agit ex delegatione Papali *generali*, sive a jure (v.g. Concilio Tridentino), sive ab homine (i.e. directe a S. Pontifice vel S. Congregatione). Porro si generalis haec delegatio ad res sese extendit, quas Episcopus etiam *auctoritate sua ordinaria* peragere potest, appellatio interponi potest vel directe ad S. Sedem, vel ad Metropolitam.

Et sane, in casu auctoritas S. Sedis Episcopis delegata est, ad abundantiam juris, seu ut firmiori jure procedere valeant, non autem ut tollatur jus commune, per quod appellationes deferuntur Metropolitanis. Ita saepe, declaravit S. C. C., v.g. 7 Julii 1575, et in causa Suessan. 1738 (cf. Stremler, des Peines Eccl., p. 445).

Si autem generalis haec delegatio Papalis ad negotium sese porrigit quod Episcopus *sola sua auctoritate ordinaria* expedire non potest, v.g. cum agitur de dividendis parochiis seu missionibus exemptis, tunc appellatio non apud Metropolitam sed directe apud S. Sedem est interponenda. Constat ex decreto S. C. EE. et RR., 16 Oct. 1600, *ad tollendas*, § vii.; quod sic se habet: "Ab executione decretorum S. Concilii Tridentini, aut Visitationis Apostolicae, appellationes a Metropolitanis non recipiantur, nec si Episcopi virtute ejusdem S. Concilii procedunt uti Sedis Apostolicae delegati, *in causis quae sub eorum jurisdictione ordinaria non comprehenduntur;* salva tamen hoc in casu legatorum et Nuntiorum Apostolicorum auctoritate."

Porro decretum hoc observandum est hodie, etiam apud nos. Patet ex Bened. XIV., Const. *Ad Militantis*, § 21, ad hanc regionem extensa per S. C. de Prop. Fide, Instr. *Cum Magnopere*, § 36.

Quapropter recte scribit De Brabandere, n. 1239: "Episcopi quandoque procedunt (v.g. in parochia dividenda, vel alia re facienda) tanquam Delegati Sedis *Apostolicae*. Quid in casu statuendum de appellatione? Maupied post Legueux et Bouix docet non posse nisi ad S. Sedem appellari. Hoc verum est si agatur de negotio quod *sola* potestate delegata

(apostolica) valet Episcopus expedire; falsum vero si agatur de eo ad quod potestas ordinaria sufficiebat."[1]

NOTA.—Loquimur, uti patet, de delegatione a jure, non ab homine. Nam quando Papa seu S. Congr. *specialiter* et *in particulari aliquo negotio*, v.g. ad hanc vel illam determinatam parochiam dividendam—Episcopum deputat, sane in hoc casu, appellatio interponenda est directe ad S. Sedem, id est, a delegato ad delegantem.

---

# APPENDIX IV.

## DE CAPITULI CONSENSU VEL CONSILIO EXQUIRENDO AB EPISCOPO UTI S. SEDIS DELEGATO.

*Quaer.* Utrum Episcopus teneatur sive consensum sive consilium capituli obtinere, in supradictis (supra, n. 719–724) rebus, quando in iis tanquam S. Sedis Delegatus procedere potest, et reapse procedit?

*Resp.* Duo casus probe sunt distinguendi. *Primus* casus est, ubi Episcopus procedit ex delegatione *speciali* ab homine, id est, ubi a S. Pontifice vel a S. Congregatione delegatur ad *particularem* aliquam rem seu ad *determinatum* aliquod negotium hic et nunc peragendum. Porro, in hoc casu, non tenetur Episcopus juris solemnitates servare, ideoque nec consilium capituli (apud nos, consultorum) nec ejus consensum exquirere, nisi tamen S. Pontifex vel S. Congregatio, in delegatione juberet servari de jure servandis. Quia mandatum hujusmodi speciale S. Pontificis supplet quascunque solemnitates alias requisitas. (Arg. cap. 5, de Eccl. aedif. iii. 48; Leur. For. Eccl. l. 3, t. 10, qu. 108.)

*Secundus* casus est, quando Episcopus agit ex delegatione *generali*, sive a jure sive ab homine, idest, ex potestate sibi, v.g. a Concilio Tridentino, vel a S. Pontifice vel etiam a S.

[1] Cf. Fagnan. in Cap. *Ad audientiam*, de eccl. aed. n. 45.

Congregatione (exemplum habes in quinquennalibus facultatibus nostris Episcopis a S. Congr. de Prop. Fide concessis) *constanter*, vel saltem ad certum tempus, vel ad certum numerum, pro certis causis delegata.

Porro si generalis haec delegatio ad res sese porrigit, quas Episcopus etiam auctoritate sua *ordinaria* expedire potest, tenetur is omnes juris solemnitates servare, adeoque tum consensum tum consilium capituli exquirere, ubi id a jure sive generali, sive speciali praescribitur.[1] Nam haec delegatio datur Episcopis, ut firmiori jure procedere valeant, non autem ut tollatur jus commune seu particulare.

Si vero generalis haec delegatio ad negotium seu res pertinet, in quibus Episcopus *sola sua auctoritate ordinaria* procedere nequit (v.g. si agitur de regularibus exemptis), tunc controvertitur utrum consensum vel consilium Capituli obtinere debeat Episcopus. Alii negant; alii vero numero plures probabilius affirmant, eo quod hujusmodi delegationes generales jus commune non tollunt.[2]

---

# APPENDIX V.

## DE LICENTIA S. SEDIS QUOAD MONASTERIA ERIGENDA NECNON JAM ERECTA, DESERENDA.

*Quaer.* Utrum S. Sedis licentia hodie requiratur ut novum monasterium alicubi erigi valeat, etiam apud nos?

*Resp.* Necessaria est licentia S. Sedis, pro erigendis seu aedificandis novis monasteriis (edifices in which regulars live) proprie dictis virorum (saltem pro Italia et insulis adjacentibus).[3] Diximus *monasteriis proprie dictis;* talia autem sunt illa solum, in quibus morantur religiosi cum votis solemnibus.

[1] Card. De Luca, de Beneficiis, part. i. disc. 45, n. 10, 11; part iii. disc. 35, n. 8; Leur. For. Benef. q. 950.

[2] De Luca, l. c.; Leuren., l. c.

[3] Innoc. X. Const. *Instaurandae*, 1652.

Proinde licentia Papalis non est necessaria quoad Congregationes sive virorum sive mulierum, quae aut nulla, aut simplicia tantum emittunt vota. Diximus *virorum:* disputatur quidem utrum S. Sedis licentia requiratur etiam quoad conventüs mulierum quae solemnia habent vota. Ast sententia quae docet hanc licentiam requiri, tum intra tum extra Italiam, et proinde etiam in hac regione, est communior et praxi hodiernae S. Sedis prorsus conformis, ac cum agitur de votorum solemnium validitate, hodie in praxi omnino sequenda.[1] Diximus insuper *saltem pro Italia.* Nam controvertitur utrum praefata licentia etiam requiratur extra Italiam. Porro sententia communis, quae in praxi omnino est hodie sequenda,—etiam in hac regione, ex Const. *Romanos Pontifices,* § *Quum res,* Leonis XIII.,—docet licentiam Apostolicam esse necessariam in toto orbe terrarum.

Verba autem Leonis XIII. Const. cit. sunt:[2] "Quare communis hodie sententia est, cui favet passim rerum judicatarum auctoritas, non licere Regularibus, tam intra quam extra Italiam, nova monasteria aut conventus sive collegia fundare, sola Episcopi venia impetrata, sed indultam quoque a Sede Apostolica facultatem requiri. Iisdem insistens vestigiis Sacrum Consilium christiano nomini propagando pluries decrevit, veniam Apostolicae Sedis et Episcopi aut Vicarii Apostolici ecclesiis collegiisque erigendis, etiam in missionibus, ubi religiosi sodales domos sedesque habeant, esse omnino necessariam. His ergo de causis ad propositum dubium respondemus: Sodalibus religiosis novas sibi sedes constituere, erigendo novas ecclesias, aperiendove coenobia, collegia, scholas, nisi obtenta prius expressa licentia Ordinarii loci et Sedis Apostolicae non licere."

*Quaer.* Utrum regularibus liceat dimovere de loco seu deserere instituta, idest monasteria, ecclesias, collegia, scholas, etc., aliove transferre, absque venia tum Episcopi loci, tum S. Pontificis?

[1] Zitelli, Appar. p. 226; Analecta Jur. Pont. anno 1858, p. 98 sq.; Acta S. Sedis, vol. I. p. 714 sq.

[2] Const. *Romanos Pontifices,* § Quum res.

*Resp.* Negative.[1] Quod quidem etiam pro hac regione valet, uti constat ex Const. *Romanos Pontifices* Leonis XIII. § *Fieri solet.* Verba magni Pontificis sunt: "Fieri solet utique subtilior inquisitio, an duplex ea venia (idest tum Episcopi, tum Apostolicae Sedis) sit impetranda, si non prorsus novum opus regularis familia moliatur; sed ea quae sunt instituta velit in alios usus convertere. Verum neque obscura, neque anceps erit futura responsio, si varios, qui accidere possunt, casus distinguamus. Initio enim quis serio dubitet, an ea quae pietatis religionisque causa instituta sunt, liceat in usus a religione et pietate alienos convertere?

"Restat itaque ut de tribus hisce dumtaxat quaeratur, utrum nempe liceat dimovere de loco instituta alioque transferre; aut immutare in usum consentaneum, qualis esset si schola in ecclesiam, coenobium in collegium, in domum pupillis aegrotisque recipiendis, vel vicissim mutaretur; aut demum, priore usu retento, novam causam sive usum inducere.

"Jam vero quominus duo illa prima, privata ipsorum auctoritate, religiosi sodales efficiant, obstat decretum Bonifacii VIII., qui eos vetuit 'ad habitandum domos vel loca quaecunque de novo recipiere, seu hactenus recepta mutare.[2] Rursum qui fieri potest ex duobus illis alterutrum, nisi res recidat in fundationem novam monasteriorum, collegiorum, domorum, conventuum et aliorum Regularium locorum hujusmodi. Atqui id perfici prohibuit Urbanus VIII. per Const. *Romanus Pontifex,* nisi servata in omnibus et per omnia sacrorum canonum et Concilii Tridentini forma.

Sic unum superest de quo contendatur; num priore usu retento, nova causa vel usus adjici valeat. Tunc autem pressius rem urgere oportet et accurate dispicere, utrum ea inductio alterius usus ad interiorem administrationem, disciplinamque domesticam spectet, velut si tirocinium aut collegium studiorum causa junioribus sodalibus in coenobio constituatur; an fines interioris administrationis sit excessura, puta si inibi Schola fiat aut collegium quod pateat etiam alienis. Plane si dictos fines excesserit, res redit ad alterutram illarum,

[1] Cap. *Cum ex eo,* de excess. prael. in 6° (v. 6).
[2] Cap. *Cum ex eo,* de excess. prael in 6°.

quae a Bonifacio VIII. et Urbano VIII. fieri pro libitu, ceu diximus, prohibentur. Sin autem intra limites domesticae disciplinae mutatio contineatur, suo certe jure Regulares utuntur; nisi forte leges fundationis obsistant. Ex quibus singillatim perpensis manifesto colligitur: Religiosis sodalibus non licere ea quae instituta sunt, in alios usus convertere, absque expressa licentia Sedis Apostolicae et Ordinarii loci, nisi agatur de conversione, quae, salvis fundationis legibus, referatur dumtaxat ad internum regimen et disciplinam regularem."


Insuper quoad hanc regionem, haec notanda sunt:


"Quum vero ea sint apud nos rerum adjuncta, *ut non semper canonice vel permanenter* erigi possint domus Religiosae seu monasteria, id interdum nolentibus ipsius communitatis superioribus: ut in talibus casibus omnibus querelis locus auferatur, duxerunt Patres hujus Plenarii Concilii, hoc conditionis instar contractui Ordinarium inter et Religiosam Communitatem appositae habendum, istam scilicet nullum collegium, paroeciam, congregationem, scholam, aliudve opus pium deserere posse, Ordinario invito, *nisi sex saltem menses* elapsi fuerint a tempore quo de intentione ita agendi illum certiorem fecerint. Haec vero de iis tantum communitatibus intellecta volumus, quae regenda assumunt opera diocesana, et ad tempus tantum, nulla perpetuo permanendi suscepta obligatione."[1]


[1] Conc. Pl. Balt. II. n. 407.

# INDEX ALPHABETICUS.

[Indicantur numeri marginales.]















THE [redacted] LIBRARY
5 0336 478